




Digitized by Google



Digitized by Google

IB. DOM.
VAL. S. J.

Digitized by Google

H. 626/8

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLYRICI
SACRI
TOMUS OCTAVUS.
ECCLESIA SCOPIENSIS,
SARDICENSIS, MARCIANOPOLITANA, ACHRIDENSIS ET TERNOBENSIS

CUM EARUM SUFFRAGANEIS,

AUCTORE

JACOBO COLETO

OLIM PRESBYTERO SOCIETATIS JESU.



VENETIIS, MDCCCXIX.

APUD SEBASTIANUM COLETI.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

EMINENTISSIMIS ET REVERENDISSIMIS

PRINCIPIBUS

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIBUS

PRÆFECTO

FRANCISCO FONTANA

E CLERICIS REGULARIBUS S. PAULLI

ET PRÆSIDIBUS


SACRÆ CONGREGATIONIS

DE PROPAGANDA FIDE

NECNON

SACRO CONVENTUI UNIVERSO

JACOBUS COLETUS.



UM multa a Romanis Pontificibus divino prorsus consilio decreta fuerint, atque sancita, quæ Sacrorum disciplinæ tuendæ, atque excolendæ, tum quæ Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & Ordinum Religiosorum dignitati fovendæ servandæque, quæque potissimum arcendis a Christiana societate morum corruptelis, & hæreticæ contagionis periculis, ac insidiis utiliora viderentur, cumque lectissimos illustrium virorum Conventus instituerint, qui tantam, & adeo variam rerum molem sapienter rege-

Digitized by Google

rent, nihil profecto gravius, nihil præstantius, nihil magis hoc Vestro Conventu necessarium, EMINENTISSIMI PRINCIPES, constitutum fuit, cui nimirum summa Fidei toto orbe propagandæ & integre custodiendæ commissa est ab iisdem, & imposita sollicitudo; quod munus tam grande esse & grave quisquis intelligit, ut Catholicæ Religionis munimen, splendor, amplitudo, Christianorum, qui quascumque terræ oras incolunt, salus, præsidium, solatium hujusce unius sapientiæ, prudentiæ, fortitudini, potestatique maxime innitantur. Quare nulla laus, nullum præconium par excogitari potest celebrandæ Maximi illius Pontificis URBANI VIII. memoriæ, cujus immortali beneficio hæc arx Fidei, hæc divinarum, humanarumque omnium scientiarum sedes, hæc Antistitum, hæc Operariorum disseminandi Evangelii ardore ferventium altrix & magistra Congregatio Vestra non in hac Urbe tantum cunctarum principe, sed ubique gentium etiam propositi sibi finis eminet sublimitate; quæ & ædium magnificentia, & ingenuarum artium, linguarumque omnium addiscendarum ingentibus subsidiis, collectisque e remotioribus populis monumentorum divitiis de illorum doctrinis, mysteriis, ritibus, ita clarescit, ut in hoc tam amplo & celebri domicilio quæcumque contineri merito existimes, quæ Ecclesiæ, quæ Religionis majestatem decorant, & augent, queisque ceu curru utraque vecta in triumphi speciem orbem peragrat universum. Equidem contra perditissimorum hominum nefarios ausus, qui vel latenter, vel aperte Fidem vesania errorum oppugnant, contra schismaticæ perfidiæ astus, qui illius incremento obsistunt, & invident gloriæ, contra hostiles & efferatos Ethnicorum animos, qui veros Christi cultores aut cædibus delere se posse sibi stulte suadent, aut jugo premunt servitutis, opus erat, ut quanto iniquius in Christiani nominis perditionem impios conatus aggerant adversarii, tanto promptior & fervidior in ejus defensionem, & propagationem incumberet Pontificum cura, utque illi ad impietatem dilatandam omnia rimantur vaferrima, omnia audacissimi aggrediuntur violenta, ita hi sagacitate mentis hostium fraudes eluderent, & robore animi, patientia, mansuetudine illorum infringerent audaciam, protenderent Religionis fines, vel in ipsa inimica castra victoriæ inferrent signa. Quod grande opus, eximium, divinum hoc nimirum est concreditum Vestris consiliis, curisque commendatum; hoc quod Vestri Conventus virtute & auctoritate prospere cæptum quis nescit quam læto intentoque cursu hactenus processerit, quanta cum Fidei gloria, & animarum salute? Etenim quæ regio adeo inculta & barbara, quis angulus in terris tam disjunctus, tam reconditus, tam obscurus, quo Conventus Vestri cogitationes, studia, sollicitudines non penetraverint? ubi zeli fervor non exarserit pro dilatando tentorio Ecclesiæ, pro templis, pro aris, pro sacerdotiis erigendis, aut inter inimicorum septa, quo fieri potest, decore, & cultu conservandis? Testes sunt delecti Antistites ex hac schola virtutis non

ad

Digitized by Google

ad commoda, non ad opes, non ad fastus, sed ad quasvis tolerandas ærumnas profecti pro suarum Ecclesiarum regimine, testes Evangelii præcones hinc laboribus, angustiis, vinculis, tamquam morti destinati pro Fidei honore; testes Martyres, qui in hac palæstra exerciti, & ad prælia Domini armati sanctissimam Christi religionem proprio sanguine propugnarunt. Annon & testes præclaræ Dominici & Francisci familiæ, quæ ad hanc gloriam immortalem natæ, ut Catholicæ Ecclesiæ, & Romanæ Sedis dogmata, jura, leges, sacra omnia domi forisque, terra marique apud exteras gentes, & nationes inter quævis vitæ discrimina immensis laboribus tuerentur atque amplificarent, nunc in saluberrimas distinctæ missiones ad populos & ad regna, quæ delitescunt in errorum tenebris, & sacræ Congregationis roboratæ adjumentis in agone alacrius contendunt, brabium unice expetentes divini Nominis propagationem? Annon testis Societas Jesu? cur enim eam non commemorem, quam, etsi sejunctus corpore, fide sequor, obsequio veneror, matrem amplector affectu, quæque vix in vitam revocata Vestram experta est singularem benevolentiam, Vestris ornatur summis beneficiis, Vobis fautoribus ad obeunda animatur sui Instituti Apostolica munera? Non est illa oblita vetusta Majorum pro Christi fide certamina, obversantur illi præ oculis grandes animæ sanguinis prodigæ, palmæ, victoriæ, relati ad religionem extollendam quaquaversum triumphi; & quasi equus divinæ gloriæ, magnanimo fervet æstu, contemnit pavorem, campis anhelat apertis; cumque audierit buccinam, & exhortationem ducum, Vestræ scilicet sapientiæ sensa, judicia, incitationes facinorum, super ipsam sonabit pharetra, rutilabit hasta et clypeus, et in occursum quocumque perget armatis hostium phalangis. Atque ut paucis cuncta complectar, quibus celebrandis mens cogitatione deficit, acumine ingenium, oratione facundia, Vestræ Congregationis acta pro Fide, et gesta loquuntur Afri, quos inter procellas persequutionum sustentat; prædicat Americana barbaria, quam novis in dies Christianæ gentis accessionibus cultam sacris nutrit mysteriis, disciplinis informat; Asia extollit, ubi mediis in hostibus imperium Crucis latissime profert; Europa demum tanto lætior commendat, quanto propior eorumdem sentit efficacitatem; et ut Sol sua luce omnia fovet, omnia fœcundat, omnia illustrat, haud secus nulla gens est ad orbis usque terminos projecta et dispersa, quæ iisdem religionis beneficiis se per illam juvari, ac nobilitari non fateatur. Quæ cum verissima sint inimicorum etiam odio, et invidia confirmata; quippe et ii vestro exemplo suos norunt impietatis magistros hac illac missitare, ut veram religionem exturbent, et tamquam colubri in occulto repentes tutius venena fundant errorum, et miseros populorum inficiant animos, quæso vos, EMINENTISSIMI PRINCIPES, quibus virtutum præsidiis et ornamentis illos oportet esse conspicuos in hoc Conventu, queis salus, incrementum, dignitas, majestas tota Catholicæ Fidei procuranda et adau-

Zach. x. 3.

Job. xxxix 22.

adaugenda concreditur? qua sapientia, qua integritate, qua doctrina præditos? et in providendo consilium, in agendo sollertia, in negotio labor, in contrariis fortitudo, caritas, misericordia, pietas, quanta hæc iisdem inesse debent in gravissima, et difficillima suorum munerum executione? Nequeo igitur, quin Vos hic compellem, Romanæ Sedis columen, Fidei subsidium, Nationum lumen, Ecclesiæ decus, in quibus illa omnia summa esse vident cuncti, mirantur universi, religio ipsa, cui incassum obstant inferorum portæ, lætitia gestit, in turbulentissima Christianæ Reipublicæ tempestate nihil sibi a Vobis deesse ad suæ veritatis, qua divinitus viget, augendum decus, ad sui nominis cultusque amplitudinem, ac splendorem. Teque in primis alloqui liceat, qui præis cæteris dignitate, cui communia sunt cum cæteris omnium ornamenta virtutum, quemque cum intueor lectum in principem Ordinem purpuratorum Patrum, et in hac arce omnium gentium collocatum, venit in mentem, præ aliis in privata vitæ religiosæ consuetudine officiis sanctitatis et exemplis, illa firmitas, illud animi robur, cum in suprema Tui Ordinis Prefectura, ut Pii VII. Pontificis obsequereris mandatis, temet impavidum objecisti fluctibus nuperæ adversus Ecclesiam procellæ, nec itinerum asperitate fractus, nec minarum aut periculorum terrore victus ærumnas, probra, carcerem pertulisti, ne vel tantillum detrimenti caussæ gravitas, Pontificis dignitas et defensio, Ecclesiæ securitas, Tui ministerii fides, et honor pateretur; provido enim Dei consilio factum est, ut quasi miles exercerere ad pugnam pro Christi fide, quam ad hunc gradum eminentiæ evectus Dux postea et Imperator cum fortissimis Collegis strenue defenderes, atque propagares. Ex hisce igitur, quæ pro ingenii mei tenuitate, non pro Sacræ hujus Congregationis, et uniuscujusque Vestrum summa dignitate, proferre ausus sum, caussa cognoscitur, quæ me impulit, ut demisso æque ac lubenti animo vobis non dedignantibus postremum dicarem Illyrici Sacri Tomum, Vestrumque pro illius tutela exposcerem patrocinium. Nullum fortasse opus publicam lucem hactenus aspexit, in quo insignia Vestri Conventus in amplianda Catholica Fide facinora clarius eluceant, quam in Ecclesiastica historia Illyrici Justinianei. Si enim florentissimas olim religione, moribus, doctrina, tum potentia, fortitudine, rerum gestarum laude celeberrimas illas provincias quis mente inspexerit, & illatas postea bellis, regnorumque subversionibus calamitates ferme perpetuas, atque orthodoxæ Fidei in præsentia statum consideret, facile intelligit, divina omnia & humana in extremum ruitura exitium, nisi vigilantia, charitate, consilio, providentia illis assidue adesset Vestræ Congregationis sollicitudo. Prætereo Dalmatiam universam, cui Vestræ curæ advigilant nunquam interruptæ, & cujus exhibent conspectum tomi sex priores Operis ejusdem. At quæ novæ Epiri miserrima facies? de qua actum in tomo septimo; quis in hoc tomo Serbliæ & Bulgariæ squallor? antiquæ metropoles pæne

Digitized by Google

ne eversæ, sedes Episcopales e plurimis superstites paucæ, Pastores quotidianis objecti periculis, deserti greges, labascentes animæ, hinc schismaticorum odia & insidiæ, illinc hæreticorum perversitas circumstant, ubique fera dominatur, & inimica Christiano nomini barbaries. Stetit tamen, & stat adhuc captiva quidem, ac per varia loca dispersa, sed inviolata vera Religio, dum Vestræ consultationes & deliberationes non dico pervident, & comprehendunt omnia, sed percurrunt, quovis nisu tuentur, omni ope reficiunt; victa est prudentia ac lenitate feritas, constantia repressa adversariorum audacia, compositæ sapientia discordiæ de juribus, egestas liberalitate levata, fides erecta, mores restituti, Sacrorum cultus servatus legibus, decretis, pecuniis, inexaustis largitionibus Vestris; unde haud minor hac quoque in parte Vestri Conventus gloria est retinendo possessa, cum potestas abest eadem augendi. Cæterum, si dilatari quandoque contingat iis in regionibus Ecclesiæ fines, & hæc laus est Vestra, qui Episcoporum e sinu Congregationis delectu, qui Operariorum missu, qui per Apostolicos excursus nihil negligitis, quo Catholica Fides novas adepta sedes, novis aucta cultoribus in sua divina virtute glorietur, & de consiliorum, ac studiorum Vestrorum fructibus gaudeat. Etenim & illi & Vobis lætandum profecto est, eos, qui illic Vestris voluntatibus obtemperant, egregios pietate ac scientia viros nec torpere segnitie, nec debilitari laboribus, nec retro agi periculis, nec vi cedere ulla, ut per invia locorum, per asperrima montium, per inhospita terrarum de hæretico, aut schismatico hoste opima referant spolia, quod non raro scimus accidere, & Fidei victricis offerant majestati. Restat igitur, ut, quoniam begnignitate tanta hunc librum excipere dignamini, rerum a Sacra Congregatione per Illyricum nostrum gestarum testem, quam demississimas agam gratias, simulque profitear, unum in perficiendo grandi hoc opere præmium mihi fuisse propositum, unum solatium, ut cæptam ferme centum abhinc annis historiam Illyrici Sacri ad jussa illius, cui suberam, supremi Societatis Jesu Moderatoris absolverem, absolutam Divinæ gloriæ, Catholicæ Ecclesiæ decori, Illyricarum gentium utilitati consecrarem, & saluti sempiternæ. Utinam prope adsit aliquando tempus, cum longæ adeo, duræque servitutis disruptis vinculis respirent Illyricæ provinciæ, ac errorum & impietatis exsurgant e tenebris, lumen adspiciant veritatis, unique adhærentes Romanæ Sedi in illa Petra solidentur, quam nulla unquam quatere vis dæmonum, nulla ne commovere quidem potuit iniquitas. Quod boni omnes optaverunt, & optant, quod suspiriis eæ gentes avent & gemitibus, quod Vos ipsi a Deo parente salutis omnium enixe precamini, hoc Vobis intueri percupio. Incumbite, PRINCIPES EMINENTISSIMI, incumbite jam in eam curam, quæ tota est officii Vestri, & muneris, tendunt ad vos supplices manus Bulgaria & Serblia vix hiare audentes tristitia incredibili, tendunt Rascia & Epirus oculis amaro fletu suffusis, omnes

Ve-

Digitized by Google

Vestram opem exspectant, Vestrum auxilium, Vestram misericordiam implorant Vestris studiis ferventissimis præsto sunt sacra bella edocti hujus Congregationis Alumni, præsto veteranæ Dominici & Francisci cohortes, præsto ipsa Societas Jesu ejuscemodi assueta militiæ, ut vera Christi Fides, prostratis hostibus, amissum illarum gentium recipiat imperium, receptum pacate conservet, & in finitima regna continuis adaugeat victoriarum triumphis.



PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

TOmus octavus, ideoque postremus Illyrici Sacri, qui tandem in publicam lucem emittitur, provincias quatuor Ecclesiasticas Illyrici Justinianei comprehendit, utriusque scilicet Mœsiæ superioris & inferioris, tum Daciæ Aureliani, quæ in Ripensem & Mediterraneam dividitur, & Mœsiam primam seu superiorem complectebatur cum aliqua fortasse secundæ Mœsiæ particula, ac Dardaniam & Prævalitanam. Geographicam & civilem harum descriptionem habes in Tom. I. Post barbaricas in Romanum imperium irruptiones non solum immutati provinciarum fines fuerunt, sed & civilis status atque ecclesiasticus in plures partes discissus est, & varias in formas conversus; nomina ipsa regionum, vetustis abolitis, deprompta ab earum nationum appellatione, quæ in iis sedem fixere. Nulla tamen gens barbara in Illyricis hisce provinciis diu constitit, præter Serblos & Bulgaros, unde Serbliæ & Bulgariæ iis nomen inditum, & exortum Serblianum ac Bulgaricum regnum. Serbli, qui dimidio sæc. VII. concessu Heraclii Imp. hæc loca incolere cœperant, in quatuor partes sejuncti Bosnensis & Rasciani regni fundamenta jecere; quæ autem pars ab Occasu monte Scardo & Drino flumine, in Septemtrionem Danubio, Orientem versus finibus Bulgariæ, ad meridiem initiis montis Hæmi definitur, hæc proprie Serblia est, & hodie vocatur: hic inclusa Mœsia prima seu superior cum parte Daciæ ripensis; ut vero armorum vi sæpe contigit illud dilatari, hinc & in Dardaniam Serblianorum imperium quandoque invectum, ad ipsam prope Prævalitanam regionem. Dardania vetus olim Illyrici provincia, & a Mœsia prima sejuncta, a nonnullis Rascia esse dicitur, ab Rascia fluvio per eamdem labente novum nomen sortita, & est pars Serbliæ in Austrum obversa; sunt autem, qui eam Serbliæ partem, quæ Aquilonem spectat, Rasciæ vocabulo afficiant; nec desunt, qui Serbliæ Rasciæquæ vocabula pro synonimis habeant, neque alteram ab altera regione distinguant, decepti ritus Rasciani similitudine, qui æque in Serblia ac in Rascia ad rem sacram liturgicam vulgo adhibetur. Mihi autem probabilis opinio illa est, quæ Rasciam in Dardania constituit, ea saltem in parte, quam Serbli occupaverant, & pars Serbliæ meridiana ideo est appellata. Sed Bulgari, qui post Serblos in Romano imperio consedere, subacta Mœsia inferiore per Thraciam in Macedoniam, inde in Dardanos & Prævalitanos fines ingressi, & hostili furore late omnia depopulati sunt; moxque in provinciarum possessione obfirmati Bulgarico imperio initium & nomen dedere, quod Bulgariæ veteris appellatione potest designari. Stetit illud usque ad priores sæc. XI. annos; donec a Basilio Bulgaricida victi, attritique viribus, amisso regno, in Mœsia secunda effugium & sedem a victore impetrarunt. Restituto postea imperio sub exitum sæc. XII., aliis finibus Bulgariæ nomen & dominium constricta fuere; licet enim Thraciæ partem aliquam occupaverint, Bulgaria tamen, quam novam dicimus, intra Illyricum Justinianeum complexa est, hodieque tenet integram Mœsiam inferiorem cum Ri-

Digitized by Google

Ripensis Daciæ portione; quare terrarum quidquid a Danubii septemtrionali ripa in meridiem ad Hæmimontis radices & Thraciæ confinia procurrit, ac ab oriente sole & mare Pontico, seu verius Scythia Pontica ad occidentem distenditur jungiturque Serbliæ finibus, id totum Bulgariæ hodiernæ vocabulo debet intelligi; ut loca omittam, quæ vulgo in Bulgaria censentur, sed Illyrico nostro extrinseca. Atque hic Serbliæ & Bulgariæ prospectus, & veterum, quæ in iis continentur, regionum, quarumque per suas metropoles ecclesiasticam aggredior historiam. Sunt hæ, Scodra primum, cui jus contributum videtur in Prævalitanam Ecclesiam; etsi Epiri novæ princeps olim civitas fuerit, deque illa egimus in tom. VII. Prævalitana potius metropolis erat Achrida, seu Justiniana prima, ad Primatus honorem atque potestatem a Justiniano I. evecta, & sedes postea veteris Bulgarorum regni, & Bulgaricæ caput Ecclesiæ. In Dardania Scuporum urbs nobilissima eminet. Mœsia superior Sirmiensi in Pannonia cum Dacia Ripensi metropolitæ paruit, de quo actum in Tom. VII. Daciæ mediterraneæ præest Sardica nunc Sophia in Bulgaria; atque duas præ cæteris metropoles enumerat Mæsia inferior, Martianopolitanam ac Ternobensem sæc. XIII. exortam, & a Bulgaris institutam. De singulis tractandum; sed eo ordine, ut, eæ primum metropoles illustrentur, quæ ad Serblianum regnum pertinent, in Dardania Scopia, & Sardica in Dacia; tum de iis, quæ in Bulgariæ regno seu continebantur olim, seu continentur, nimirum de Marcianopolitana Ecclesia in Mæsia secunda, mox de Achridensi in provincia Prævalitana, quæ necessario cum Ternobensi in eadem Mæsia inferiori debet conjungi, quippe unam post antiquatam Justinianam primam effecerint Bulgaricam Ecclesiam. Atque hic singularum Metropoleon, simulque totius voluminis subjicio conspectum, inde Scopiensis Ecclesiæ historiam primum tractaturus.



CON-

Digitized by Google

CONSPECTUS

HUJUS VOLUMINIS.

ECCLESIA SCOPIENSIS.

ARCHIEPISCOPI SCOPIENSES.

347. I. Paregorius pag. 4.
451. II. Ursilius. ibid.
492. III. Joannes. 5.
553. IV. Benenatus. 17.

EPISCOPI SCOPIENSES.

1298. I. Joannes II. 18.
1327. II. Joannes III. ibid.
1351. III. Fridericus 19.
an. inc. IV. Hermannus. ibid.
1400. V. Antonius ibid.
1518. VI. Benedictus. ibid.
1553. VII. Stephanus. ibid.
1571. VIII. N. ibid.
an. inc. IX. Franciscus. 20.

ARCHIEPISCOPI SCOPIENSES ITERUM.

1649. X. Hyacinthus. ibid.
1656. XI. Andreas. ibid.
1677. XII. Petrus. 21
1690. XIII. Daniel ibid.
1701. XIV. Petrus II. ibid.
1728. XV. Michael. ibid.
1748. XVI. Joanne Baptista. ibid.
1753. Thomas. ibid.
1758. XVIII. Matthæus. 22.
1815. XIX. Matthæus II. 23.

EPISCOPI SUFFRAGANEI

METROPOLIS SCOPIENSIS

EPISCOPI NAISSITANI.

an. inc. I. Cyriacus. 32.
347. II. Gaudentius. 33.
380. III. Bonosus. 34.
390. IV. Martianus. 38.
451. V. Dalmatius. 39.
516. VI. Gajanus. ibid.
553. VII. Projectus. 40.

EPISCOPI STALIENSES.

533. Phocas unicus. pag. 40.

EPISCOPI ULPIANENSES.

347. I. Macedonius. 41.
553. II. Paullus. ibid.

EPIPCOPI ZAPPARENSES.

553. Sabinianus unicus. ibid.

APPENDIX

AD ECCLESIAM SCOPIENSEM

DE PATRIARCHATU IPECHIENSI

ECCLESIA SERBIENSIS.

ARCHIEPIPCOPI SERBIENSES.

an. inc. I. S. Sabbas. 44.
1280. II. Predislavus. 48.

PATRIARCHÆ SERBIENSES.

an. inc. I. Daniel. 49.
1353. II Joannichius. ibid.
1365. III. Sava. 50.

PATRIARCHÆ IPEKIENSES.

an. inc. I. N. 60.
1436. II. Teophanes. ibid.
an. inc. III. Maximus. 61.
1565. IV. Macarius. ibid.

Digitized by Google

an. inc. V. Gabriel. *ibid.*
an. inc. VI Maximus II. intrusus. *ibid.*
1611. VII. Athanasius. 62.
an. inc. VIII. Gallinicus. *ibid.*
an. inc. IX. Arsenius. *ibid.*
1727. X. Moyses. *ibid.*
an. inc. XI. Arsenius II. *ibib.*
an. inc. XII. Joannes intrusus. 63.
an. inc. XIII. N. *ibid.*
an. inc. XIV. N. *ibid.*

ALIA SERIES IN ADDENDIS POST ARSENIUM.

1708. X. Elias. 249.
1711. XI. Sophronius. *ibid.*
1715. XII. Vincentius. *ibid.*
1724. XIII. Moyses. *ibid.*
an. inc. XIV. Vincentius II. *ibid.*
1737. XV. Arsenius II. *ibid.*
1748. XVI. Isaias. *ibid.*
an. inc. (XVII. Oaulus. *ibid.*
an. inc. (XVIII. Joannes. *ibid.*
an. inc. (XIX. Vincentius III. *ibid.*
an. inc. (XX. Moyses II. *ibid.*
1790. XXI. Stephanus. *ibid.*

ECCLESIA SARDICENSES ET SOPHIENSIS.

EPISCOPI SARDICENSES.

316. I. Protogenes. 65.
431. II. Julianus. 67.
457. III. Zosimus. *ibid.*
516. IV. Domnio. *ibid.*
an. inc. V. Basiliscuz. *ibid.*
596. VI. Felix. 68.

EPISCOPI SOPHIENSES.

1600. I. Petrus. 69.
1623. II. Elias. 71.

ARCHIEPISCOPI SOPHIENSES.

1642. I. Petrus II. 72.
1675. II Paullus. 74.
1677. III. Stephanus. *ibid.*
1715. IV. Paullus II. 75.
1723. V. Marcus. *ibid.*
1748. VI. Nicolaus. *ibid.*
1753. VII. Benedictus. 76.

VICARII APOSTOLICI SOPHIENSES.

1758. I. Joseph. *ibid.*
1767. II. Georgius. *ibid.*
1771. III. Paullus. *ibid.*
1777. IV. Petrus. *ibid.*
1796. V. Nicolaus. *ibid.*
1817. VI. Andreas. *ibid.*

EPISCOPI SUFFRAGANEI

ECCLESIÆ SARDICENSIS

EPISCOPI PAUTALIOTÆ.

an. inc. Evangelus unicus. 77.

EPISCOPI REMESSIANENSES.

398. I. S. Nicetas. *ibid.*
449. II. Diogenianus. 84.

ECCLESIA MARCIANOPOLITANA

EPISCOPI MARCIANOPOLITANI.

325. I. Petrus. 92.
360. II. Domninus. 93.
381. III. Martyrius. *ibid.*
394. IV. Epagathus. *ibid.*

ARCHIEPISCOPI MARCIANOPOLITANI.

430. V. Dorotheus. 93.
435. VI. Saturninus. 102.
458. VI. Valerianus. *ibid.*

INTERREGNUM ARCHIEPISCOPALE.

1040. VIII. Leo. 103.

INTERREGNUM ARCHIEPISCOPALE ALTERUM.

1204. IX. N. *ibid.*

INTERREGNUM ARCHIEPISCOPALE TERTIUM.

1642. X. Marcus. 104.
1709. XI. Joannes Vincentius. *ibid.*

EPI-

EPISCOPI SUFFRAGANEI METROPOLIS MARCIANOPOLITANÆ.

EPISCOPI NICOPOLITANI.

851. I. Marcellus. 106.
518. II. Amantius. ibid.
1400. III. Franciscus. 107.
1412. IV. Ivo. ibid.
an. inc. V. Venceslaus. 108.
1437. VI. Hugo. idib.
1518. VII. Albertus. ibid.
1544. VIII. Franciscus II. ibid.
1616. IX. Philippus Stanislaus. 109.
1683. X. Albertus II. ibid.
1753. XI. Nicolaus. ibid.
1776. XII. Paullus. ibid.
1811. Fortunatus Maria. 110.

EPISCOPI ABRITENSES.

452. I. Marcianus. ibid.
487. II. Ursus postremus. ibid.

EPISCOPI APPIARIENSES.

403. I. Lupicinus. ibid.
458. II. Martialis postremus. 111.

EPISCOPI AXIOPOLITANI.

an. inc. S. Cyrillus unicus. 112.

EPISCOPI COMEENSES.

325. Marcus unicus. ibid.

EPISCOPI DOROSTORENSES.

an. inc. I. S. Dasius. 116.
331. II. Jacobus. 121.
458. III. Monophilus. 122.

EPISCOPIS NOVENSES.

431. I. Petronius. 123.
448. II. Secundinus. ibid.
458. III. Petrus. ibid.
597. IV. N. ibid.

EPISCOPI ODYSSI.

an. inc. I. S. Ampliatus. 124.
an. circ. 93. II. Phileas. ibid.
458. III. Dittas. ibid.
518. IV. Joannes. 125.
787. V. Leo. ibid.
879. VI. Basilius. ibid.

EPISCOPI SEXANTAPRISTENSES.

an. inc. Polycarpus unicus. ibid.

EPISCOPI SUGDÆENSES.

an. 787. Stephanus unicus. 126.

APPENDIX.

De S. Dionysio Russorum Apostolo. ibid.

EPISCOPI TIBERIOPOLITANI. 128.

EPISCOPI DIONYSOPOLITANI SEU VARNENSES.

an. inc. I. Joannes. 130.
1393. II. Nicolaus. ibid.
an. inc. III. Antonius. ibid.
1398. IV. Antonius II. ibid.
1491. V. Nicolaus II. 131.
1493. VI. Joannes II. ibid.
1494. VI. Corradus. ibid.

APPENDIX

DE ECCLESIA TOMITANA

EPISCOPI TOMITANI.

290. I. Evangelicus. 135.
325. II. N. 136.
371. III. S. Britanio. ibid.
381. IV. Gerontius. ibid.
390. V. S. Theotimus. 137.
431. VI. Timotheus. 138.
440. VII. Joannes. ibid.
449. VIII. Alexander. ibid.
458. IX. Theotimus II. ibid.
519. X. Paternus. 139.
548. XI. Valentinianus. 140.

EPISCOPI BELGRADENSES, SEMANDRIENSES, ET VIDINENSES.

EPISCOPI BELGRADENSES.

an. inc. I. N. 146.
1419. II. Gregorius. ibid.
1420. III. Matthæus. 147.
an. inc. IV. Nicolaus. ibid.
1429. V. Blasius Joannes. ibid.
1525. VI. Nicolaus Joannes. ibid.
1615. VII. Petrus. ibid.
an. inc. VIII. Marinus. 148.
1650. IX. Matthæus II. ibid.
an. inc. X. Lucas. 150.
1755. XI. Stephanus. 151.

EPI-

Digitized by Google

EPISCOPI SEMANDRIENSES.

1544. I. Blasius. 152.
1551. II. Cornelius. ibid.
an. inc. III. Nicolaus, ibid.
1605. IV. Stephanus. 153.

EPISCOPI BELGRADENSES ET SEMANDRIENSES.

1741. I. Antonius. 251.
1755. II. Stephanus. 252.
1775. III. Antonius II. 253.
1797. IV. Nicolaus. 254
1801. V. Joseph. ibid.
1807. VI Alexander. ibid.
1815. VII. Stephanus II. ibid.

EPISCOPI BIDINENSES.

an. inc. I. N. 156.
1423. II. Joannes Blasius. ibid.
1431. III. Michael Martinus. ibid.
an. inc. IV. N. ibid.
1498. V. Georgius. ibid.

ECCLESIA ACHRIDANA.

EPISCOPI LYCHNIDENSES.

347. I. Zosimus. 158.
449. II. Antonius. 159.
492. III. Laurentius. ibid.
519. IV. Theodoretus. 160.

ARCHIEPISCOPI JUSTINIANÆ PRIMÆ.

335. I. Castellio. 162.
592. II. Joannes. 171.

ARCHIEPISCOPI ACHRIDANI GRÆCI.

870. I. N. 183.
880. II. Clemens. 192.
an. inc. III. Damianus. 195.
an. inc. IV. Germanus. 196.
an. inc. V. David. 197.
an. inc. VI. Philippus. 198.
an. inc. VII. Joannes. ibid.

ARCHIEPISCOPI ACRIDANI LATINI.

1320. I. Nicolaus. 199.
1517. II. Matthæus. 200.
1647. III. Raphael. ibid.
1651. IV. Andreas. 201.
1657. V. Franciscus. 202.

EPISCOPI SUFFRAGANEI METROPOLIS ACHRIDANÆ LATINÆ.

EPISCOPI PRISRENSES.

an. inc. I. Petrus. 204.
1660. II. Franciscus. 205.
an. inc. III. Felix. ibid.
1705. IV. Joseph Antonius. ibid.

ECCLESIA TERNOBENSIS.

EPISCOPI DEBELTI POSTEA ZAGORENSES.

an. inc. 173. I. Ælius Publius Julius. 207.
431. II. Athanasius. ibid.
448. III. Jovinus. ibid.
787. IV. Eustratius. 208.
812. V. S Georgius. ibid.
879. VI. Symeon. ibid.
1186. VII. Basilius. 209.

ARCHIEPISCOPI TERNOBENSES.

1202. I. Basilius. 210.
1217. II. N. 230.

INTERREGNUM ARCHIEPISCOPALE.

1270. III. Joachimus. 238.

INTERREGNUM ARCHIEPISCOPALE.

1430. IV. Ignatius. 244.

EPISCOPI SUFFRAGANEI METROPOLIS TERNOBENSIS.

EPISCOPI BELESBUGDENSES.

1072. Nicephorus unicus. 246.

AR-

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPI BELESBUGDENSES.

1204. N. unicus. *ibid.*

EPISCOPI BRANDIZUBERIENSES.

1202. Blasius unicus. *ibid.*

ADDENDA ET CORRIGENDA. 249.

APPENDIX.

De responsis Nicolai I. P. ad Consulta Bulgarorum, & de Simeone rege Bulgariæ. 256.

MARTYROLOGIUM ILLYRICUM. 284.



Digitized by Google

ARCHIEPISCOPATUS ET EPISCOPATUS

Qui in hoc Tomo continentur.



ARCHIEPISCOPATUS SCOPIENSIS.

SUFFRAGANEI EPISCOPATUS METROPOLIS SCOPIENSIS.
NAISSITANUS, STALIENSIS, ULPIANENSIS, ZAPPARENSIS.

APPENDIX AD METROPOLIM SCOPIENSEM, IN QUA PATRIARCATUS IPECHIENSIS.

ARCHIEPISCOPATUS SARDICENSIS ET SOPHIENSIS.

SUFFRAGANEI EPISCOPATUS METROPOLIS SARDICENSIS,
PAUTALIOTA, REMESSIANENSIS.

ARCHIEPISCOPATUS MARCIANOPOLITANUS.

SUFFRAGANEI EPISCOPATUS METROPOLIS MARCIANOPOLITANÆ.
NICOPOLITANUS, ABRITENSIS, APPIARIENSIS, AXIOPOLITANUS.
COMEENSIS, DOROSTORENSIS, NOVENSIS, ODYSSEUS, SEXANTAPRISTENSIS, SUGDÆENSIS, TIBERIOPOLITANUS, DIONYSOPOLITANUS SEU VARNENSIS.

APPENDIX AD METROPOLIM MARCIANOPOLITANAM, IN QUA EPISCOPATUS TOMITANUS.

EPISCOPATUS INCERTÆ METROPOLIS.
BELGRADENSIS, SEMANDRIENSIS, BIDINENSIS.

EPISCOPATUS LYCHNIDENSIS, EX QUO.
ARCHIEPISCOPATUS JUSTINIANÆ PRIMÆ ET ACHRIDANUS.

SUFFRAGANEI EPISCOPATUS METROPOLIS ACHRIDÆ,
PRISRENSIS.

EPISCOPATUS DEBELTI ET ZAGORENSIS, EX QUO ARCHIEPISCOPATUS TERNOBENSIS.

SUFFRAGANEI EPISCOPATUS METROPOLIS TERNOBENSIS,
BELESBUGDENSIS, BRANDIZUBERIENSIS.



EC-

Digitized by Google

ECCLESIA
SCOPIENSIS

ARCHIEPISCOPI SCOPIENSES.

Scopiæ situs & descriptio.

IN Dardania, seu Rascia hodierna, quæ pars olim exstitit Mœsiæ superioris, ubi populi Dardani, novis postea imperii & Illyrici divisionibus peculiaris provinciæ nomen & jus sortita, Scupi plurali numero a Trebellio Pollione appellata urbs inter vetustiores Illyricas celebratur; a Ptolomæo lib. 3. Mœsiæ superioris civitas dicitur, Dardania nondum inde divulsa. Scopiam nominant Græci Latinique Scriptores, communi ad hæc usque tempora vocabulo. Ad Axium fluvium sedet, cui nunc *Vardar* nomen, unde modice per declivia Orbeli, qui Dardaniam, non Thraciam, nec Mœsiam superiorem, uti quidam, scriptores errarunt, sed Macedoniam sejungit, & leniter assurgens camporum planitiem prospicit millia passuum triginta in longum protensam, in latum mille passus quindecim. Mons in descensu amœnis circum collibus cingitur, ubi pagi, vicique plurimi, quos incolunt Serbliani culturæ agrorum sollerter addicti, & ubertate allecti frugum adeo copiosa, ut campestria illa vulgo mollis Cereris & Bacchi lectulus nuncupentur. Axius campos interfluit, auctus aliorum fluminum aquis; eique pons impositus visitur miræ pulchritudinis & magnificentiæ, quatuordecim innixus arcubus tanta mole exstructis, ut intuentium oculi obstupeant, & quisquis facile intelligat regium illud esse opus, & a Turca Imperatore erectum; sed impetu tumentium aquarum quinque fornices pœne diruti nunc ligneis fulchris ac trabibus sustentantur. Echardus in tomo 1. Scriptorum Ord. Prædicat. in Indice Episc. Scopiam cum Scopelo Thraciæ urbe sub Metropolita Hadrianopolitano confundit; inde enim distat longe Dardania, quæ nunquam externis paruit Metropolitis, & uni Scopiensi fuit subjecta. Est quidem in Thessaliæ finibus oppidum Scupium; hoc nonnulli cum Scopia Dardana idem esse opinati sunt, quacum revera nihil habet commune. Sunt, qui gravius errant, putantes Scopiam unam esse cum Sophiensi civitatem; & Bonbardius in Topographia Hung. minus recte affirmat esse illam in finibus Macedoniæ, qui Orbeli interjectu a Dardanis, ubi Scopia, disjunguntur. Fuit hæc urbs Dardaniæ princeps; claruit in Romano imperio armis & opibus; ac loci opportunitate, qua in Mæsias, & Thraciam & Macedoniam aditus patet, plures illam appetivere; Bulgari in primis, ubi Samuel rex insigni clade affectus est a Græcis & inde expulsus. A Græcis ad Serblos transiit, adeoque Neemaniæ regi placuit pulchritudine, amœnitate situs, validoque munimine, ut eo regiam sedem transtulerit; quin & Turcis ea visa est, quæ merito illustri in Serblia Præfectura ornaretur. Cum enim Mehemetes I. iis provinciis potitus esset, Scopia subiit utique barbarorum captivitatem, & tyrranidem hactenus experitur; sed dignitate cæteris urbibus præstat; in qua Turca Præfectus imperat, & latissima jurisdictione dominatur. Ut vero mœnibus olim circumsepta fuit & præaltis aggeribus protecta, nunc contra apertum cuipiam ingressum præbet, & hostium, siqui aggressionem tentarent, insultibus objecta est. Civium & advenarum, ac mercatorum numero frequentissima ad octo domuum millia quæstuosis artibus floret; & Asianas colonias eo a Mehemete I. missas ferunt; sed per hyperbolen dictum existimo, Germanos milites, qui an. 1689. victricia Leopoldi I. signa in Serbliam intulerant, duce Piccolomineo, narrasse postea, Scopiam sua amplitudine posse Pragensi Bohemiæ metropoli æquiparari; ita Itinerar. Gallicum apud Bonbardium pag. 288.

Diximus in 1. Tomo Dardanos a D. Apostolo Matthia fuisse Christiana religione imbutos, quam alii deinde Apostolici viri excoluerunt. Ad ea igitur tempora referri debent initia Scopiensis Ecclesiæ; etsi ad IV. usque sæc. & ad Nicænum Concilium vetera sileant de illa monumenta; & qui cum Nicænis Patribus Arium damnavit, Episcopus Scopiensis primus esse nequit qui huic urbi præfuerit. Quin metropolitico jure pollebat in Dardaniæ provincia, in qua Scopia unice civili honore alias urbes visa est antecellere. Sæculo quidem v. inter metropoles ecclesiasticas locum tenuit; & omnino falsam asserimus sententiam tum Echardi, tom. 1. Script. Ord. Prædic. qui Ha- Ecclesiæ Scopiensis, initia, jura & vices.

Digitized by Google

drianopolitanæ in Thracia, tum Bonbardi, qui Præslabensi in Bulgaria metropoli illam subjecere, contra atque censent Ecclesiastici Scriptores, in primis Carolus a S. Paullo, Holstenius, Pagius & Lequienius, e quibus præterea discimus, quot olim Episcopales Ecclesias rexerit metropolitica potestate, Naissitanam Zapparensem & Diocletianensem ac Ulpianensem; sed Pautaliensem Episcopatum, qui Scupis contribuitur, rectius Sardicæ adjudicandum putamus, licet aliter Carolo visum fuerit. Singidunensem Ecclesiam subjecimus metropolitæ Sirmiensi in Tomo VII. Sed Castoriensem, Melesobensem, & Moglenorum Episcopos, quos in Dardania collocat Lequienius, utpote a Schismaticis & sequiori ævo iis in urbibus instituti, omnino hinc expungimus; ac de Ecclesia Apsori vel Absari, quam idem auctor in Dardaniæ provincia dubius adjunxit cœteris, in additamentis ad integrum hoc opus disseremus. Ut vero res Christiana, & cum Romana Ecclesia communio quovis viguit tempore, & adhuc viget; ita & metropolitana dignitas atque jurisdictio, si quædam excipias temporis intervalla, de quibus paulo inferius; sed a Rascianis Schismaticis sæpe oppugnata utraque & afflicta fuit, præsertim cum reges Serbliæ a Romana Sede fœdissime discessionem fecere, uti suo dicendum loco, & plura jam diximus in Ecclesia Antibarensi; ubi pag. 16. Tomo 7. Metropolim illam fuisse, jure assertum est; verum pro temporum conversionibus, ac civilis regiminis crebris vicissitudinibus contigit, ut Archiepiscopatus Scopiensis iisdem foret obnoxius. Nam in tabulis Consistorialibus sæc. XIII. Electus Scopiensis nominatur solummodo *Episcopus*, & quidem *in partibus Infidelium*; iisdemque in tabulis an. 1316. Episcopatus Scopiensis, dicitur *immediate subjectus Ecclesiæ Romanæ*. At in Catalogis recentioribus Ecclesiarum rursum censetur inter Metropoles, sed nullos habet, qui ei pareant, Episcopos. Martinus Szentivanius *in catalogo Episcopatuum Extravagantium sub Corona Hungariæ* „ Ecclesia Scopiensis, ait, in Scopia urbe „ Serviæ olim erat Sedes Episcopalis „ (antequam scilicet ex ordine Archiepiscopali descenderat) „ sed postea erecta est in „ Metropolitanam sub titulo S. Annæ; cu„ jus tamen titulus nunc confertur a re„ gibus Hungariæ tanquam Serviæ regi„ bus „; ac tum Archiepiscopis Strigoniensibus paruit aliquo tempore fortasse quod alibi notabimus. Cum Justiniana prima Primatum in Illyrico Occidentali adepta est, Justiniani I. Imp. opera, intra suæ jurisdictionis fines & Dardaniam cum metropoli Scopiensi continuit. Sublata Justinianæ potestas an in Achridanum Archiepiscopatum transierit, dubitare licet, tum præcipue, cum Bulgarorum Ecclesiæ & regni caput effecta est. Postea Antibarensi instituta metropoli, eidem Serbliæ Primatus fuit auributus, cui proinde Dardania seu Serbliæ pars, & Ecclesia Scopiensis hoc jure subjecta perhibetur; vide dicta tomo VII. pag. 16. Hodiernus Archiepiscopatus hujus prospectus est hujusmodi. In urbe nullus latini ritus cultor, Ecclesiæ Latinorum nullæ. Tres in diœcesi pagi, Jacovensis, Iajevensis, & Prisnensis, qui cœteris præstat; in iis Catholici fere omnes; jurisdictio vero Archiepiscopalis Pechium usque extenditur; ibique constituta parœcia Latina haud infrequens, & probe culta.

Nunc de iis, qui hanc Ecclesiam vexere, tractationem incipio; de quibus antequam dicam, Martyrum in Dardania paucorum historia describenda est.

SS. Martyres in Dardania Proculus, Maximus, Florus & Laurus.

In Dardana Ecclesia qui Christianæ fidei veritatem effuso pro illa sanguine confirmaverint, vix reperias inter Ecclesiæ Fastos; nec dubitandum est, quin plurimi fuerint in hac Illyrici provincia, cum in tota Illyrica diœcesi tum Orientali, tum Occidentali Tyrannorum adversus Chrirtianos furorem desæviisse crudelius certum sit. Coluntur quidem a Græcis & a Latinis quatuor martyres fortissimi die Augusti XVIII. quorum nomina Florus, Laurus, Proculus, & Maximus, quibus adjuncti socii plures; verum Hagiologia nullam loci, ubi martyrium fecere, notam apponunt; martyrologium Romanum eos Illyrico tantummodo attribuit; acta tamen illustris certaminis & Dardaniam nominant, & in ea Ulpianum urbem, ubi perempti sunt. Joannes Pinius Hagiologus Antuerpiensis dicta Augusti die testatur, quinque a se visa esse Actorum exemplaria; quatuor rejicit; quintum e Codice Ambrosianæ Bibliothecæ exscriptum, quod martyrium horum Divorum continet Græca lingua enarratum a quodam Laurentio monacho Rutiensi in Calabria, in linguam latinam conversum hic exibuit; sed neque illud probatæ fidei esse affirmat, quippe cui plura insint aut dubia, aut apocripha; idemque Dardaniam & Ulpianum nominat locum martirii.

In hac igitur ambiguitate, quonam in loco sanctissimi martyres decertaverint, cum de Illyrico Baronii auctoritas non sit spernenda, de Dardania Illyrici provincia videatur probabile Actorum testimonium, quod abest a duobus Vaticanis exemplaribus, a Florentino, & Vindobonense, memorata tamen Dardaniæ regione, hic arbitror, illos pro Christo vitam fudisse, fortasse etiam Ulpiani; ne vero erraverim, si

Digitized by Google

si Ulpianam urbem & Ecclesiam ab iis martyribus illustratam fuisse certo definiam, in Scopiensis metropolis historia, quæ Dardaniæ caput est, & Ulpiano finitima, censui de illis disserere. Ac primo illorum patria ignota est; lapicidæ dicuntur in actis, Proculus & Maximus artis magistri, a quibus Florus, & Laurus illam edocti; Baronius in martyrologio Romano eorum martyrium hisce enunciat; *in Illyrico sanctorum martyrum Flori & Lauri artis lapicidinæ, qui consumptis martyrio eorum magistris Proculo & Maximo sub Licinio Præside post multa tormenta in profundum puteum sunt demersi;* atque eadem fere enarrat Galesinius. Porro Græca Menæa & Synaxaria, omissis Proculo & Maximo, Florum & Laurum unice celebrant, quorum solemnior erat cultus in Græcis Ecclesiis præcipue Constantinopoli; eosque fratres geminos perhibent fuisse, Menologium scilicet Sirleti, Synaxarium Sirmondi, Martyrologium Arabicum, Menæum Chiffletii, & Taurinense ms. apud Bollandistas; & in Menæis magnis excusis

Flori & Lauri acta.

Florus simul Laurusque martyrii siti
Puteum petunt; caduntque pro Verbo Dei
Cum Floro puteum Laurus simul ambo
subintrant.

In puteum vero demersio genus illud martyrii est, quod præter acta laudata describitur hac die in Menologio Basilii Imp.

Erant fratres gemini, arte lapicidiæ. Postquam vero eorum magistri martyrio essent perfuncti pro Christo, relicta commoratione Constantinopolitana in Illyricum pervenerunt, ubi fodinas quasdam apud præsidem indagantes exercebant artem suam. Deinde ab ipso dimittuntur ad Licinium, a quo pecuniam accipiebant, ut idolis templum erigerent. Verum pecuniam quidem dedere pauperibus, templum autem elaborarunt; quod dum absolutum esset, idolis confractis, illud in honorem Christi consecrarunt. Licinius re comperta, eos injecit in profundum puteum, in quo animas Deo tradidere.

Assemanus tomo 6. de Kalend. univ. Eccl. exhibet die XVIII. Aug. Codices Ruthenicos e Vaticana, & suum Slavicum; in quibus est, *Flori & Lauri martyrium;* Kalendarium Moscoviticum habet, *martyrum Flori & Lauri;* Ephemerides Græcæ metricæ

Cum Lauro Florus decima octavaque necatur; reliqua vero ex actis collegit.

Hujus templi constructio, cujus & Acta Ambrosiana meminere, profecto illicita erat Christianis hominibus; præseferebat enim veræ religionis contemptum, & in Deorum cultum externam saltem obsequii testificationem; pretii autem oblati in pauperes erogatio, & destruendi postea idola cogitatio, & intentio, quam difficillime essent assecuturi, speciem habent excusationis, non justam facti excusationem. Ego rem aliter arbitror accidisse, quam per ora vulgi traductam, & ut fieri assolet, diverse narratam, & fabulis inspersam, atque auctam nonnulli postea scriptis improvide imprudenterque consignarunt. Ipsa actorum in singulis codicibus varia narratio, tot figmentis ac nugis referta Pinio judice, profecto evincit, nihil certi de gestis horum martyrum posse constitui. Immo nec tempus martyrii tuto licet affirmare. Procul & Maximus, a quibus Laurus & Florus lapidicinam didicere, sub Adriano Imp. passi sunt, ita in actis Vaticanis a Pinio citatis; hinc sæculi secundi initio, quo Adrianus regnare cœpit, mortem oppetierunt; at quis ferat, Laurum & Florum discipulos sub Licinio Imp. ac sæculo tertio, & centum fere post annos obiisse? quod legitur in actis Ambrosianis; quis præterea Licinius iste Imp. cui Elpinia conjux, quique Adriano *non multis elapsis temporibus*, in imperium successit? quippe inter Adrianum & Licinium supra viginti Imperatores Romanæ reipublicæ præfuerunt; & alius de Licinio error deprehenditur a Pinio in Menologio Slavo Russico, cum Licinii cæptam persecutionem affigit an. 315. etenim ad an. 319. est referenda. Quid in hac facti obscuritate & actorum contradictione sit decernendum, nemo sane videt; unica tamen superest verisimilior conjectura, imperante Adriano, Maximum & Proculum martyrio affectos fuisse, uti Vaticana exemplaria ferunt paulloque post Laurum & Florum, non equidem sub imperio Licinii, qui falso in acta introditur, sed Licinio Dardaniæ Præside, qui a Baronio, vel Lycone, qui in actis Ambrosianis nominatur.

Tempus martyrii.

Hisce alii adjunguntur martyres socii in fastis Grecis, sed in Latinis omissi, ii nimirum pauperes, queis Laurus & Florus pecuniam a Licinio acceptam elargiti sunt, & adjutoribus usi ad idola novi templi evertenda, propterea a Licinio enectis, inquiunt acta Ambrosiana. Sed & Menologium Sirleti illos commemorat igne pro Fide absumptos; *Eodem die sancta pauperum multitudo quæ, idolis confractis, igne consummata est;* & Menæum Chiffletianum, ac Menæa magna typis edita.

Viri reperiunt pauperes magnas opes,
Quando relinquunt corpus in rogo suum.

Corpora Sanctorum Lauri & Flori detecta sub Constantini M. imperio Constantinopolim abducta fuisse, nos docet Menologium Basilianum; utinam & inventionis locum indicasset, ex quo argueremus, ubi

Reliquiarum inventio, & cultus.

palmam martirii obtinuerint. *Tempore Constantini Magni manifestatæ eorum reliquiæ pretiosa Constantinopolim abducta sunt, & in loco, in quo nunc requiescunt, deposita;* in monasterio scilicet sanctissimi Salvatoris Omnipotentis, teste Synaxario Ms. Sirmondi.

Peragitur autem eorum solemnitas in sanctissimo eorum oratorio, quod est prope venerandum templum S. Apostoli Philippi, & in sanctissimo monasterio Salvatoris Christi omnipotentis, propterea quod translatæ illuc sunt sanctæ eorum reliquiæ; cui monasterium titulo Flori adhærebat, inquit Cangius in Constant. Christ. lib. 4., auctoritate Gregorii diaconi in vita S. Basilii junioris.

Archiepiscopi Scopienses.

I. Paregorius an. 347.
II. Ursilius an. 451.
III. Joannes an. 492.
IV. Benenatus an. 553.

Episcopi Scopienses.

I. Joannes II. an. 1298.
II. Joannes III. an. 1327.
III. Fridericus an. 1351.
IV. Hermannus an. inc.
V. Antonius an. 1400.
VI Benedictus an. 1518.
VII. Stephanus an. 1553.
VIII. N. an. 1571.
IX. Franciscus an. inc.

Archiepiscopi Scopienses iterum.

X. Hyacinthus an. 1649.
XI. Andreas an. 1656.
XII. Petrus an. 1677.
XIII. Daniel an. 1690.
XIV. Petrus II. an. 1701.
XV. Michael an. 1728.
XVI. Joannes Baptista an. 1743.
XVII. Thomas an. 1753.
XVIII. Matthæus an. 1758.
XIX. Matthæus II. an. 1815.

PAREGORIUS ARCHIEPISCOPUS SCOPIENSIS I.

Paregorius Arch. Scopiensis an. 347.

An. 347. subscriptus Canonibus Synodi Sardicensis, *Paregorius a Dardania de Scupis*, tum ejusdem Synodicæ epistolæ ad Julium P. *Paregorius a Dardania de Scupis*, & alteri encyclicæ ad omnes Episcopos, *Paregorius*.

URSILIUS ARCHIEPISCOPUS SCOPIENSIS II.

Ursilius Arch. Scopiensis an. 451.

Erat Dardaniæ metropolita an. 451., cum Leo Augustus ad omnes Orientis Episcopos & ad Dardanos litteras encyclicas scripsit de nece S. Proterii Alexandrini, & sacrilego in eum facinore Timothei Æluri, qui illius Sedem invaserat; tum quod illorum judicium, quid de Chalcedonensi Concilio sentiendum foret, sciscitatus est; Timotheus enim Chalcedonensium Patrum fidem & decreta impie rejecerat, & obstinate oppugnabat. Respondit Ursilius Leoni, & Synodica epistola Catholicum dogma confirmavit; hanc exscribo ex tomo 4. Concil. Venetæ edit. Coletianæ.

Ejus ad Leonem Imp. epistola synodica.

Domino piissimo & invictissimo atque Christianissimo, perpetuo Augusto, imperatori Leoni, Ursilius, Dalmatius & Maximus vestræ Dardaniæ episcopi.

Et agnovimus & invenimus in (1) *lectione imperii vestri, Salvatoris Dei juditium, & quia virtute sua cunctas regno vestro subdidit barbaras nationes & per vos ejus pietas firma inviolabilisque consistit, & ut nemo præsumat apud pium Imperatorem aliquid iniquum petulantia scelerata suggerere: quia sicut in sua pace omnia divina consistunt, ita nihil Sacramentorum Dei per fidem tranquillitatis vestræ humana varietate mutantur. Quid enim ita præceps est, aut sic impium poterit judicari quam credere pietatem fidei terminis apostolicis communitam inumerabilibus & Sacerdotibus omnibus Sanctarum Scripturarum testimoniis roboratam, nec non & decreti Nicæni Chalcedonensisque concilii juditio confirmatam inanibus & profanis præsumptionibus posse violari, dum ad omnem perfectionem catholicæ fidei sapientissimi Salomonis doctrina sufficiat? Ait enim* Sentite de Domino in bonitate, & in semplicitate cordis quærite eum. *Quid ergo pessima calliditate nequitia faciet, cui ultra bonitatem nequaquam licet excedere? Sed, sicut ostenderunt litteræ meæ humilitati directæ, hæc Timotheus respuisse dignoscitur, qui Episcopatum ambiens Episcopi morte percepit; quapropter aliorum scelus ejus ruina factum est; & in fraterno concilio non vocatur, quando fratris necator esse cognoscitur; utique a reverendæ memoriæ Proterie, quantum ad fidem ejus, in nullo læsus. Cujus tali morte hic ordinatus, vestræ tranquillitatis juditio nullum poterit ejus gradus habere robur. Igitur religio vestræ pietati comissa ab æterno Deo, invictissime principum, conservetur: ejus clementia imperium, quod vobis collatum est, in omni gloria longa ætate muniatur. Et sicut vestra mansuctudo divina propitiatione continuis temporibus custoditur, sic & Sacra mysteria nullorum scelestis presumptionibus vulnerentur, sed pietatis vestræ laboribus pax mundo collata in sua soliditate intransgressibili pietate servetur. Ursilius Episcopus Dardaniæ, incolumem tranquillitatem tuam pro pace mundi & catholicis Ecclesiis, multis annis virtus*

Digitized by Google

tus aterna custodiat, domine piissime, & invictissime, perpetue Auguste.

2 *Dalmatius Episcopus (2) Nentinæ similiter.*

Maximus Episcopus Diocletianensis similiter.

N O T Æ.

1 (1) al. *in electione.*

2 (2) de Nentina civitate & Dalmatio Episcopo vide Ecclesiam Naissitanam.

JOANNES ARCHIEPISCOPUS SCOPIENSIS III.

Joannes Archiep. Scopiensis an. 492.

Erat huic Ecclesiæ præpositus, cum Orientis provinciæ schismate Acaciano, cujus habes historiam tomo 2. pag. 129. turbatæ & afflictæ contrariis scindebantur in partes; neque Pontificis Romani Felicis III. lata in Acacium Episcopum Constantinopolitanum sententia atque condemnatio hujus, & Eutychianæ hæresis fautores compescere poterat a seditionum tumultibus, a quibus hactenus immunis Dardania in firmitate fidei orthodoxæ quiescebat. Quare Gelasius statim atque Petri Sedem conscendit an. 492. per Tryphonem quendam litteras misit ad Episcopos Dardanos, quæ temporum injuria exciderunt; eosque monuit, ab Eutychiano veneno caverent vigilantissime, & ab iis maxime, qui illitis melle poculis illud incautis propinabant. Pontificiæ epistolæ respondit metropolita Joannes cum provincialibus Episcopis; & gratiis redditis Gelasii curæ, atque sollicitudini, ne eorum fides quidquam detrimenti pateretur, eundem orant, ut virum Romanæ Sedis in Dardaniam mittat festino itinere, quocum de præsenti Dardanicæ Ecclesiæ statu, ac discrimine, quæ utiliora sint, decernant, atque procurent.

Joannis metropolitæ & suorum Episcoporum litteræ ad Gelasium P.

Saluberrima apostolatus vestri præcepta Tryphone viro religioso filio nostro deferente, qua oportet devotione suscepimus, & maximas Deo omnipotenti, & beatitudini vestræ referimus gratias, quod nos pastorali admonitione, & Evangelica doctrina visitare dignatus es, Domine Sancte Apostolicæ & beatissime Pater. Desiderii enim & voti nostri est jussionibus vestris in omnibus obedire; & quemadmodum a patribus nostris accepimus sedi Apostolicæ, quæ vita & meritis vestris delata est, præcepta intemerate servare atque religionem orthodoxam, cujus estis prædicatores, fideli, & inculpata devotione, prout rusticitatis sensus patitur, custodire. Eutychetis enim, vel Petri Acaciique, & omnium sectatorum ejus atque consortium, velut quædam pestifera contagia, ante vestram quoque vitavimus jussionem, & multo magis nunc post admonitionem sedis apostolicæ, & ab eadem nos pollutione necesse est abstinere: & si qui alii ejusdem (1) Eutychetis sectam, vel Petri, & Acacii, aut secuti sunt aut sequentur, vel eorumdem sese complicibus atque consortibus æstimant immiscendos, a nobis, qui sedi apostolicæ secundum divina præcepta, & patrum statuta inculpati servire desideramus, omni ratione vitandi sunt. Et si qui prava intentione (quod neque arbitramur neque optamus) a sede apostolica se crediderint segregandos, ab eorum nos alienos esse consortio profitemur; quoniam ut dictum est, Patrum in omnibus custodientes præcepta, & inviolabilia sacrosanctorum canonum instituta sectantes, apostolicæ, & singulari illi sedi vestræ communi fide, & devotione parere contendimus. Et quoniam suggerendi fomitem nobis pro insita sibi benignitate beatitudo vestra concessit, aliqua memorato Tryphoni viro religioso filio nostro, præceptorum vestrorum portitori suggerenda mandavimus. Et ut suggestionem ejus quantum arbitramur justam & rationabilem pro supplicatione nostra libenti animo Apostolatus vester dignetur admittere, justis precibus exoramus (quod supplicatio nostra meretur effectum), unum ex angelica sede vestra cum sæpe dicto viro religioso ad nos usque præcipite destinare, ut sub ejus præsentia, qua fides orthodoxa, & vestræ jussionis sinceritas postulat, ordinentur. 1

Joannes Episcopus Sacrosanctæ Ecclesiæ Scopinæ Metropolitanæ civitatis huic Rescripto a nobis dato consentiens, ad omnia, quæ superius continentur, manu propria subscripsi.

Samuel (2) Episcopus, ut supra subscripsi. 2

Bonosus Episcopus, ut supra subscripsi.

Verianus. Episcopus per Valentinum Archidiaconum, ut supra subscripsi.

Faustinus Episcopus, ut supra subscripsi.

Ursinus Episcopus, ut supra subscripsi.

N O T Æ.

(1) Cum Eutychete hæresiarcha conjungunt principes impiæ sectæ fautores Acacium Constantinopolitanum a Felice III. damnatum, & Petrum Moggum in Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopatum intrusum. 1

(2) Præter Bonosum Naissitanum, uti putamus, Episcopum reliquorum Antistitum ignota sedes est in provincia Scopiensi. 2

Synodicæ Dardanorum epistolæ responsum non distulit Gelasius; & quod ipsi petiverant, legatum ad eos misit Episcopum cum litteris, quibus monet hortaturque, ut non ab hæresi solum Eutychiana, sed ab illis caveant etiam, qui Eutychianos ab se non arcent, & damnata communione iisdem junguntur; & hoc litterarum exemplum est.

Ubi

Digitized by Google

Litteræ Gelasii P. ad Dardanos.

1 *Ubi primum* (1) *respirare fas est à continuorum tempestate bellorum quæ in illis provinciis vel in istis temporum qualitas incessanter exercuit, cunctos per Dardaniam domini Sacerdotes fraternæ sollicitudinis caritate duximus alloquendos: primum quia regimen Apostolicæ Sedis adepti strepitu publico sicut dictum est retardante commissum nobis sacræ dispensationis officium propriis, ut mos erat, litteris nequivimus indicare quo vestra fraternitas de communionis Domini nobiscum munere gratuletur. Deinde ut post tantas acerbitates incommoditatesque mundanas qualiter invicem valeremus mutuus sermo depromeret: postremo si qua de Ecclesiasticis referenda sunt causis quæ propter insidias perpetui hostis pastorali sunt jugiter circumspicienda vigilantia significationibus panderemus alternis. His igitur incitati per fratrem & coepiscopum nostrum Ursicinum præsentia dirigere scripta curavimus præeunte gratia salutationis orantes, ut magnanimiter auxilio Domini tolerando rerum transeuntium vastitatem magis esse debeamus attenti, ne quod absit perpetuæ subeamus vitæ dispendium. Proinde quæ catholicæ veritatis poscit utilitas præcavenda dilectio vestra paulisper advertat. Apud Græcos quibus multas hæreses abundare non dubium est, jam*
2 *ante annos fere* (2) *quadraginta & quinque de Domini nostri & Salvatoris incarnatione nata conquestio est; Eutyche quondam presbytero Constantinopolitano in blasphemias proruentè, per quas diceret unum tantumodo, idest solam divinitatis naturam sive substantiam in Domino Jesu Christo credere nos debere, susceptæ carnis veritate prorsus abolita: quod utique improbum commentum Marcionistis Manichæisque conjunctum, totum sine dubio salutis nostræ solveret Sacramentum, siquidem quantum & Scripturæ venerabilis dicit auctoritas, & majorum testatur doctrina, nostrum Redemptorem mundi Deum totum simul Deum totumque hominem ex Maria Virgine fuisse progenitum. Et huic mundo certum est exstitisse conspicuum, sic passum, atque resurrexisse constat a mortuis. Itaque quadraginta diebus fuisse cum discipulis conversatum, in Cælum ascendisse plena luce sit clarum eoque modo dictum ad judicium, Angelo testante, venturum, ut & filius hominis, quem beatus Stephanus Martyr a dextris virtutis Dei vidit astantem,* Act. 2.
manifestus appareat, & quem compunxerunt persecutores ejus aspiciant: quod nimirum sine carnis humanæ non potest constare materia cujus assumptio glorificata est Deitate non prorsus absumpta. Unde & beatus Apostolus Joannes dicit, qui negat Christum 1. Joan. 19.
in Carne venisse, hic est Antichristus: & gloriosus Apostolus Paulus qualem hodie credere debeamus Dominum nostrum Jesum Christum palam professus est dicens; in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, quod brevi capitulo simul Arrianam pestem, & hanc quam diximus Eutychianam cælesti prædicatione subvertit quia & homo nihilominus est ubi omnis plenaque divinitas habitare perhibetur, & corporaliter exprimendo in veritate persistere nostri corporis approbatur. Super autem his frequenter ab Apostolica Sede, & per beatæ memoriæ Sanctum Leonem & per successores ejus certum est Græcos fuisse convictos, sicut ipsorum chartis, quas apud nos habemus sine ambiguitate monstratur. Nunc vero quamvis ipsam pestilentiam non audeant profiteri, eos tamen qui talibus communicaverint, meritoque secundum Chalcedonensis decreta concilii ab Apostolica Sede damnati sunt, obstinatique in eadem damnatione defuncti, pernicioso furore defendunt, & eorum recitationem Ecclesiæ Catholicæ moliuntur ingerere. Quod utique quod absit, receptis, etiam contagium pravitatis, cui se communione sociarunt, consequenter incurritur; quemadmodum (quod Dominus avertat) si Arii, vel cujuslibet hæretici ad Ecclesiasticam recitationem nomen admittitur, simul & consortium detestabilis erroris assumitur. Unde quia errorem quidem fatentur, sed ea sibi putant communionem catholicam conditione laxandam, ut nomina eorum, qui prævaricati sunt, illis in Ecclesia recitare sit licitum, & non tamen ipsi corrigere, quam sinceritatem catholicam inficere nitantur contagio perfidorum, dilectionem vestram fraternæ caritatis affectu non destitimus admonere, ut si qui talia seminantes ad vestras regiones forte pervenerint, modis omnibus excludantur, vobisque cum Sede B. Apostoli Petri, sicut a patribus nostris est tradita illibata communio atque ex omni parte inconvulsa perduret. Certe si quis aures vestras de hac crediderit subreptione pulsandas sollecitudine pastorali ad nos quamcitius referre properetis, & communi studio, catholicoque tractatu pro domo unius Domini cuncti catholici conferant sacerdotes, ut & quæ orthodoxæ definitioni competunt intemerata serventur; & quatenus errantibus debeat subveniri rationabili deliberatione noscatur. Hæc autem vestra dilectio etiam ad contiguas sibi quasque provincias vicinosque pontifices prudenter faciat pervenire ut Ecclesiarum præsules universi veritatis instructione percepta mortiferam declinare valeant falsitatem: Deus vos incolums custodiat fratres carissimi.

NO-

Digitized by Google

NOTÆ.

(1) Innuit hic Pontifex Odoacris Herulorum, & Theodorici Gothorum regis bella, quibus Italia fuerat exagitata; nec quievit, nisi post victum ad Ravennam Odoacrem an. 492.

(2) Baronius ex numero annorum ferme quadraginta & quinque, qui ab exorta hæresi Eutychiana effluxerant, hanc epistolam affigendam censet an. 492. quo Odoacer Idibus Juliis Ravennam, amisso exercitu, aufugerat, & an. 493. Nonis Martiis fuit interfectus.

Et Dardaniæ quidem Antistites hactenus Eutichianam & Acacianam labem a provincia repulerant, forti animo Gelasii monitionibus obsecuti, Joanne metropolita inprimis adnitente, ne Catholica sui gregis fides impiorum erroribus, inficeretur. Immo cum contigisset, Andream Thessalonicensem Archiepiscopum in partes Euphemii Constantinopolitani Episcopi defecisse, qui Acacianis obstinate favebat, & a Gelasio fuerat ejectus a Romanæ Sedis communione, Joannes cœterique Episcopi Andreæ facinus detestati sunt, nec pravo illius exemplo commoveri potuerant a constantia rectæ fidei tuendæ. Quare Gelasius, ut id comperiit, aliis litteris an. 494. eorum religionem, & erga Romanam Ecclesiam obsequium maxime commendavit, eosdemque in sententia studuit enixe confirmare. Litteras subjicio.

Aliæ ad eosdem litteræ Gelasii. *Audientes orthodoxam vestræ dilectionis in Christo constantiam, atque ita vos antiquæ fidei, communionisque sinceræ traditionibus inhærentes, ut mentem Christianæ deditam veritati nullatenus inficerent prævaricatorum vicina contagia, magnificavimus Dominum caritatemque vestram missis litteris alloqui per religioso viros filios nostros Cyprianum, atque Macarium diaconos tota cordis aviditate curavimus: quoniam pro Sedis Apostolicæ principatu cujus solicitudo delegata divinitus cunctis debetur Ecclesiis, nos vivimus, si vos statis in Domino, magnisque gaudiis triumphamus. Cum ubique terrarum Dominum Sabaoth semen puræ confessionis reliquisse cognoscimus, quod non in petrosa deveniens æstu tentationis exaruit, nec viæ proximum cecidit vacantibus inimicis expositum, nec in spinis irruit suffocandum, sed in bonam ter-* Marc. 4. *ram piæ devotionis vestræ cælesti satione* Luc. 8. *dispersum in trigesimum, & sexagesimum fructum, centenariumque profecit, profectionemque scilicet frumenti Dominici my-* Matth. 13. *stica locutione designans. Quapropter exultantibus animis confidentius incitamus, ut ab Eutychianæ pestis incursu pectora vestra sapienter intemerata servetis: quoniam jam qui persevaverit usque in finem, hic salvus* Matth. 10. *erit. Dominus prope est, nihil soliciti sitis, si quidem major est, quod in nobis est, quam qui in hoc mundo, regnumque Domini intra nos, etiam scriptura testante, sit certum. Ut autem ab eorum, qui* Luc. 1 *in errore sunt positi, noxia societate caveatis, nullum talibus communicantem ad vestrum recipiatis qualibet subreptione consortium: quia sicut in unaquaque hæresi cum pravitate auctore damnato, successores ejus, & complices, atque hujusmodi sectatoribus polluta communione permixtos catholica vitare debet integritas; ita cum Eutychete Dioscorus simulque Timotheus Elurus, & Petrus Alexandrinus, ejusque communicator Acacius, nec non etiam Antiochenus Petrus cum suis sunt omnino participibus abdicandi.* Hæresis auctore damnato, damnantur etiam sectatores. *Nec quisquam etiam si pravitatem deponere se promittat, recitandis tamen nominibus consentiens perditorum, vel eadem recitantium minime communione discretus ad immaculata sacrilegiis ovilia quibuscumque modis est permittendus intrare, ut Ecclesia Dei nostri, quæ maculam, rugamque non sustinet, inviolata permaneat. Absint ergo a fidelibus Christi viperæ capitis dira com-* Ephes. 5. *mercia, & procul a cælestibus pascuis mortifera venena pellantur, ut salutaris alimonia panis illius, qui de cælo descendit, fideles hanc sumentes ad vitam perducat æternam.* Joan. 6.

Quæ ut mutua valeamus exhortatione prospicere, det operam vestra dilectio, ut sospitatem vestræ caritatis optatam, & fidei communis instantia nobis crebrius aperire non desinat, quatenus alternis nos instructionibus excitantes, legitimorum Domini sacerdotum possimus invenire mercedem. Per vicinas quoque provincias hæc eadem patefacere vestra caritas vigilanter insistat, ut & qui catholicæ communionis sinceritate subsistunt, competentibus roborentur alloquiis, & qui forsitan ab hujus rectitudine deviarunt, ad integritatem dogmatis Christiani salubribus monitis reducantur. Noverit autem vestra Fraternitas Ecclesiæ Thessalonicensis Antistitem nostris adhortationibus sæpius incitatum, contagia communionis externa nunquam declinare voluisse; nec apud nos nomen Acacii, vel cæterorum similium perfidorum hisque communicantium congrua professione damnasse. Quapropter eum communionem Sedis Apostolicæ non recepisse manifestum est; quoniam nisi puris sensibus ab omni nefanda societate B. Petri Apostoli nec possumus, nec debemus Ecclesiæ præbere commercia. Propterea cautius agendum est cum præfato, ne catholicis mentibus, ut fit, Apostolicæ Sedis reconciliatione subrepat: quam sicut dolosis artibus fallere, & circumvenire non prævalet; ita sub cujus non potest obtinere auctoritatem quoque nostram, quæ ad Dalmatia-

Digitized by Google

tiarum est directa pontifices, etiam, ad vos credimus dirigendam, quatenus in veritate catholica, secundum formam traditionis antiquæ tenere nos consonam noveritis ubique sententiam. Si quos vero novos didiceritis motus exurgere, nobis debetis fraterna solecitudine reserare; quo subinde quæ patrum regulis congruant, præstante Domino, remedia procuremus.

Nec quisquam omnino vobis persuadeat Acacio prævaricationis suæ crimen fuisse laxatum, quia qui postquam in collegium recidens pravitatis, jureque meruit ab Apostolica communione secludi, in hac eadem persistens damnatione defunctus est. Absolutionem, quam superstes nec quæsivit omnino, nec meruit, mortuus jam non potest impetrare, siquidem ipsis Apostolis Christi voce delegatum est: Quæ ligaveritis super terram & quæ solveritis super terram, ligata erunt, & soluta erunt in cælis. Cæterum jam de eo, qui in divino est judicio constitutus, nobis fas non est aliud decernere, præter id, in quo eum dies supremus invenit: atque ideo nisi ejus nomine refutato, cæterisque consortibus hujus erroris, cum nullo prorsus eorum participare debetis mensæ Dominicæ puritatem; quam majores nostri semper ab hæretica magnopere servaverunt pollutione discretam. Sed neque vos quisque circumvenire pertentet: quod dicat non de religione, sed de moribus esse certamen, vel Apostolicam Sedem non causam communionis catholicæ, fideique tractare, sed injuriam dolere, cui videatur ab Acatio fuisse contempta; quoniam hæc, & hujusmodi quatenus simplices quoque decipiant, hi qui in errore sunt positi, spargere non quiescunt. Videtis enim sicut jam supradictum est per nomina prævaricatorum, si quod absit, in Ecclesia recitanda credantur, simul & contagium prævaricationis induci. Sedes autem Apostolica in tantum non contumeliam dolet, sed fidem defendit, communionemque sinceram, ut hodie cuncti, qui in ejus nisi sunt prorupisse despectum, si ad integritatem fidei, communionemque catholicam revertantur, secundum regularum tramitem paternarum toto cordis affectu venientes, & plena caritate suscipiat. Dat. III. Non. Augusti Asterio, & Præsidio Viris Clarissimis Consulibus.

qui impœnitens mortuus est excommunicatus, post mortem non potest absolvi.

Matth. 16.

Dardani Episcopi in schisma Acacianum proclives.

Verum schismatis Acaciani procella vehementius adeo per orientem, & in Illyrico Orientali sæviebat, ut in Ecclesiam Dardaniæ jam irrumpere videretur; suisque fluctibus plurimorum mentes atque animos cæperat obruere. Erat autem hæc, quam jactitabant Schismatici, potissima erroris, atque a Romana Sede dissensus ratio fucata, non potuisse Acacium unius Romani Pontificis damnari sententia, ejusque causam Concilii auctoritate dignosci, & decreto definiri oportere, quod Euphemius Constantinopolitanus Antistes pluries Gelasio objicerat, quamvis a sapientissimo Pontifice falsæ opinionis & doctrinæ convictus. Itaque Gelasius, ubi cognovit ancipites in recta fide Dardanorum sensus, & in lapsum, atque defectionem ab Pontificiis jussis proclives, illico ad eos relevandos in tam gravi discrimine curam omnem intendit atque sollicitudinem; & anno 495. prolixam sane, at disertam, ac doctissimam ad eos epistolam misit, qua Acacium solius Romanæ Sedis juditio damnatum jure fuisse ostendit, & Euphemii calumnias, fallacias, prætextus rursum refellit, quibus iniquam Acacii causam propugnare ausus erat. Hanc describo ex tomo v. Concil. editionis Ven. an. 1728. In vetustissimo Codice ante annos mille exarato, quod exstat in Biblioteca Veronensium Canonicorum est titulus hujusmodi; *incipit rationis reddendæ Acacium a Sede Apostolica competenter fuisse damnatum*; & inscripta dicitur epistola *Dilectissimis fratribus universis Episcopis per Dardaniam constitutis, Gelasius*.

Tertia ad illos epistola Gelasii P. I

Valde mirati sumus, quod vestra dilectio, quasi novam (1) veluti difficilem quæstionem, & adhuc tamquam inauditum quipiam nosse desiderat, quod Eutychianæ pestilentiæ communicatores non habentes, quod 1
pro sua perditionis obstinatione respondeant, frequenti jam ratione convicti, misera contentione submurmurant; non quia sit alicujus momenti quod garriunt sed quia non inveniunt penitus quid loquantur. Ubi magis eos qui catholicis sensibus instituti sunt, adhuc hærere miramur, quam illos qui à veritate exciderunt, & ab antiqua Ecclesiæ traditione sunt devii; profanasque vocum novitates, & ineptias caducæ perversitatis obtendunt, quibus eos vestra dilectio retulit jactitare. Ideo (2) Acacium non putare jure 2
damnatum, quod non speciali synodo videatur fuisse dejectus, & insuper dementiam suæ vanitatis accumulant, pueriliter adiicientes precipue Pontificem regiæ civitatis.

Quapropter stultitiam respuentes inanium querelarum percurrere vos aportet ab ipsis beatis Apostolis, & considerare prudenter, quoniam patres nostri catholici, doctique Pontifices in unaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione Catholica atque Apostolica secundum Scripturarum tramitem, prædicationemque majorum facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps, firmumque constare, nec in eadem causa denuo quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserint, sapientissime prævidentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus

Non sunt retractanda quæ sunt in Conciliis jam decreta.

Digitized by Google

sus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper iisdem furoribus recidivis omnis integra definitio turbaretur. Nam si limitibus etiam præfixis positarum simul synodalium regularum non cessant elisæ pestes, resumptis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere, & simplicia quæque corda percutere, quid fieret si subinde fas esset perfidis inire concilium? cum quamlibet illa manifesta sit veritas, nunquam desit quod perniciosa depromat
3 *(3) & falsitas, tametsi ratione, vel aucto-*
4 *ritate deficiens, sola tamen (4) contentione non cedens. Quæ majores nostri divina inspiratione cernentes necessarie præcaverunt, ut quæ contra unamquamque hæresim coacta Synodus pro fide, communione, & veritate Catholica, atque Apostolica promulgasset, non sineret post hæc novis retractationibus mutilari, ne pravis occasio præberetur quæ medicinaliter fuerant statuta pulsandi; sed auctore cuiuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato sufficere iudicarunt, ut quisque aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus: quoniam manifeste quilibet vel professione sua, vel communione posset agnosci.*

Hæresi auctore damnato, damnantur eius sectatores.

Et ut priora taceamus, quæ diligens inquisitor facile poterit vestigare, Sabellium damnavit Synodus; nec ut sectatores eius damnarentur necesse fuit singulas viritim Synodos celebrari; sed pro tenore constitutionis antiquæ cunctos qui vel pravitatis illius, vel communionis exstitere participes, universalis Ecclesia duxit esse refutandos. Sic propter blasphemias Arii forma fidei, communionisque catholicæ Nicæno prolata conventu, Arianos omnes, vel quisquis in hanc pestem sive consensu, sive communione deciderit, siue retractatione conclusit. Sic Eunomium, Macedonium, Nestorium Synodus semel gesta condemnans, ulterius ad nova Concilia venire non sivit; sed universos quocumque modo in hæc consortia recidentes, tradito sibi limite Synodali refutavit Ecclesia; nec unquam recte cessisse manifestum est, qualibet necessitate cogente novis ausibus, quæ fuerant salubriter constituta temerasse.

Propterea tempestate quoque persecutionis Arianæ plurimi Catholici Sacerdotes de exiliis pace reddita respirantes, sic cum catholicis nihilominus fratribus Ecclesias composuere turbatas, ut non tamen illius Synodi Nicænæ quicquid de fide, & communione Catholica & Apostolica definierat, immutarent, nec nova quemquam prolapsum damnatione percellerent, sed illius tenore decreti nisi resipuissent, censerent esse damnatos. Quibus convenienter (ut dictum est) ex paterna traditione perpensis confidimus, quod nullus iam veraciter Christianus ignoret uniuscuiusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quam primam, quæ & unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit pro suo scilicet principatu, quem Beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente & tenuit semper, & retinet.

Sedes Apostolica Synodos confirmat. Matth. 16.

Hæc dum Acacium certis comperisset indi-
ciis à (5) communione Catholica deviasse, 5
diutius ista non credens quippe quem noverat executorem sæpe necessariæ dispositionis suæ contra hæreticos exstitisse, per triennium fere litteris destinatis, eundem monere non destitit, sicut per diversos missa frequenter scripta testantur. Quibus ille cum tanquam debito silentio diu non respondere proponeret, episcopalis quoque directa est legatio; ac nihilominus pagina destinata, quæ præmoneret, eum suorum ante meminisse gestorum, & quæ primitus pro fide catholica desudasset, oportere respicere; contestans, & blandiendo pariter, & minando, ne se à corpore catholicæ unitatis abscinderet, simulque quoniam hunc Joannes secundæ Sedis Antistes gravibus pulsaret obiectis ad primæ Sedis audientiam cohortatus est vel venire debere, vel mitteret. Licetenim Synodus iteranda non esset, tamen congrueret, ut cuiuslibet civitatis episcopus primæ Sedis iudicium non vitaret, ad quod convenerat secundæ Sedis Antistes, qui nisi à prima Sede non posset audiri; precipue qui præiudicatis animis nulla Synodo à Græcis fuisset exclusus, etiam apud eos causam suam nec posset omnino dicere, nec deberet, quia ab inferioribus Episcopis potior, nisi à prima Sede (sicut dictum est) vel discuti potuisset, vel si ita ratio postulasset, addici etiam cunctis orientalibus episcopis cum ipso Acacio in Petri communionem recidentibus, cum secundæ Sedis Episcopus catholicus ab externæ communionis hominibus esset nullatenus iudicandus.

Nullus Episcopus primæ Sedis iudicium vitare potest.

Sed Acacius non solum despexit satisfacere postulatis, verum etiam ipsam Legationem Sedis Apostolicæ blandimentis, præmiis, periuriisque deceptam, quibus ei cum Imperatore promisit integram præsulis Apostolici causam de omnibus esse servandam, Petri communionem pollutam redire perfecit, in tantum Sedis Apostolicæ despiciens potestatem, ut non solum eius auctoritati non cederet, sed etiam potius in consortium communionis externæ per Legatos suos niteretur abducere, fieretque Apostolicæ Sedi necessitas, eos ipsos, quos direxerat Sa-

Sacerdotes, honore pariter, & communione privare, ne tali contagione videretur infecta, satisque monstraret non se Acacii specialiter odisse personam, sed respuere foedera perditorum, quæ etiam in suis Pontificibus detestata convenienter horreret, nihilominus autem litteris suis Acacius indicarat; & in Alexandrini Petri se communionem, quem expetita Sedis Apostolicæ auctoritate executor ipse quoque damnaverat, sine eiusdem Apostolicæ Sedis consultatione promptissime recidisse, & accusationem Joannis, laudesque Petri proprio sermone deferre; de quibus si utique confidebat magis, vel venire, vel mittere debuisset, ut & præsentem de mendaciis, quæ dicebat, posset confutare Joannem, & præconia Petri, quæ digesserat, rationabiliter allegaret; quod eum minime fecerit, satis evidenter ostendit, nec Joannem se posse convincere, nec legitime receptum Petrum habere fiduciam perdocendi, solumque sibi monstravit inesse propitium lacerandi catholicos, hæreticosque laudandi, seseque eorum potius, quos laudabat, docuit esse participem, quam catholicorum, quos nitebatur decolorare, consortem; tulitque de se ipse iudicium, cum damnati hominis communione pollutus, damnationis eius factus est particeps.

Ita & Sedes Apostolica quod ad necessariam diligentiam respiceret, nil omisit, & Acacius secundum formam Synodi Chalcedonensis, qua error, cui communicavit; elisus est, sicut de hæretico homine scriptum est, suo iudicio condemnatus apparuit, iusteque Sedes Apostolica, quæ utique se Alexandrinum Petrum damnasse, non etiam solvisse memorat, ne per Acacii pristinam communionem Petri quoque collegium, cui Acacius communicaverat incideret, ipsum competenter Acacium à sua communione submovit. Quapropter utrum errori vel prævaricationi communicaverit Acacius, quid opus erat nova discussione cognoscere? cum iam litteris suis esset ipse confessus, ac sicut scriptum est; ore tuo iustificaberis, & ore tuo condemnaberis; verborum suorum vinculis & reus teneretur & iure plectendus. Cur ipse in nova causa, quam Synodus nulla præcesserat, Joannem, quem suis litteris impetebat qualemcumque secundæ sedis Episcopum in primæ Sedis Beati Petri Apostoli iudicio confutare despexit? & ut causam diceret seu per se, seu per alium vel venire, vel destinare contempsit, indignum habens cuiuslibet civitatis Antistes ad primæ Sedis venire iudicium, ad quod secundæ Sedis cerneret venisse Pontificem, quod Anatolius CP. urbis Episcopus missis legationibus pro sua persona fecisse monstratur? Ecce etiam in hac parte vocem

Anatolius CP. Antistes Romam misit legatos.

non habent conquerentes; ecce inquam ad legitimum est vocatus examen, ubi vel suas partes iustis allegationibus defensaret, si ille Apostolicæ Sedis refugit examen in Joannis catholici Pontificis negotio vestigando, quemadmodum Sedes Apostolica de receptione Petri hæretici sua auctoritate resoluti, Acacii fuerat secutura iudicium?

An Sedem Apostolicam congruebat paræciæ Heracliensis Ecclesiæ, id est CP. Pontificis, vel quorumlibet aliorum, qui cum eodem, vel propter eum fuerant congregandi, iudicium præstolari? cum Apostolicam eiusdem primæ Sedis audientiam CP. Episcopus declinaret, qui utique etiamsi Metropolitani esset iure suffultus, etiam inter Sedes haberet locum, primæ tamen Sedis cognitionem fas non habuit refutandi, ad quam secundum canones, appellante secundæ Sedis Antistite, vocabatur ad nostrorum causam. Hoc ipso satis ostendit reum se esse confessum, qui ad legitimum iudicium postulatus adesse contempsit, nec poterat ultra differri, ne sicut dictum est, antiqua illius communione durante, cum sese iam sociasset externæ, Sedes quoque Apostolica per eum pollueretur contagiis perfidorum, dignumque esset vel prævaricatorem vel contemptorem iudicii competentis manifestissime scilicet de suo negotio desperantem, à Catholica, atque Apostolica integritate, & communione secludi.

Reum se confitetur, qui ad legitimum vocatus judicium adesse contemnit.

Hic si examinatio quæritur, iam indicio non erat opus, posteaquam & litteris suis ipse confessus est, & ad legitimum iudicium vocatus adire pertimuit; si auctoritatis pondus inquiritur, Chalcedonensis Synodi tenor cum Apostolica Sede consentiens, & illius definitionis executio reperitur condemnati illic erroris communicator effectus: præfixa nihilominus ibidem particeps damnationis apparuit; quoniam idem ipse error qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet pravæ communionis, effecto, & execrationem sui gestat, & pœnam. Hoc tenore etiam Timotheus Aelurus, atque ipse Alexandrinus Petrus, qui secundam certe Sedem quoquemodo tenuisse videbantur, non repetita Synodo, sed auctoritate tantummodo Sedis Apostolicæ, ipso quoque Acacio postulante, vel exequente probatur esse damnatus. Nunc autem ipsi edoceant legitime Petrum fuisse purgatum, & ab omni hæreticorum contagione rite discretum, cum ei communicavit Acacius, si eius communicatorem putant Acacium aliquatenus excusandum, aut si, quod magis est verum, convenienter, atque legitime Petrum probare non poterunt expiatum: propter quod etiam ad Apostolicæ Sedis iudicium Acacius vel venire, vel destinare non au-

ausus est; restat ut eius communicatione fuerit, & qui ei communicavit infectus. Non reticemus autem quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, sedes Beati Petri Apostoli ius habeat resolvendi, utpote quod de omni Ecclesia fas habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio; siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus.

Quapropter cum satis constet Acacium nullum habuisse pontificium sententia Sedis Apostolicæ damnatum sine ulla eius notione solvendi, dicant certe qua Synodo hoc esse præsumpserit, quod nec sic quidem absque Apostolica Sede fas haberet efficere, cuius Sedis Episcopus? cuius Metropolitanæ civitatis Antistes? nonne parœciæ Heracliensis ecclesiæ? Si illi certe licuit sine Synodo sententiam Apostolicæ Sedis abrumpere, nulla eius consultatione quæsita, itane vero non licuit primæ Sedi Chalcedonensis Synodi constituta sicut decuit exequenti huiusmodi prævaricatorem sua auctoritate detrudere? Sed nec illa præterimus, quod Apostolica Sedes frequenter, ut dictum est, more maiorum etiam sine ulla Synodo præcedente, & absolvendi quos Synodus inique damnaverat, & damnandi nulla existente Synodo quos oportuit habuerit facultatem; sanctæ mem. quippe Athanasium Synodus orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica quia damnationi Græcorum non consentit, absolvit. Sanctæ mem. nihilominus Joannem CP. Synodus etiam Catholicorum Presulum certe damnarat, quem simili modo Sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit. Itemque sanctæ mem. Flavianum Pontificum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absolvit, potiusque qui illic receptus fuerat Dioscorum secundæ Sedis præsulem sua auctoritate damnavit, & impiam Synodum non consentiendo submovit, ac pro veritate, ut Synodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit, in qua Pontificibus innumeris, qui latrocinio corruerant Ephesino, veniam poscentibus sola concessit, & in sua perfidia permanentes nihilominus sua auctoritate prostravit; quam congregatio, quæ illic pro veritate reparanda collecta fuerat, est secuta; quoniam sicut id, quod prima Sedes non probaverat, constare non potuit, sic quod illa censuit iudicandum Ecclesia tota suscepit. Ubi etiam consequenter ostenditur, quia male gesta Synodus, id est, contra Scripturas Sanctas contra doctrinam Patrum, contra Ecclesiasticas regulas, quam tota merito Ecclesia non recepit, & præcipue Sedes Apostolicâ non probavit, per bene gestam Synodum, id est secundum Scripturas, secundum traditionem Patrum, secundum ecclesiasticas regulas pro fide catholica, & communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maxime Sedes Apostolica comprobavit, & debuerit, & potuerit immutari; bene vero gestam Synodum iuxta supradictum modum, nova Synodo nullatenus immutandam: proinde si Eutychen fatentur hæreticum, male gestam apud Ephesum Synodum, qua est receptus, pariter fatebuntur, & per bene gestam Synodum Chalcedonensem, quod Eutyches vel cum eo sentientes talia, sunt reiecti velint, nolintque consentient, atque ideo bene gestam Synodum novis ex agitationibus refricari non licuisse cognoscant: qui si forsitan dixerint eo tenore Ephesinam quoque Synodum non licuisse mutari, rursus hæc eadem, quæ supra deprompsimus planius repetita perpendantur, id est quia contra fidem, contra veritatem, communionemque catholicam vereque Christianam non recte gesta Synodus legitima Synodo pro fide, veritate, communioneque catholica, vereque Christiana modis omnibus secludenda est, & iniusta Synodus iusta Synodo submovenda: pro fide autem, & veritate, & communione catholica, bona Synodus, vereque Christiana, semel acta nulla nec potest, nec debet novæ Synodi iteratione convelli, sed secundum bene gestam Synodum recteque præfixam, si quis ab eius tramite deviaverit, consequenter, ac sufficientes eius definitione plectendus, meritoque illius subiacet constitutis; nec opus est per singulos quosque deviantes, iureque plectendos, novas rursus Synodos introduci, cum ex illius tramite, quæ auctorem cum errore damnavit, quisquis quolibet modo, quolibet titulo complex eiusdem fuerit factus erroris, ut eius se contagione polluerit, competenter & particeps eiusdem damnationis existat, eiusque pœna puniatur obstrictus, cuius maluit inire consortium. Omissis pluribus, sequitur.

Romana Sedes damnat & absolvit sive præcesserit Synodus, quæ male iudicaverit, sive non.

Auctoritate Sedis Apostolicæ Concilium Chalcedonense coactum.

Synodum male gestam reprobat Ecclesia Romana, & bene gestam confirmat.

6 *Risimus* (6) *autem quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia episcopus fuerit regiæ civitatis. Nunquid apud Ravennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treviros multis temporibus non constitit Imperator? Numquidnam harum urbium Sacerdotes ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam quippium suis dignitatibus usurparunt? Numquid Acacius ut Joannem qualemlibet hominem catholicum tamen à catholicis ordinatum de Alexandria excluderet, Petrumque in hæresi iam detectum, atque damnatum, absque Sedis Apostolicæ consultatione reciperet, aliqua Synodo saltim illic habita hoc audacter arripuit, ut*

Digitized by Google

Calendionem de Antiochia pelleret, hæreticumque Petrum, quem ipse quoque damnaverat, absque notitia Sedis Apostolicæ rursus admitteret, aliqua Synodo id fecisse monstratur? Si certe de dignitate agitur civitatum, secundæ Sedis, & tertiæ maior est dignitas Sacerdotum, quam eius civitatis, quæ non solum inter Sedes minime numeratur, sed nec inter Metropolitanarum iura censetur; nam quod dicitis, regiæ civitatis, alia potestas est regni sæcularis, alia Ecclesiasticarum distributio dignitatum. Sicut enim quamvis parva Civitas prærogativam præsentis regni non minuit sic Imperialis præsentia mensuram dispensationis religiosæ non mutat. Sit clara urbs illa potestate præsentis Imperij, Religio tunc sub eadem firma, tunc libera, tunc provecta consistit, si potius hoc præsente propriam teneat sine ulla perturbatione mensuram. Postremo si sibi de Imperatoris præsentia blandiuntur, & inde putant CP. civitatis Episcopi potiorem fieri posse personam, audiant Marcianum eiusdem Principem civitatis postea quam pro augmento urbis ipsius Sacerdotis intercessor accedens contra regulas obtinere nil potuit, sanctæ memoriæ Papam Leonem summis laudibus prosecutum, quod Canonum regulas violari nulla fuerit ratione propensus. Audiant Anatolium eiusdem Sedis Antistitem, clerum potius CP., quam se tentasse talia confitentem, atque in Apostolici Præsulis totum dicentem positum potestate. Ipsum beatum Papam Leonem Sedis Apostolicæ Presulem, cuius Synodus Chalcedonensis auctoritate firmata est, quicquid ultra quam ab eodem pro fide, & communione Catholica, atque Apostolica illic agendum, constaret esse delegatum, per occasionem congregationis illius, preter Nicænos canones nova videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuasse.

Constantinopolitana Ecclesia non modo inter Sedes, sed nec inter Metropolitanarum iura censetur.

Quæ in Chalcedonensi Synodo ultra mandata gesta fuerant, reprobavit Leo Pontifice.

Eaque nihilominus etiam sub sanctæ mem. Papa Simplicio legatum Sedis Apostolicæ sanctæ mem. Probum Canusinæ urbis Episcopum, Leone principe tunc petente, præsente docuisse nullatenus posse tentari, neque his prorsus præbuisse consensum; atque ideo non ad civitatis cuiuslibet respiciant qualitatem, sed modum dispensationis ecclesiasticæ paterna traditione firmatum convenienter observent. Dicatur autem de Alexandrino, & Antiocheno Episcopis certis ex causis Principem magis illa, quæ gesta sunt, non Acacium præcepisse. Sed Principi Christiano decuerat suggerere Sacerdotem, maxime cuius familiaritate, & favore fruebatur; salvam fore de eiusdem injuria, contumeliaque vindictam tantum, ut Ecclesiæ sineret Christianus Princeps regulas custodiri, quia & nova in utroque Pontifice causa esset exorta, & novam discussionem consequenter inquireret, & sicut semper esset effectum, ac divinæ pariter leges, humanaq. censerent, ut sacerdotali concilio, de Sacerdotibus iudicia provenirent; non à sæculari viderentur qualescunque Pontifices, etsi errore humanitus accedente non tamen religionem ullatenus excedentes potestate perceili. An adhuc hæc iusta ratione Principi suggerenda non erant? Regiæ civitatis honore sublimis si factus erat illa regia civitate sublimior, tanto magis in his suggerendis debuit esse constantior. Si autem in his, quæ pro religione fuerant exercenda exstitit contemptibilis, atque despectus, & aut segnis, aut fiduciam non habens intimandi in quo per regiam civitatem maior effectus est, an ut per ea suæ prævaricationis exerceret potius tyrannidem, quam causas religionis legitime procuraret? Nathan Propheta palam publiceque in facie regi David & commissum pronunciavit errorem, & ipsum commisisse non tacuit, & confusione correctum consequenter absolvit. 2. Reg. 12.

Beatæ memoriæ Ambrosius Mediolanensis sacerdos ecclesiæ maiori Theodosio Imperatori communionem publice palamque suspendit, atque ad pœnitentiam redegit regiam maiestatem. Beatæ memoriæ papa Leo, sicut legitur, Imperatorem Theodosium iuniorem Ephesino latrocinio libere arguit excedentem. Sanctæ memoriæ quoque Hilarus papa Anthemium Imperatorem, cum Philotheus Macedonianus eius familiaritate suffultus diversarum conciliabula nova sectarum in urbem vellet inducere, apud beatum Petrum Apostolum palam ne id fieret clara voce in tantum constrinxit, ut non ea facienda eum interpositione sacramenti idem promitteret Imperator. Sanctæ memoriæ nihilo minus papa Simplicius, & post eum sanctæ memoriæ papa Felix non solum Basiliscum tyrannum, sed etiam Imperatorem Zenonem pro iisdem ipsis excessibus auctoritate libera sæpius increpasse noscuntur; flectique potuisset, nisi Constantinopolitani præsulis accenderetur instinctu, qui particeps externæ communionis effectus necessario id quod inciderat, fovebat, malens in suæ prævaricationis obstinatione persistere, quam curandus ad salubria remeare, sicut ipse rerum probavit eventus. Ecce nuper Honorico regi Vandalicæ nationis vir magnus & egregius sacerdos Eugenius Charthaginensis episcopus multique cum eodem catholici sacerdotes constanter restiterunt sævienti, cunctaque extrema tolerantes, hodieque persecutoribus resistere non omittunt. Nos quoque Odoacri barbaro hæretico regnum Italiæ

tunc

Digitized by Google

tunc tenentis cum aliqua non facienda præ-
7 ciperet, Deo præstante (7) nullatenus paruisse manifestum est.

Hic autem vir bonus Acacius & sacerdos eximius in tantum se & suggerere potuisse monstravit, & noluisse deprompsit, imo favisse patefecit, ut & Imperator cuncta se eius gessisse consilio non taceret; & ipse Imperatorem magnis præconiis elevaret ista facientem; seseque prodidit his agendis rebus fuisse participem. Sed esto, Calendion Imperatoris nomen abstulerit; Joannes Principi mentitus fuisse iactetur; quæ tamen cum nova essent caussæ, nova debuit ecclesiastica provenire discussio? an qui in hominem Imperatorem peccasse dicebantur, nulla interveniente synodo deiici debuerunt, & in Deum, qui summus & verus est Imperator, Acacium delinquentem, sinceramque communionem divini sacramenti studentem miscere cum perfidis, secundum Synodum, qua hæc est damnata perfidia, non oportebat expelli? Quid de innumeris per totum Orientem sacerdotibus propria sede expulsis, & indubitanter hæreticis intromissis. Nova certe erant caussæ; & his consequenter nova synodus debebatur. Cur tunc non venit in mentem, ut in talibus causibus peteretur a Principe saltem qualiscumque Synodus celebranda, ut quocumque vel colorato iuditio traditionis ecclesiasticæ passim Pontifices viderentur excludi, non solum quarumcumque urbium sacerdotes, sed metropolitani incunctanter Antistites? His omnibus eum non restitit contentione qua potuit, consensit Acacius, communicando cunctis, qui in catholicorum locum fuerant hæretici subrogati. Apostolus autem dicit. Non solum qui
Rom. 1. faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, reos indubitanter adscribi. An hæc licuit sæculari potestati, & actis talibus, Acacio consentiente absque ulla Synodo, quam ipsa rerum novitas exigebat, absque Sedis Apostolicæ consultatione perficere; & Sedi Apostolicæ non licuit secundum tenorem Concilii Chalcedonensis in veteri utique causa & veteri constituto iuxta definitionem damnata inimicis Synodi Chalcedonensis Acacium communicantem a sua communione depellere? Sed inquiunt; Acacius Principi obviare non potuit. Cur Basilisco, quia voluit, obviavit? Cur ipse Zenoni, ne palam Petro Antiocheno, quamvis latenter hoc faceret, communicare videretur, non commodavit assensum? ecce resultanti non instit Imperator; ecce vim nolenti non intulit; ecce refugienti contagia manifesta concessit; postremo cur tanto tempore, cum ista gererentur, vel gerenda cognosceret, non ad Sedem Apostolicam, a qua sibi curam illarum regionum noverat delegatam, referre maturavit? Sed prius laudator factus est ipse gestorum, quam vel præmoneret talia esse tentanda, vel ne tentarentur obsisteret. Sicut sub Basilisco iam fecerat, cur illis cæteris communicare consensit, qui, depulsis catholicis sacerdotibus, indubitanter hæretici singulis urbibus fuerant substituti? Postremo ille defuit suis partibus; & quæ sacerdoti catholico competerent, agere fastidivit; ideo Sedes Apostolica, quod ad eadem (8) pertinebat, vel 8
potuit vel debuit præterire?

Quolibet igitur modo hæreticorum complicem refutavit, & consortem communionis externæ a sua communione dimovit; nec opus fuit nova Synodo; cum veteris constituti sufficienter hæc (9) forma præscribe- 9
ret; nec opus fuit, ut hæc scienda orientis episcopis intimaret, quos ex expulsione catholicorum, quæ agebantur in causa fidei, non ignorasse manifestum est; & communicando hæreticis subrogatis tali facto consensisse non dubium est; etiam cum externæ communionis (10) effectis non potuisse, 10
nec debuisse Apostolicæ Sedis tacita tractari. Ecce agnoverunt, in eorum confessione qui constantissime perdurarunt, quod fidei communionique catholicæ deberetur. Ecce agnoverunt, quemadmodum a talibus recedendo, imo talibus contra moliendo a fide & communione catholica deviarit Acacius, seque pariter cum eodem errori subdiderint; Ecce agnoverunt, quam iustis ex causis pro fide & communione catholica, atque Apostolica, cui & illi, qui in ea perstiterunt, congruebant, & hi qui perstantibus obviabant, ab eadem decebantur alieni, Sedis Apostolicæ auctoritate sit remotus Acacius; ad cuius præcipue vocatus examen vel venire vel mittere non curavit, ut se de his omnibus, ut confidebat, absolveret; eiusque pariter quicumque complices exstiterint, atque ab illa merito cum his communione discretus, a qua se ipse primum cum suis consortibus Catholicis Pontificibus discrepando cognoscitur separasse; iureque sententiam ille damnationis excepit, cæterisque consortibus cum suis consortibus promulgandam, qui solus pro omnibus suis consortibus in communionem se recedisse perfidiæ ad Apostolicam Sedem missis litteris est professus. Cui Acacio si communicaverant Orientales episcopi, antequam huc (11) referret, pari utique 11
reatu sine dubio probabatur (12) involvi, iure- 12
que per illum transgressionis sententiam susceperunt, tanquam facti cum eodem communionis externæ; qui utique non consuli tanquam nostræ communionis homines iam deberent, sed tanquam in contrario positi consortio refutari. Si vero non communicaverant, antequam Acacius huc referret, & communicantem notare debuerant,

& ipsi

Digitized by Google

& ipsi de eadem huc potius referre, atque Apostolicæ Sedis vigore perculsum merito comprobare, cumque ea Sede Apostolica, tantisque illis catholicis Pontificibus magis tenere concordiam. Sed quia ab illorum societate desciverant, ac eorum successoribus communicare delegerant, ideo cum Sede Apostolico minime congruebant, quia in sortem reciderant prævaricatoris Acacii, & illius se sine dubio pervidebant sententia consequenter astringi, ob hoc eum videri nolebont esse damnatum, quia se cognoscebant in eadem, prævaricatione damnatos, in qua hodie quoque manere persistunt. Sed sicut in simili conditione constricti complicem non possunt iudicare suum non iure damnatum, neque reum possunt competenter absolvere, sic illo iuste prevaricatore damnato, ipsi quoque pari iacent damnatione prostrati; neque nisi resipiscentes inde poterunt prorsus absolvi; quia sicut per unum scribentem eorum omnium vulgata (13) *transgressione, qui in eandem perfidiæ recidevant actionem, sic in uno eodemque, qui pro omnibus scripserat, vel scribendo omnium prodiderat voluntates, transgressione punita, pariter quoque cum eodem vel in eodem est complicum transgressio punita cunctorum. Quæ tamen sententia in Acacium destinata, etsi nomine tantummodo Præsulis Apostolici, cuius erat utique potestatis legitimæ,* (14) *probatur esse deprompta, præcipue cum secreto dirigenda videretur, ne, custodiis ubique prætentis, dispositio salutaris quibuslibet difficultatibus impedita necessarium habere non posset effectum, tamen, quia Orthodoxis ubique deiectis, & hæreticis tontummodo eorumque consortibus in Oriente relictis, catholici Pontifices aut residui omnino non essent, ant nullam gererent libertatem, plurimorum in Italia catholicorum congregatio Sacerdotum rationabiliter in Acacium sententiam cognovit fuisse prolatam; quæ congregatio facto Pontificum non contra Chalcedonensem, non tanquam nova Synodus contra veterem primamque* (15) *cognovit, sed potius secundum tenorem veteris constituti particeps Apostolicæ executionis effecta est; ut satis appareat Ecclesiom Catholicam, Sedemque Apostolicam, quia alibi iam omnino non posset, ubi potuit, & cum quibus potuit, nihil omnino omisisse, quod ad fraternum pertineret pro intemerata* (16) *& sincera communione tractatum.*

Quæ cum universa noverint, qui videntur Ecclesiis orientolibus nunc præesse, propterea Christianom reparari legitima curatione effugiunt unitatem; quia occasionem dissensionis huius suis ambitionibus suffragantem deponere iam recusans, quia sine auctoritate Sedis Apostolicæ omnium Ecclesiarum iura confundant magis eligentes in errore persistere, quam præsumptionum suarum perdere facultatem, plus usurpationum suarum licentiam diligentes, quam divini iudicii tenentes corde respectum. In quo necesse est, velint nolint, tam de fidei communionisque catholicæ sinceritate neglecta, quam de paternis canonibus evidenter irruptis recipiant, quod merentur; nisi dum hic tempus admittit, hæc damnationis æternæ pericula correctis mentibus studeant declinare, ut possint non tales permanere, quibus insolubilis est lata sententia. Sed a talibus recedentes ab (17) *eadem sententia non teneri; quæ sicut in errore durantibus nunquam solvenda præfixa est, sic ab his erit aliena, qui exstiterent puniendæ pravitatis immunes. Hæc vero ad instructionem vestræ dilectionis satis abundeque sufficere iudicamus; quamvis eodem latius, si Dominus concesserit facultatem, studeamus exponere, quatenus & fidelium quisque cognoscat, nihil Apostolicam Sedem, quod obsit, præpropere censuisse, & non habere, quod iuste possit opponere, perversa doceatur improbitas. Recte autem faciet vestra dilectio, ut ista, quæ scribimus, pariter Catholicis, & contraria sapientibus pariter innotescant; quo & sanis necessaria firmitas & mala sanis competens medicina præbeatur. Dotum Kalendis Februarii, Victore* (18) *viro clarissimo consule.*

NOTÆ.

1. Cod. Veron. & *veluti difficilem*.

2. Euphemius ad excusationem Acacii dicebat ipsum Synodali judicio non fuisse damnatum, ideoque ejus nomen e sacris dyptichis non expungendum. Sed si de concilio œcumenico id intelligat, verum est hujusmodi judicio latam non fuisse in Acacium sententiam. Verum cum Orientales Episcopi fere omnes Acacii communione polluti essent, universalis Synodus nec cogi potuit, nec debuit. Si de Concilio Provinciali sit sermo, falsa est Euphemii assertio; nam Felix III. in Synodo II. Romana a sua Sede Acacium ejecerat, & a Catholica communione.

3. delenda conjunctio & ut in Cod. laudato.

4. Id. *intentione*.

5. Id. *a veritate*.

6. Ridet Pontifex illud, quod nostri temporis Novatores stulte admodum inculcant, dum ratione regiæ dignitatis prærogativas Sedium Patriarchalium expendunt, & non potius Apostolicæ traditioni hæc accepta referunt. Binius.

7. Non-

Digitized by Google

7. Nonnulla hic deesse videatur.

8. Cod. Veron. *ad eandem*.

9. Id. *hoc forma prascriberet*.

10. Id. *etiam externæ communionis affectos; atque ideo cum eis nec* &c.

11. forte *referretur*.

12. melius *probabantur* ex Cod. eodem

13. corrige *eorum omnium vulgata est transgressio*

14. forte *legitime probatur* &c.

15. melius *convenit*. Cod. idem.

16. Id. *pro intemerata fide* &c.

17. & hic quædam desunt.

18. corrige *Viatore*, qui an. 495. Consulatum gessit.

Dardanis in schisma prolapsis.

Etsi autem gravissima Gelasii epistola, & adeo perspicuis veritatis argumentis fulta Dardanos Episcopos commovere potuisset ad ejiciendam prorsus, arcendamque Schismaticam pestem, quæ in provincia impune, & late effundi jam cæperat, certum videtur, ab errore minime recessisse; idque ex iis, quæ Hormisda Pontifice contigerunt, plane fiet manifestum. Interea Ecclesia Orientalis tres in factiones divisa & hæresi Entychiana, & schismate Acaciano miserandum in modum laborabat, contra obnitentibus, sed frustra Catholicis Episcopis, cum Imperator Anastasius Entychianæ perfidiæ fautor atque patronus eos, & Orthodoxos quoscumque crudeliter persequeretur. E vicina vero Thessalonica, in qua Schismatici libere grassabantur, facilius & audentius in Dardaniam impietatis contagia penetraverant, populorum animis perdite infectis atque corruptis. Quare Symmachus Pontifex, qui an. 499. in locum Anastasii successerat medicam manum tot tantisque malis admovere cum cœpisset ab initio jam Pontificatu, in Orientem præcipue conversa Pastorali cura atque sollicitudine, Dardanam Ecclesiam curare sibi proposuit æque atque Orientales provincias, quibuscum hæc in crimine Acaciano conseuerat; & cæteris, quæ adhibita erant, remediis litteras adjunxit suæ charitatis testes, & studii, quo fervebat, tuendæ fidei, & Catholicæ unitatis servandæ. Datæ sunt an. 514. & inscriptæ, *Dilectissimis fratribus, universis Episcopis, presbyteris, diaconis, Archimandritis & cuncto ordini vel plebi per Illyricum, Dardaniam, utramque Thraciam consistentibus*. In his causam sui silentii exponit post annos fere XIV. a suscepto Pontificali regimine; tum mala percurrit, quæ a Nestoriana & Entychiana hæresi, & hujus præsertim propugnatoribus sint consecuta; & ne horum, societatem velint amplecti, neque cum Acacianis conjungi; abhorreant ab illorum venenatis sermonibus, & conventicula evitent, vehementer hortatur, & jubet.

Symmachi P. litteræ Eccl. 3.

„ Nullus stupeat servatum hactenus nos „ nunc solvisse silentium; cum prudentissimi Salomonis ista vox personet; tempus „ loquendi & tempus tacendi: quia taciturnitatem præsens tempus expugnat; nam „ inter cætera quæ accidunt nunc silere, „ nec fidei stimulis excitari, magni constat „ esse fastidii; quippe ubi religionis reverentia, & summa concutitur, aptum juxta divinam Scripturam dicere eos, qui „ sunt mites, debere esse pugnaces: siquidem & spiritualis quædam Deo accepta congressio, inde & laudabiliter universa tolerat, ne quisquam à Divina caritate separetur, & vos quidem docere, „ quod doceatis, grave onus pudoris. Sed „ necessarium & utile tales admonere; nec „ enim congruum illis religiosæ afferre dogmata disciplinæ, a quibus institutionis „ ipsius expectatur plena perfectio. Sed breviter clara perstringemus. Cui incognitum „ Constantinopolitana Ecclesia qua Nestorii contagione laboraverit? Nestorii inquam, qui quasi putre corporis membrum „ a societate catholicæ communionis excisus „ est; ubi terrarum non prædicatur congregatio Chalcedonensis sancti concilii quæ Eutychen, & Dioscorum duo nomina famosa, & magæ perfidiæ, unius sententiæ integritate damnavit, iniquitatis complices, „ uno spiritu divinis dogmatibus adversa sectantes? Quis Petrum & Timotheum præfatorum vernulas ignoravit propugnatores „ intentionis addictæ, & auctores ac magistros „ suos, sævo errore vincentes? illum Timotheum loquimur parricidam qui sanctæ recordationis Proterio superstite, non solum „ Ecclesiam, non religiosis auctoribus occupavit, verum etiam effusionem pii sanguinis ad crimen pervasionis adiecit; ipsius „ nempe damnationem universalis est Ecclesiæ vox loquuta; dum eum nomine „ quoque Christiani honoris exueret. Eius Petrum sequacem notum fecerunt orthodoxorum plurimæ passiones, in quibus „ ille virtutem animi sui exultavit ostendere. Novit hinc Ephesus cum tota societate Dioscori, ubi cum prædicto auctore peccati finem sancti Flaviani operatus innotuit. Tacenda sunt Antiochiæ „ mala, ubi per alterius Petri nefanda ludibria reverendum sacerdotii nomen irrisum est. Quis Apameæ, Tyri gemitus tragicis criminibus comparandos, vel „ si solis vacet, digna posset lamentatione „ deflere? Quid Acacium? qui quasi boni sui fascino quodam gravatus, quæ „ Basilisco imperante præmiserat, novo exemplo pœne deprehensus est adversus sei-

Digitized by Google

„ seipsum dicens sententiam, illos mutata voluntate defendens, quos prius „ gloriosum putavit addicere, & laborans „ sociare fidelibus, quos dudum hæreticos „ manifestæ prævaricationis ostenderat: propter quod maxime fugiendus, & designato superius damnatorum agmini coæquandus, illa propter quæ fidelis probatus est dissolvens, permixtus his, per „ quos Ecclesiæ læsio generalis evenit. „ Adversus hos, si Patrum dogmata ratio „ suadet esse servanda, cogitate si possunt ea majore trasgressione calcari quam „ nunc per eos qui in partibus vestris Eutychetis dogmata recidiva resuscitant. Si „ vero tamquam infirme constituta sententia, sine periculo negliguntur, citra ullum „ robur credulitatis nostræ summa subsistit semper succedentibus novis vetera „ constituta solventibus. Quando enim paternarum regularum despiciuntur inventa, nec eorum quæ bene instituta sunt „ firmitas vindicatur, hujusmodi impietates „ necesse est fidei superveniri. Nam ubi „ facilis dissolutio est rationabilis constituti, ibi omnis sanctitatis forma corrumpitur, Christus impatitur & quis hoc fidelium „ Patienter accipiat? instituta patrum reverenda calcantur; & quis non vitæ mortem „ justa electione præponat? ubi catholicæ fidei „ adoranda reverentia, ubi multo cruore sanctorum dogmata constituta, ubi doctorum „ veterum fidelis auctoritas, ubi illa religiosarum mentium stupenda patientia propriis bonis contenta nudari, ne de spe „ æternæ hæreditatis excideret, quasvis „ ambiens passiones; ne incorruptibilis illius boni judicaretur indigna? Nam nulla majora documenta sunt fidei, quam „ ubi temporis ratio suadet vitam subdere „ passioni. Et ideo qui pro ea periculum „ persecutionis subire meruerit, dignum se „ cælestis ostendit esse militiæ. Christus „ nos pio sanguinis pretio comparavit, gratiæ libertate concessa, nihil invenientibus „ humanis operibus quod dignum pro tanta mercede tribuerent: atque ideo ubi „ religionis injuria est, amorem fidei omnem „ trascendere oportet affectum. Unusquisque ergo exsilia & peregrinationes, tamquam domum patriamque respiciat; ne „ desideriis retentus humanis Christi societate privetur. Ecce tempus quo repetit fides milites suos, & inclamat ad „ defensionem sui fervorem gratiæ consequutos. Fidem ipsam dicere judicemus; „ ecce tempus optabile, ecce fructuum congregatio desiderata fidelium, ut parvis „ passionibus munera magna compenset. „ Pluribus caritatem vestram pro dispensatione nobis credita cuperemus hortari: sed quid opus nostræ vocis stimulis? „ ubi ad tolerandas pro Christo magnanimiter passiones Apostolicis, & Patrum „ docemur exemplis, qui per damna humanarum rerum cælestium nobis ostenderunt argumenta virtutum. Ergo pronunciemus intrepide claras Ecclesiæ cum magna fiducia disciplinas. Longe sit a nobis prophetæ sermo dicentis; & sacerdotes vera celaverunt. Quem enim latet „ discipulorum scientiam à doctoribus exigendam? & quod non pronunciatum lædit „ sequaces, constat hoc periculosum esse tacentibus. Necesse est enim apud eos „ laborare veritatem, apud quos non manifestatum latet sub veritatis colore „ mendacium, magnum robur ad impugnatium fidem, quamdiu adversus eos prolatæ sententiæ non viriliter asseruntur. „ Sed de vobis dicere opto meliora; ut „ ea quæ per improbos confusa sunt, per „ vos correctionis remedium consequantur. „ Non est tam durum decipi quemquam, „ quam deceptum in errore persistere. Malum hoc & malis omnibus gravius, cum „ à corpore suo membra dissentiunt. Nam „ etsi non singillatim occupet omnia lineamenta debilitas, necesse est tamen juxta Apostolicam vocem totum corpus ex „ parte prægravari. Unde addictorum fugienda communio, juxta beatum Apostolum; Rom. 1. „ pronunciationen fidei nullus erubescat; „ virtus est enim omni credenti. Declinemus „ sacrilegum Eutychetis errorem cum Manichæa malitia congruentem; communionem quoque eorum qui sunt à talibus educati pari intentione vitemus, qui nunc „ quasi morbum, ac contagium Ecclesiis „ partium vestrarum tentant irrepere. Nemo se separet cum prædictis & ferre „ tempestatem dissimulet, donec portum „ veræ fidei ab eorum communione separatus introeat. Quæ quidem amans moneo, non odio persequentis accuso: nam „ qui culpanda vituperat, nec utilia subministrat, exprobrantis habet potius studium, quam amantis affectum, & qui „ hortatur ad profutura, vehementius boni propositi designat imaginem, ut fervientius utilia expetantur invitans. Propter quod fratres illius bonæ Ecclesiæ „ desiderantes unitatem, & beatum decorem sacræ concordiæ præsumentes dicamus cum sancto David: quam bonum & Psal. 132. „ quam jucundum habitare fratres in unum! ut & de vobis Apostolus Paulus „ dixerit: vos autem omnes fratres in Christo unum estis. Gal. 3. Donec enim unitas non „ redeat, nullus ambigat eadem nihilominus esse ventura, quæ in Costantinopolitana nuper Ecclesia contigerunt; de

„ qui-

„ quibus mihi pariter ingemiscere necesse „ est, & tacere; nam qui Apostolicæ Se- „ dis admonitionem negligendam esse cre- „ diderunt, merito inciderunt in ea quæ ve- „ nire solent solatio destitutis. Siquis ergo „ salutem propriam cogitans servare cupit „ Apostolicis judicia, cum a præfatorum se „ labe sejunxerit, nostræ communionis se „ noverit sine dubitatione participem; quia „ si ab eorum quos Apostolica Sedes da- „ mnavit, non societate removerit, sciat „ nullo colore, nullo figmento, nullaque „ calliditate Ecclesiastica custodia posse sub- „ ripere; quia sicut illos, qui à supra- „ scriptorum se hoc est, Eutychetis, Dio- „ scori, Timothei, Petri, & Acacii vene- „ nis dissociant, libenter amplectimur, ita „ circa istorum sectatores cura, & sollici- „ tudo nostra, ne subripere possit, sem- „ per invigilat; *& alia manu;* Deus vos „ incolumes custodiat fratres carissimi. „ Data VIII. Idus Octobris post Consula- „ tum Felicis V. C. „

Sed neque Symmachi litteræ Dardanos omnino absterruere ab Acacianorum consortio. Affert Baronius ad an. 512. Orientalium responsum epistolæ Symmachi, quibuscum & Episcopi Dardaniæ consenserunt; sed non est cur a nobis exscribatur; id vero unice obtendunt, se Nestorianam & Eutychiana hæresim detestari; neque de crimine Acacii solliciti, qualecumque, fuerit ab illius sequacibus causam secedendi non probant; hinc cum Catholicis de dogmate Ephesini & Chalcedonensis Concilii conveniebant, sed Romani Pontificis jussa detrectantes, ne sese schismatica peste polluerent, a Catholica communione erant sejuncti. Quod ad Dardaniæ Ecclesiam attinet, ea demum resipuit, cum Hormisdas Pontifex renuntiatus est an. 514. nam triennio post is in suis ad Avitum Viennensem litteris ait Acacianos *a Thracibus, Dardanis Illyricis* fuisse desertos, ac paullo inferius subjicit; *Dardania & Illyricus vicina Pannoniæ a nobis ut sibi Episcopi ordinarentur expetit;* quod Dardanorum cum Hormisda conjunctionem consequebatur; & Avitus reddita responsione, *per conversionem*, inquit, *provinciarum, id est, Dardaniæ, Illyrici vel Thraciæ ad communionem gaudii* se ab illo provocatum. Tristissimæ hoc tempore calamitates non Scopiam tantum, sed totam, provinciam penitus obruere, atque evertere minitatæ sunt. Nam barbarorum armis perterriti cives Scopienses, & vertere solum coacti in tutiora loca misere profugerunt, cum a Thracia Bulgari in propinquiores imperii provincias irruerent, & Gothi, Theodorico rege, in Mœsia superiori dominarentur; ac civili bello in Anastasium Imperatorem ardebant Græcorum regiones. Præterea anno 518. Dardania ingenti terræ motu concussa est adeo, ut suis pœne sepulta ruinis videretur. Funesti casus narrationem hisce complectitur Marcellinus in Chron.

Dardani cum Ecclesia Romana reconciliantur.

In provincia Dardaniæ assiduo terræmotu viginti quattuor castella uno momento collapsa sunt, quorum duo suis cum habitatoribus demersa, quattuor dimidia ædificiorum suorum hominumque amissa parte; undecim, tertia domorum totidemque populi clade dejecta; septem, quarta tectorum suorum, eademque plebis parte depressa vicinarum metu minarum despecta sunt. Scupus namque metropolis, licet sine civium suorum olim hostes fugientium clade, funditus tamen ruit. Plurimi totius provinciæ montes hoc terræmotu scissi sunt, saxaque suis avulsa compagibus, devolutarumque arborum crepido per triginta passuum longitudinem patens, & in duodecim pedum latitudinem dehiscens profundam patefecit voraginem, civibus castellorum saxorumque ruinas, vel adhuc hostium incursiones fugientibus.... paravit. Uno in castello regionis Canisiæ, quod Sarnonto dicitur, ruptis tunc terræ venis, & ad instar torridæ fornacis exæstuans diutius altrinsecus ferventem imbrem evomuit.

Dardaniæ terræmotus.

Divina nimirum ultione pœnas de Dardanis repetente, qui schismaticis abrepti doctrinis dolosis Romanorum Pontificum monita hactenus spreverant, & jussis obtemperare detrectaverant.

Quid autem de Joanne Archiepiscopo inter hasce turbas acciderit, quam in partem dissidentium inclinaverit, & quo tandem anno vitam finiverit, injuria temporum prorsus latet.

BENENATUS ARCHIEPISCOPUS SCOPIENSIS IV.

Benenatus Archiepisc. Scopiensis an. 553.

Quem Lequienius hujus Sedis Antistitem nominat, ex Collatione 2. Synodi Constantinopolitanæ II. & V. Oecumenicæ. Cum in causa trium Capitulorum, de quibus diserte agit Farlatus tomo 2., hæc Synodus indicta fuisset anno 553. & Patres Constantinopolim convenissent, repugnante Vigilio P., qui & ipse in urbe regia cum esset, tria Capitula contra Synodi & Justiniani Imp. mentem & acta propugnabat, abfuit ab eorum cœtu Sabinianus Episcopus Zapparensis, qui tamen in urbe erat; quare a Synodo missi Anatolius Episcopus Cimæ, & Petrus presbyter, a quibus in Concilium advocaretur; his respondit Sabinianus *non posse venire eo quod non præsto est archiepiscopus ejus Benenatus*. Tum re-

spon-

sponsum a Patribus, *licère Sabiniano ad Benenatum religiosissimum episcopum accedere, qui communicat nobis & consentit his, quæ ab ista Synodo aguntur, sicut ostendunt ea, quæ sæpius scripsit & fecit, & quod Phocas religiosissimus episcopus sub ejus diœcesi constitutus præsto est huic sancto Concilio, & ejus vices agit.* Zapparensis Ecclesia Dardaniæ est de qua postea, Benenatus igitur Sabiniani Archiepiscopus censendus est metropolita Scopiensis, cujus vices in Concilio Phocas agebat Episcopus Staliensis. Constat vero Patrum testimonio Benenatum tribus Capitulis, eorumque patronis & opere & scriptis adversatum fuisse. Est tamen de Benenati sententia in causa hujusmodi cur dubitemus. Tres suæ provinciæ Episcopi, Naissensis, Ulpianensis, Zapparensis, de quibus suo loco, in Synodum vocati renuunt adesse, quia res est illis cum Metropolita; approbat Synodus Episcoporum responsum, quippe credit Benenatum, cujus personam Phocas in Concilio gerebat, secum adversus Capitula consentire. Interea Dardani Vigilium adeunt Pontificem, qui sibi metuens a Justiniano in D. Euphemiæ locum recesserat, & Synodi actis sese acriter opponebat, illiusque Constituto pro Capitulorum defensione substribunt; Quid ergo? num Benenatus absens Patres fefellit, & clam Vigilii partes cum suis fovebat? an ii Episcopi Benenato se adherere ficte responderunt Synodi nunciis, dum Vigilianis decreti favebant animo, & Capitula tuebantur? Qua in ambiguitate rei utrinque gestæ decernere pro alterutra parte neque scio, neque audeo.

Post Benenati Archiepiscopatum corruit Ecclesia Scopiensis. Nulli quidem memorantur deinceps illius Antistites; & incertum an Archiepiscopalem dignitatem retinuerit, posteaquam in partem regni Serbliani adscita est; ac tanti tum subsecuti temporum motus, tot factæ rerum conversiones, ut mirum non sit ipsum Scopiensis Episcopatus nomen desiisse usque ad sæc. XIII. De rebus vero Ecclesiasticis, quæ tum in Dardania seu Rascia acciderint, quæque eum Serblianis communes sunt, satis a nobis dictum est tomo VII. in Ecclesia Antibarensi. Neque immoror iis enarrandis seu civilibus seu bellicis eventibus ac gestis, quæ posterorum memoriæ tradita sunt a Græcis Scriptoribus, præcipue eum, extincto regno Serbliano, ejusdem Proceres alii alibi dominatum sibi quorumdam locorum vindicarunt; hinc & Dardaniæ exorti Dynastæ, qui provinciæ imperium tenuere, quoadusque Turcarum potentia deleti sunt. Ac restitutæ hujus Ecclesiæ aggredior historiam, cum Scopienses Præsules Episcopali tantum jurisdictione creari cœperunt.

EPISCOPI SCOPIENSES

JOANNES II. EP. SCOPIENSIS I.

PAtria Constantiensis, & Dominicanæ familiæ alumnus, anno 1299. a Bonifacio IX. huic Ecclesiæ præfectus, quam cum adire non posset, Coloniensi Archiepiscopo adjutricem operam navavit. Obiit Coloniæ XVII. die Octobris anno 1321., & in Ecclesia sui Ordinis honorifice sepultus est. Hæc Echardus tomo I. Script. sui Ordinis in Catal. Episc., qui Scopulensem in Thracia fuisse Episcopum scribit, uti præfert sepulchri inscripsio; sed error facile deprehenditur ex tabulis Romanis, quas in altero Joanne mox profero. In eundem errorem lapsus est Auctor Bull. Dominic. tomo 2. pag. 127. & annum initi Episcopatus consignat an. 1307. qui male redarguit Cavalerium, Fontanam, Plodium, Fernandezium, a quibus Joannes recte dicitur Episcopus Scopiensis in Serblia. Hujus vero meminit & Heisterus in hist. Suffragan. Ecclesiæ Colon. Joannes Ep. Scopiensis an. 1298. obiit anno 1321.

JOANNES III. EP. SCOPIENSIS II.

Dominicanum institutum amplexus Episcopali honore donatus fuit anno 1327. non utique 1325. quod Echardus asserit laudato in loco; neque illi *Limengaublie* cognomen sed *de Lemego*. Id testantur acta Consist. part. I. tomo 25. pag. 385. Archivi Avenion. *Promotio Joannis de Lemego Ord. FF. Prædicatorum Professoris ad Episcopatum Scopien. Eccl. Rom. immediate subjectum, & per ob. Johannis in Civitate Coloniensi defuncti vacantem, cum testimonialibus consecrationis ipsi per Isnardum Archiep. Thebanen. impensæ apud Apost. Sedem. Dat. Aven. 7. Id. Dec. anno XI. Joannis XXII.* id est anno 1327. & pag. 572. eodem anno, sed ad epocham initi Pontificatus, die V. mensis Sept. *Hortatoria Archiep. Coloniensi quatenus Johannem Ep. Scopiensem ipsius consideratione per Pontificem promotum habeat commendatum. Dat. Aven. nonis Febr. anno XI. Johannis XXII.* Constat igitur Joannem utrumque fuisse Episcopum Scopiensem in Rascia, seu Serblia, & Scopiensem Ecclesiam nulli Metropolitæ præter Romanum Pontificem paruisse. Caussam vero, cur Scopienses Episcopi fuerint uni Sedi Apostolicæ subjecti, non inquiro inter temporum illorum tenebras; nec ulla lux affulget, cujus ductu ea reperiatur. Joannes, Archiepiscopo Coloniensi petente, Episcopatum adeptus eidem fuit Adjutor ad Joannes III. Ep. Scopiensis an. 1327.

Digitized by Google

Suffraganeus Coloniensis ad an. 1331.

ad annum usque 1331. teste Heistero, vitam vero produxisse dicitur ad an. 1394. cum Serbliæ regnum jam interiisset, & Turca Imperator iis in regionibus dominaretur, & Schismatici reguli, illius permissu quibusdam locis hic illic præessent. Sed Episcopatum cum vita dimiserat an. 1351. quo

FRIDERICUS EP. SCOPIENSIS III.

Fridericus an. 1357.

E familia Retersberchia Germanus, & ex Ordine Franciscano electus fuit VI. id Junias a Clemente VI. per *obitum* Joannis, teste Waddingo tomo 8. Huic successit

HERMANNUS EP. SCOPIENSIS IV.

Hermannus an. inc.

Cujus nomen produnt acta Consistorialia ex eodem Waddingo, a quo tomo 9. dicitur suffectus

ANTONIUS EP. SCOPIENSIS V.

Antonius an. 1400. Episc. Scopiensis.

Cognomine de Terano Franciscani Instituti, creatus a Bonifacio IX. an. 1400. III. non. Julii per *obitum* Hermanni, & Præstamensi Archiepiscopo subjectus. Sed nonnulla hic sunt, quæ advertamus. Nam de Friderico, & Hermanno suspicor ego illos æque ac utrumque Joannem in Colopiensi Ecclesia vicariam operam exercuisse; quod tutius affirmarem, si præsto mihi esset Heisteri liber de Suffraganeis Coloniensibus; aut certe alicui in Belgio vel in Germania Episcopo adjutricem manum præbuere. Quod autem ad Antonium attinet, si Præstamensi suberat Archiepiscopo, hinc discimus, Ecclesiam Scopiensem directæ Pontificis Romani subjectioni fuisse exemptam. Nullus tamen in Serblia neque in Bulgarie exstitit unquam metropolita *Præstamensis;* & hinc legerem potius *Præslabensis*, quo nomine intelligendus Martianopolitanus Bulgariæ Archiepiscopatus, de quo postea sumus acturi. Neque idcirco acquiescimus Waddingi auctoritati; quippe sæc. XV. vix reperitur hujus Ecclesiæ mentio aliqua in Ecclesiasticis Scriptoribus; & quatuor ferme sæculis adusque sæc. XVII. Interregnum Archiepiscopale Martianopolitanum seu Præslabense durasse constat. Cæterum iis temporibus nihil obscurius, quam Ecclesiarum in utroque regno Bulgarico & Serbliano dispositio atque subjectio. Post annos fere centum

BENEDICTUS EP. SCOPIENSIS VI.

Benedictus Ep. Scopiensis an. 1518.

Notus ex actis Consist. Leonis X. *x. Nov.* 1518. *Providit D. Benedicto Warfalune Lectori & Can. Barchiensi de Eccl. Scopien. in p. Infid. certo modo vac. cum retent. Beneficiorum suorum, & licentia exercendi Pontificalia in Civ. & diac. Bosnen. tamen cum licent. Ep. & quod non teneatur accedere ad Episcop. Scopiens.* Barczia civitas nobilis in Transylvania, quam appellant Saxonicam, nomen tribuit Barcziensi *districtui;* in ea celebre templum quadrato lapide magnifice extructum, ditissima ornatum supellectile, & Deiparæ in cœlos assumptæ sacrum, cui videtur inservisse Benedictus; vide Bonbardium in Topogr. Hung. pag. 351. Suspicor tamen nostro apographo mendum inesse, & pro *Barchien.*, seu *Barczien.*, legi melius *Baciens.* aut *Bacsien.* oportere; est enim in Hungaria Transdanubiana *Comitatus* Bacsiensis, ubi Bachia civitas olim Episcopalis, inque illa insigne Canonicorum Collegium Metropolitæ Colocensis subjectum; adi laudatum Bonbardium. Hoc tempore regebat Ecclesiam Bosnensem Donatus a Turre, qui absens Veglensis Episcopi suique fratris Natalis vices gerebat; vide Additamenta nostra ad Ecclesiam Veglensem.

STEPHANUS EP. SCOPIENSIS VII.

Anno 1553. die 3. Maji Julius III. *providit Eccl. Scopien. in part. Infid. existenti, tunc certo modo vacanti de pers. D. Stephani Zachalvizi Archidiaconi Strigonien. Ecclesiæ, ipsumque illi in Ep. præfecit & pastorem cum indulto de non accedendo ad d. Ecclesiam Scopien. ac facultate exercendi Pontificalia in civitate & Diac. Agriensi de consensu &c. & cum retentione utriusque Strigonien. & alterius Ecclesiarum Canonicatuum & Prabendarum, necnon unius Strigoniensis & alterius Agrien. Ecclesiarum earundem Archidiaconatum, quorum fructus &c.* 600. *Ducat. &c. & cum clausulis &c.* hæc in act. Consist. De Stephano nihil præterea, cui tamen honori tribuendum, fuisse illum in celeberrima Canonicorum Collegia Strigoniense & Agriense in Hungaria cooptatum; & Agriensis Ecclesia duodecim olim Archidiaconis præcellebat; ac tum illi præerat Nicolaus Olahus magni nominis Antistes, qui e Zagrabiensi Sede ad Agriensem cum transivisset an. 1548., demum hoc an. 1553. ad Strigoniensem metropolim evectus est.

Stephanus Episc. Scopiensis an. 1553.

N. EPISCOPUS SCOPIENSIS VIII.

Pius V. *an.* 1571. 30. *Julii providit Eccl. Scopien. in partibus Infid. de persona N. Canonici in Eccl. Possoniensi, eumque deputavit Suffraganeum Archiep. Strigon. ad* Pon-

N. Ep. Scopiensis an. 1571.

Digitized by Google

Pontificalia exercenda iis legibus, quæ alias de Suffraganeis decreta sunt, cum assignatione pensionis annuæ 200. *Ducat. super fructibus mensæ Archiep. Strigonien. quæ transeat ad Successores cum retent. dicti Canonic. & certa Præposit. ad tres menses. Absolvens &c.* In Hungaria Transdanubiana situm est Posonium, princeps civitas *Comitatus* cognominis, in qua amplissimum visitur, & lapide quadrato exstructum templum Parœciæ titulo, ac jure donatum, eique Canonicorum Collegium præest, e quorum numero erat hic Episcopus; sed nulla illius acta nobis comperta sunt; tum vero Strigoniensem Ecclesiam regebat magni nominis vir Antonius Verantius.

FRANCISCUS EP. SCOPIENSIS IX.

Cognomine de Andreis unice notus ex actis, quæ mox subjicio.

ARCHIEPISCOPI SCOPIENSES iterum.

HYACINTHUS ARCHIEPISCOPUS SCOPIENSIS X.

Hyacinthus Archiepisc. Scopiensis an. 1649.

IN insula Chio Ægei maris ortus est e familia Macripodana; nomen dedit sanctissimo Ordini Dominicano, in quo virtute & doctrina cum elucerct plurimum, Innocentius X. illum dignum censuit Scopiensi Archiepiscopatu; *an.* 1649. *II. Oct. providit Eccl. Scopien. in part. Infid. vacant. per ob. Francisci de Andreis de pers. Fr. Jacinti Macripodani ord. S. Dominici, ac deputavit Suffraganeum ad exercenda Pontificalia in Civit. & Diæc. Strigonien. cum assignat.* 300. *Ducat. auri super fructus mensæ Archiep. Strigon. pro cong. sustentat.* Ex Actis Consist. Hoc tempore revixisse autumo saltem titulo tenus Scopiensem Archiepiscopatum; tot enim in obscuritatibus res Serbliæ & hujus Ecclesiæ versantur hoc etiam sæculo ut conjectura tantum uti liceat in iis describendis. Scriptores Dominicani, & illorum Ordinis Bullarium tomo VI. aperte Hyacinthum nominant Archiepiscopum, cui tamen ad suam Ecclesiam nullus patebat aditus Turcarum jugo gravissime pressam, & calamitatibus undequaque obrutam. Hyacintho vero vita functo, secuti post eum Antistites dici revera Archiepiscopi cœpti sunt etiam jure Archiepiscopali, cum eis licuit suam diœcesim invisere; ibique sedem fixere atque domicilium. Primus ex his est

ANDREAS ARCHIEPISCOPUS SCOPIENSIS XI.

Andreas Archiep. Scopiensis an. 1636.

Nobilis in Serblia Bogdana familia originem traxisse videtur a Bogdano illo, quem probitate morum & rei militaris peritia clarum Stephanus Neemania rex cuidam regni parti circa Axium flumen præfecerat; de quo Orbinus pag. 267. & Luccarus in hist. Ragus. Inde ortus Andreas in oppido Paga Janania diœcesis Prisrensis an. circ. 1607. pie domi enutritus ac litteris excultus fuit. Cum annum ageret quartum supra vicesimum, jussu Sacræ Congregationis de Fide propaganda extra numerum adscitus est alumnis Collegii Illyrici Lauretani VIII. id. Aug. an. 1631. unde post quinquennium discessit VIII. id. Septembres an. 1636. sed tanta auctus pietate, ac doctrina, ut an. 1651. Achridanam metropolim regendam illi tradiderit Innocentius X.; verum quinquennio post illam cum Scopiensi commutavit, annuente Pontifice Alexandro VII. a quo collata eidem fuit Ecclesiarum omnium in regno Serbliano administratio; *prid. non. Martias an.* 1656. *prov. Eccl. Scopien. de persona Andreæ Bogdani translati ab Eccl. metrop. Ochridana cum concessione in administratione omnium Cathedralium nunc in regno Serviæ vacant.* Octo tantum Parœciæ tum in ea diœcesi supererant. Catholici vix tercenti numerati, cum plurimi, queis animus defuit ferendæ Turcarum tyrannidi, ut jugum excuterent, impia Fidei proditione sese Mahumetanæ sectæ antea mancipassent. Quod sacerdotum culpa atque detestabili segnitie evenisse comperiit sacra Congregatio, eosque e ministerio dejecit; Ecclesiarum vero decentiori cultui postea providit eo misso an. 1674. non exiguo sacræ supellectilis apparatu. Andreas annos ferme novemdecim pondus sane gravissimum sancte impigreque sustinuit difficillimis bellorum temporibus, & sæviente Turcarum tyranno, quem relatæ de Christianis in Creta & Hungaria victoriæ insolentiorem effecerant atque crudeliorem; ac an. tandem 1677. suam Ecclesiam sponte dimisit.

primum Achridanus.

Archiepiscopatu se abdicat.

Habeo hic quatuor, quos proferam uno loco, Antistites Scopienses nominatione quidem Hungariæ regum electos, sed Romanæ Sedis approbatione cum caruerint, hinc a nobis expungendos; licet enim reges Hungarici jus sibi vindicent in Serbliæ provincias, quas justo bello veluti sibi debitas occupaverant, de regia tamen Episcopatuum Serblianorum nominatione videtur fuisse aliqua cum Romanis Pontificibus controversia, qui suo jure Archiepiscopos Scopienses creaverunt alios ab iis, quos legimus fuis-

Archiepiscopi Scopienses expuncti.

Digitized by Google

fuisse ab Hungarico rege propositos. Sunt hi Joannes Hedvvanius an. 1659. Joannes Andreas a Stemberg Liburnus Præpositus Rudolphsvverdtensis XV. & Præpositus atque Archidiaconus Fluminensis an. 1666. Andreas Szelius an. 1682. & Franciscus Chikulinus, de quo egimus tomo IV. in Episcopis Seniensibus. At hoc annorum cursu ab an. nimirum 1636. ad an. ferme 1690. Andreas & Petrus Bogdani renunciati ab Innocentio X. & ab Innocentio XI. Scopienses Archiepiscopi suam Sedem legitime & eximia cum laude tenuerunt.

PETRUS ARCHIEPISCOPUS SCOPIENSIS XII.

Petrus Archiep. Scopien. anno 1677. Erat Andreæ, de quo superius, fratris filius, eumque in Episcopis Scodrensibus laudavimus; cum vero Andreas munus Archiepiscopale abdicasset, Petrus e Scodrensi Ecclesia ad Scopiensem regendam transiit jussu Innocentii XI. 8. *Nov.* 1677. *providit Eccl. Scopien. per liberam cessionem Andreæ Bogdani Archiep. de persona Petri Bogdani Ep. Scutaren.* ex Actis Consist. Fervebat adhuc Turcicum bellum adversus Leopoldum Cæsarem, nec tuta erat a barbarorum minis, & infestis armis Respublica Veneta; hinc sæva in Catholicos Scopiensis diœcesis persecutio, qua factum est, (exsulat in Italia,) non licuisse Petro suum munus quiete aggredi; immo & compulsus in Italiam aufugit, & Patavium secessit, qua in urbe ab ejus Episcopo & Card. B. Gregorio Barbadico in suas ædes perhumaniter exceptus fuit, ibique commoratus ad annum 1685. inde Scopiam rediit. Nec defuit Petro ardens animus gregi suo opitulandi, & levandi ærumnas, quibus diu premebatur; sed post tres circiter annos malis confectus ac laboribus vitam finivit. (domi in Serblia obit. Ejus liber.) Egregium librum composuit latina, & Slavica lingua, cui titulus *Cuneus Prophetarum de Christo Salvatore mundi* &c. opus valde probaverant Andreas patruus, & Joannes Bogdanus Vicarius Scopiensis, datis litteris ille 10. Octobris an. 1683. hic Kal. Octobris an. 1684. quare illud typis Patavinis in vulgus edidit, & Barbadico inscripsit XV. Kal. Nov. an. 1685.

DANIEL ARCHIEPISCOPUS SCOPIENSIS XIII.

Daniel Archiep. Scopiens. anno 1690. Cognomine Durante patria Aretinus severioris Franciscani instituti assecla; de quo acta; *XI. Dec.* 1690. *prov.* Alexander VIII. *Eccl. Scopien. vac. per ob. Petri Bogdani de pers. P. Danielis Durante Ord. FF. min. strictioris Observ.* Sex fere annis præfuit suæ Ecclesiæ, a qua sponte decessit, cum nullus ad illam pateret aditus ob feram Turcarum tyrannidem; eique ab Innocentio XII. titulus collatus est Episcopatus Smyrnensis an. 1696. (obit anno 1717.)

PETRUS II. ARCHIEPISCOPUS SCOPIENSIS XIV.

De illo plura habes in Ecclesia Pullatensi tomo VII. Anno enim 1698. creatus Episcopus Pullatensis, & Scopiensis Administrator, Pullatensi dimissa, ad hanc gubernandam transiit jussus a Clemente XI. 25. *Sept. anno* 1701. *Petrum Caragich transtulit ab Ecclesia Pulatensi ad Scopiensem vacantem per liberam dimissionem Danielis Durante.* Interfuit & subscripsit Concilio Nationali Albanensi an. 1703. *Ego Petrus Caragich Archiepiscopus electus Scuporum assentiens subscribo.* Obiit an. 1727. cum Archiepiscopali munere æque vigilanter, ac laboriose perfunctus fuisset. (Michael Archiepisc. Scopiens. an. 1701.) (Obiit anno 1727.)

MICHAEL ARBHIEPISCOPUS SCOPIENSIS XV.

Cui Summæ cognomen, natione Albanus, huic Ecclesiæ præfectus XVII. Kal. Octobris an. 1728. post annos fere quindecim fessus curis illam voluntaria abdicatione reliquit, eique suffectus (Joannes B. Archiepisc. Scopiensis anno 1741.)

JOANNES BAPTISTA ARCHIEPSICOPUS SCOPIENSIS XVI.

Anno 1743. Erat e familia Nicolovichia, & Michaeli vicariam operam diu cum laude præbuit. Ac Romam profectus Pontificem Benedictum XIV. de infelici rei Catholicæ in Serblia statu commonefecit; quam ob caussam incredibili se dolore fuisse affectum testatur in suis ad Archiepiscopos Serbliæ litteris an. 1744.; has habes in tomo VII. in Ecclesia Antibarensi. Suscepto Archiepiscopalis consecrationis munere, antequam Scopiam reverteretur, tradita illi est a Pontifice regni Serbliani ecclesiastica administratio, quam integro decennio sollertissime gessit; atque an. 1753. vitæ finem posuit. (Joannes B. Archiepisc. Scopiensis anno 1743.) (ejus obitus)

THOMAS ARCHIEPISCOPUS SCOPIENSIS XVII.

Thomas Archiepisc. Scopiensis anno 1755. Natus est Ragusii, patre Stephano Tomicichio XV. Kal. Junias an. 1725. Egregiis moribus ac litteris excultus, & in Clerum cooptatus sacerdotale munus obtinuit, nec multo post parœciam S. Andreæ in suburbio *Pille* sanctissime rexit. Quo tempore Hyacinthus Miglioviehius Archiepiscopus Ragusinus, data ei a Sacra Congrega-

gatione, quem vellet Scopiensem Antistitem, eligendi potestate, Thomam nominavit, & consensu ac decreto Pontificis sacra impertiit consecratione, die 5. Aprilis 1754. *Illustriss. & Reverendiss. Fr. Hyacinthus Migliovichius Archiep. Ragusinus una cum Illustriss. & Reverendiss. Dominis Benedicto Zuzzeri Sophiensi Archiep. & Petro Budmani Ep. Stagnensi suo Suffraganeo consecravit in Archiep. Scopiensem in Ecclesia Monialium S. Claræ R. D. Thomam Tomicich, cui Pallium sumptum de Corpore S. Petri, ut moris est, tradidit juxta mandatum Apostolicum*. Ex lib. Divers. Cur. Archiep. Ragus. fol. 52. Vix suam dioecesim adivit, & gravissima in illum a Turcis commota est persequutio, quippe quem hominem illi provinciæ extraneum falsis nuntiis incitati suspicabantur gentis Austriacæ fautorem, quacum dissidia illis intercedebant; & ad oppidum Banialukium in Bosna utrinque pugnatum fuerat. Hinc Thomæ nulla quies, insidiæ undique, & vitæ discrimina; sæpe fustibus appetitus atque contusus, quandoque vulneribus saucius ægre ex illorum manibus sese proripuit. Sed inimicorum improbitate nihil deterritus est; & lustrandæ dioecesi animum constanter intenderat, cum res accidit luctuosa, quæ non Thomæ soli, sed toti Catholicorum gregi summum afferre exitium potuisset, nisi is cederet tempestati. Iter agebat per invia loca & salebrosa Turcarum vitans occursus; cumque Jagnevi, Zarnagoræ aliasque circum parœcias inviseret, & sibi minus metuens, quam suis, qui pauci comitabantur, penes nescio quem Catholicum virum lateret, extemplo Turcæ deprehensum aggrediuntur, ut confoderent; tum qui aderant, conserta manu hostibus obstitere, Thoma frustra repugnante cui carior erat suorum vita, quam propria. Inter hæc Turcæ repente aliorsum conversi ad compescendam seditionem advolant, quæ haud longe fuerat excitata a Pechiensi Præfecto; quo casu Thomas noctu aufugit, tutiorique in loco se abdidit. At eum barbari paullo post eo rediissent, ubi Archiepiscopum adhuc rebantur consistere, ejus fuga comperta, rabie in insontem hominem acti, qui illum exceperat, pedibus per vicos in forum raptant crudeliter, & in frusta concisum, nequis sepeliret, armati vetuere; verum oblata a mercatoribus catholicis pecunia redempta membra sepulturæ tradita sunt. Interea immanior furebat Turcarum sævities in omnes, qui Archiepiscopi suberant jurisdictioni, & in periculo aut capitis, aut religionis prodendæ versabantur quotidie Catholici nullo protecti auxilio. Quare Thomas Novumbazarium se contulit in Sophiensem dioecesim; cumque intelligeret, aditus quosque sibi occlusos, ne opem ullam disperso gregi, & luporum feritati objecto afferret, Sacram Congregationem per litteras de miserrimo Scopiensium statu, & de Archiepiscopatu dimittendo consuluit. Itaque re perpensa & probe perspecta a Patribus responsum, ne tota gens sui odio ab impiis adeo acerbe vexaretur, satius fore alium deligi, quem ipse nominaret, tanto subeundo oneri aptum, regionis incolam, nec Turcarum suspicionibus obnoxium. Quare Thomas Matthæum Massarechium, quo Vicario usus fuerat, proposuit, qui sibi merito in Archiepiscopatu succederet; isque post annos ferme quatuor ab inito regimine in patriam reversus est.

Turcarum in illum persecutio.

Archiepiscopatum volens dimittit.

MATTHEUS ARCHIEPISCOPUS SCOPIENSIS XVIII.

Honestis parentibus natus est in oppido Jagnevo. Absoluto studiorum cursu, & sacris Ordinibus insignitus plurimum Thomam Archiepiscopum juvit vicaria opera; ac in ejus locum postea suffectus XV. Kal. Novembris an. 1758. Ragusii solemni consecratione Archiepiscopalia sumpsit insignia anno post; *die* 27. *Sept.* 1759. *Illustriss. ac Reverendiss. Dom. Fr. Archangelus de Lupis Archiep. Ragusinus una cum Illustriss. & Reverendiss. Dominis Benedicto Zuzzeri Archiep. Sophiensi, & Petro Budmani Ep. Stagnensi suo Suffraganeo consecravit in Archiep. Scopiensem in Ecclesia Metropolitana Cathedrali Ragusina sub titulo B. M. V. in cælum Assumptæ R. D. Matthæum Masarech electum a Sacr. Congreg. de Propaganda Fide, cui Pallium sumptum de Corpore S. Petri, ut moris est, tradidit juxta mandatum Apostolicum*; ex lib. Divers. Curiæ Ragus. Archiep. fol. 41. Annos tres circ. supra quinquaginta suam Ecclesiam procuravit sollertissime; & post lustratam incredibili labore, atque uberrimo fructu dioecesim, datis ad Sacr. Congreg. litteris XIV. Kal. Februarias an. 1762. rationem a se actorum obtulit, tum de nobilitate Ecclesiæ Scopiensis multis disserens, narrationem in hæc verba absolvit; *Archiepiscopum carere Ecclesia, domo, seu palatio, curia & curialibus, reditibus ac possessionibus quibuscumque, se plerumque Jagnevi in patria degere in angusta Parochi domo, quandoque in oppido Novobazario, tutum nunquam, nunquam quietum, quotidie in lethi faucibus. Sacerdotes aliquot indigenæ, & novem Ordinis Franciscani operarii sacra ministeria peragunt, & animarum culturam exercent. Turcæ ibi ferociores, quam*

Matthæus Archiepisc. Scopiensis anno 1758.

Dioecesim lustrat.

qui

Digitized by Google

qui Sophiæ sunt & Philippopoli, & Hungariæ finitimi Catholicos vexant, diripiunt, obtruncant, hanc ob causam potissimum, quod putant, Hungarorum esse exploratores. Hæc Matthæus, qui an. 1812. piissime ad perennem ac cœlestem quietem migravit.

obit anno 1812.

MATTHÆUS II. ARCHIEPISCOPUS SCOPIENSIS XIX.

E familia Crasnichia, electus a Pio VII. non. Martii an. 1815. laudabiliter præest.



EPI-

Digitized by Google

EPISCOPI SUFFRAGANEI
METROPOLIS SCOPIENSIS.

EPISCOPI DIOCLETIANENSES.

URbs Dardaniæ episcopalis erat Diocletiana, alia omnino a Diocletianopoli Antonini in Thessalia, & ab altera in Thracia, a quibus plurimum distat; etsi Carolus a S. Paullo videatur cum Thessalica illam confundere; immo neque Diocletianopolim censeo fuisse appellatam, quo nomine distinguitur in tabulis Geographicis Seminarii Patavini inter Naissum sita & Scupos. De qua ne conjectura quidem affirmare quidquam possumus, sive ad civilia, sive ad ecclesiastica pertineat monumenta. E suis Episcopis innotescit

MAXIMUS EP. DIOCLETIANENSIS unicus.

Subscriptus epistolæ synodicæ Episcoporum Dardaniæ ad Leonem Imp. quam vide in Ursilio metropolita Scopiensi.

EPISCOPI NAISSITANI.

Naissi descriptio.

AD sinistram Margi fluminis ripam, propiusque fonti assidet Naissus in finibus Dardaniæ, quam Margus dividit a Dacia Aureliani quæ mediterranea; hinc ab aliis Dardaniæ, ab aliis Daciæ tribuitur a Hierocle præsertim in Synecdemo; *provincia Daciæ mediterraneæ sub Consulari, civitates quinque, Sardica metropolis, Pantalia, Germana, Naissus, Remesiana;* & a Constantino Porphyrogenito lib. 2. de them. iisdem Hieroclis verbis; nunc *Nissa* dicitur ad fluvium Moravam eundem, qui Margus, in Serbliæ & Bulgariæ finibus, tametsi urbs Serbliana queat rectius appellari. Græci veteres Scriptores & Latini ejus nomen varie scripsere; mihi præferenda videtur Stephani Byzantini enunciatio Græca in lib. de urbibus Ναισσὸς, vel Ναισσός, unde *Naysus* vel *Naissus*, & in Itiner. Hierosolimitano, *civitas Naisso*, quam Stephanus *opus* dicit & *patriam Constantini regis;* verum condita multo ante fuerat ab ignoto auctore; & a Constantino aucta magnificentius pro regii natalis dignitate, veluti ejusdem opus haberi cœpit. *Oppidum copiosum* ab Ammiano Marcellino dictum est lib. 21. cap. 10. quippe quod Constantinus *magnifice ornavit*, ut est in Excerptis de gestis Constantini M. & ab eo certe ædificatam putamus regiam villam tertio ab urbe lapide *Medianam* nomine, ubi idem Marcellinus lib. 26. cap. 10. constitisse narrat Valentinianum & Valentem Impp. antequam, diviso imperio, a sese invicem disjungerentur. Bellorum ac temporum vices perpessa est usque ad Justinianum Imp., qui teste Procopio lib. 4. de ædif. *Naisopoleos* aliarumque in Sardicensi provincia urbium mœnia refecit; deinde modo Bulgaris, modo Serblis subjecta, paruit etiam Dynastis e Serblorum genere Nissiensibus; ac demum in Turcarum potestatem venit sæc. XV., *nunc mercatorum oppidum tantummodo, ruinarum aggeribus, ac prostratæ & late jacentis urbis cadavere* memorabilis, ait Antonius Verantius Archiep. Strigoniensis in suo itiner. Costantinopolitano ms. ubi plures reperit & exscripsit veterum Romanorum inscriptiones, *pluresque ejusmodi, & alia scitu digna monumenta vetustatis hujus urbis invenire potuissemus, si diutius in eadem nobis manendi & liberius lustrandi facultas fuisset data.* Busbequius etiam Verantio coævus in ep. prima sui itineris Costantinopolitani scripta anno 1554. hæc de Naisso memoriæ prodidit; *haud magno intervallo a Jagodna*, oppido Serblianorum, *occurrit nobis fluviolus, quem accolæ Nessum vocant, habuimusque eum fere ad dexteram manum comitem, donec Nissam veniremus; & post aliquanto vidimus in ejus ripa, ubi veteris viæ Romanæ vestigia supererant, etiamnum extantem marmoream columellam litteris inscriptam latinis, sed ita mutilatis, ut legi non possent; est autem Nissa non ignobile, neque infrequens illis gentibus oppidulum.* Marnavitius, qui hæc loca, accurate & erudite lustraverat, in lib. de Princip. Nissiensibus pag. 6.

Nais-

Digitized by Google

Naissus, ait, *jacet hodie ad ripam fluvii nominis ejusdem, qui ubi ex radicibus Orbedi montis Mœsiam sive Dardaniam dividentis a Macedonia e meridionali parte in septemtrionem promovit aquas, paullo antequam Morava fluvio, veteribus Moschio, in Danubium magno aquarum augmento properanti influat, squallentis urbis mapalia ne dicam rudera stagnat*.

Ecclesiæ Naissitanæ initia.

Christianæ religionis initia apud Naissitanos referri possunt ad sæculum primum, cum S. Clemens D. Petri discipulus in Thraciam Christi nomen, & Evangelii leges invexit, condiditque Sardicensem Ecclesiam, unde & in Mœsiam superiorem digredi facile potuit, quacum tum Dardania conjungebatur. Fuit tamen Scopiensi metropolitæ subjecta, quod indicant perspicue verba Projecti Episcopi Naissitani in Concilio V. Œcumenico, & II. Constantinopolitano, uti suo loco dicam; sed ante sæc. IV. nulla suorum Antistitum memoria superest. Etsi vero nihil de urbe & Ecclesia Naissitana proferri possit illustre, & laude apud posteros dignum, unum id illustrius præ cœteris orbis Christiani urbibus illam extollit, & mire exornat, quod inde ortum habuit piissimus Imperator Constantinus M. primus religionis Christianorum cultor & vindex adversus idololatriæ superstitiones, & impia dogmata, ac Christi nominis, atque divinitatis ferventissimus amplificator; ut quantum Illyricis gentibus merito dolendum est, ex earum sinu in Dalmatia & urbe Salona procreatum fuisse immane impietatis & crudelitatis monstrum Diocletianum, quo nemo sævius in Christiana sacra eorumque cultores debacchatus est, ita & lætandum, in Dacia & urbe Naisso vitam hausisse Constantinum, qui ingentia persecutionis Diocletianeæ damna pietate, exemplo, legibus, summa potestate reficeret; de quo, deque ejus matre Helena sanctissima fœmina summatim ea describere aggredior, quæ ad historiæ nostræ rationem pertinent.

B. Constantinus M. patria Naissitanus.

Ac de patria primum Constantini certum apud eruditos est ac firmum, Naissi in lucem editum fuisse, & anno 274. Hoc docet Stephanus superius laudatus, & Porphyrogenitus lib. 2. de themat. *Naissus patria magni Constantini*, tum Anonymus Valesianus, *Constantinus natus in oppido Naisso, quod oppidum postea magnifice ornavit*: quibuscum juniores historici consentiunt tum Græci, tum Latini; ex his Pagius ad an. 306. in Crit. Baron. & Bandurius tomo 2. Numism. Imper. pag. 237. Certe Illyricum Constantini genus ex ejus patris Flavii Valerii Constantii Imper. avique Eutropii origine probatur; utrumque enim Dardanum vulgo Scriptores fuisse ferunt; Dardania enim Illyrici provincia est, & Daciæ Aurelianeæ proxima; nam qui Constantinum natione Anglum, seu Britannum comminiscuntur, eos decepit auctor Panegyrici in Maximianum & Constantinum editi; cum Britannias a Constantio patre libertate donatas, a Constantino vero *nobiles oriendo* effectas scribit; *tu nobiles illic oriendo fecisti*; quæ de natali imperii die oportet intelligi; ibi etenim, mortuo patre Eboraci, Imperator salutatus est a Romanis militibus VIII. Kal. Augusti an. 306. æræ Christianæ, & ætatis trigesimo secundo. Hic imperii initi a Constantino annus probatur historicorum omnium & eruditorum consensu, quem *multo ante ab ipso Deo summo omnium Imperatore Imperatorem summum & Augustum declaratum* fuisse scribit Eusebius l. 8. cap. 26. de vita Constant. quamvis cum Diocletiano & Maximiano primum, deinde cum Licinio diu divisa fuerit ejus potestas; & anno tantum 324. Licinio triplici clade victo, ac penitus prostrato, solus Romani orbis dominationem sibi feliciter virtute partam tenere incœperit. Cognitæ primo a Constantino religionis Christianæ, ac postea susceptæ caussa visum in aere fulgentis Crucis signum, quod illi victoriam adversus Maxentium portendebat, & nocturna visio, qua sese eidem Christus objecit, *præcepitque*, inquit Eusebius l. 1. *ut militari signo ad similitudinem ejus, quod in cælis vidisset, fabricato, tamquam salutari præsidio in præliis uteretur*; quamquam unius verique Dei notitia aliqua affulsisse antea ejus menti videatur ex patris Constantii institutione, ipso Eusebio teste, qui aperte ibidem tradit, Constantinum etiam ante cœleste portentum, *solum Deum genitoris sui sibi esse colendum censuisse*. Hæc anno 312. contigisse fere omnes sentiunt, & VII. Kal. Novembris; sed de loco, quo Crux apparuit, non levis est controversia; siquidem Papebrochius in Comment. histor. de actis Constantini cap. 1. & 3. in tomo V. Maji Bolland. putat auctoritate Nazarii in panegyrico Constantini adductus, *circa Rhenum agenti Constantino oblatam Crucem fuisse*; Pagius tamen aliique censent factum ostentum ad mœnia Romæ paullo antequam cum Maxentio confligeret; nam Lactantius in lib. de mort. Persecut. cap. 44. narrat, Constantinum *copias omnes ad Urbem admovisse, & e regione pontis Milvii constitisse*; tum *commonitus est in quiete, ut cæleste signum Dei notaret in scutis, atque ita prælium committeret*; ast Eusebius, qui hæc ab ipso Constantino acceperat, auctor est,

Ejus ætas compendiaria.

Digitized by Google

uno prope tempore & Crucem in cœlo visam, & Christum in somnio; *horis diei meridianis, sole in occasum vergente, Crucis trophæum in cælo ex luce conflatum, soli superpositum ipsis oculis se vidisse affirmavit.... interim ipse, ut ajebat, addubitare cœpit, quidnam hoc spectrum sibi vellet; cogitanti autem.... nox supervenit Tum vero Christus ei dormienti apparuit &c.* igitur, si una nox, & in ea insomnium consecuta sunt antecedentem diurnumque Crucis aspectum, & illud teste Lactantio in castris prope Urbem accidit, eodem in loco Constantinus Crucem conspexit. Verum Eusebius post hujusce visi narrationem subjicit Constantini in Italiam adventum, tribus Maxentii exercitibus profligatis, quæ cum Lactantio componi nequeunt, nisi verisimilius dixeris, Christum bis sese videndum objecisse Imperatori; & primo jussit, militare signum seu vexillum in Crucis speciem efformari, quod & Labarum dictum, ac ab Eusebio graphice describitur; secundo in castris ad Tyberim monuit, ut Crucis signum in scutis militum effingeret; *fecit ut jussus est; transversa X litera summo capite circumflexo Christo in scutis notat*, subdit Lactantius. Pergit porro Eusebius, & quanto studio Christianæ & fidei dogmata, & legis præcepta a sacerdotibus didicerit, luculenter exponit; inde *ipsemet divinorum librorum lectioni vacare instituit, & Deum illum quem viderat omni observantia colendum esse duxit;* nulla autem hic, nec in aliis Scriptoribus Eusebii Romani Pontificis, qui jam obierat an. 310. aut Eusebii Episcopi Vesontionensis mentio, quem pro Romano Eusebio comminiscitur Chifletius in Dissert. de conversione Constant., a quibus is Christianis disciplinis fuerit institutus; multoque minus Eusebius quidam presbyter ab iis memoratur, Naissitanus postea Episcopus, & Naissitani nescio cujus Concilii auctor; quæ ex fabulosis de Inventione S. Crucis, & ex apocryphis S. Sylvestri actis sunt deprompta, nulliusque esse fidei noscuntur ab eruditis.

Baptismus Constantini. De baptismate Constantini multo gravior est contentio, & ingentibus studiis utrinque agitata, illud Romæ ne susceperit, an Nicomediæ sub vitæ exitum. Sed lis finita tandem decisione videtur; ac plerique virorum doctissimi pro Nicomediensi baptismo sententiam tulere, in quam & nos concedimus. Objectas ab adversariis rationes refellit Papebrochius laudato in loco, & Pagius in Crit. Baronii ad an. 324. Nostrum vero non est hasce quæstiones ingredi, cum satis est proposito nostro maximi Imperatoris acta & laudes summatim percensere. Eusebius lib. 1. & 2. Constantini gesta & edicta pro Ecclesia & religione cumulate describit; inprimisque ejus pietati tribuenda sanctissimi Nicæni Concilii patrocinium ac defensio, & in ejus hostes Arianos vehementissimus ardor; reliquas vero illius virtutes passim in vita, præsertim in oratione de laudibus Constantini merito extollit. Siquid autem humani passus est, præcipue in nece Crispi filii, aliorumque, qui cum eo cognatione conjunctissimi fuere, & culpæ coarguitur in aliis vitæ actis, quam prophani historici exaggerant odio in illum accensi ob abolita eorum sacra, *insita ei*, subjicit Eusebius lib. 4., *humanitas ac bonitas, ac fidei morumque sinceritas eo ipsum adduxit, ut ficta in speciem pietati crederet hominum illorum, qui vel pro Christianis habebantur, vel sinceram erga ipsum benevolentiam callida mente simulabant. Quibus ille cum semet ipse tradidisset, interdum fortassis in ea, quæ parum decora erant, impegit, maligni dæmonis invidia hanc maculam reliquis ejus laudibus aspergente, velut* Cæterum omnia plena clementiæ, humanitatis in eo eluxere; erga egenos & noxios misericordiam, in condendis legibus æquitatem, in moderanda republica prudentiam præ se tulit eximiam; in publicis vero extruendis ædificiis, templisque Christianis condendis magnificentia fuit plane regia, quod maxime in ornando augendoque Byzantio patuit, cum eam urbem magistratibus honoribusque veteri Romæ parem esse voluit, & suo nomine Constantinopolim appellari, ac totius imperii caput sedemque constituit. Mira demum in bellis, quibus iisque magnis ac pœne diuturnis adversus Tyrannos ac Barbaros lacessitus est, felicitate usus non tam armis, quam cœlestibus prodigiis dimicavit, totque habuit triumphos, quot prælia commisit. Magni propterea cognomen sibi jure promeruit, pacato tandem imperio, & parta Ecclesiæ, ac Catholicæ religioni pace post trium sæculorum crudelissimas vexationes ac cædes, quibus Christi cultores fuerant iniquissime jactati. Uno & triginta annis regnavit; & divisis inter filios imperii provinciis, ætate ultra sexagesimum annum provectus Achirone in suburbano Nicomediæ e vita excessit an. Christi 337. XI. Kal. Junias. Funeris pompam, qua ejus corpus Constantinopolim deductum est, & in Apostolorum templo ab ipso exstructo sepultum, hisce describit Eusebius l. 4. *Sublatum milites e lecto corpus in arca aurea deposuerunt, eamque purpurea veste obtectam Constantinopolim deportarunt, atque in præcipuo imperialis palatii cubiculo sublimi-*

Virtutes. Obitus.

Digitized by Google

blimen collocaverunt. Dehinc aurea super candelabra luminibus undique accensis admirabile spectaculum intuentibus præbebatur; & quale nullo unquam mortalium ab ipso orbis conditu in terris visum fuerat. Quippe in medio conclavi funus Imperatoris in arca aurea sublime jacens regiis insignibus, purpura scilicet ac diademate ornatum multi circumstantes noctu atque interdiu vigiles custodiebant. Cæterum totius exercitus duces, comites quoque & reliqui judices, qui etiam antea Imperatorem adorare soliti erant, pristini moris observantiam nullatenus mutantes statis horis ingrediebantur, & Imperatorem in arca depositum perinde ac vivum & spirantem genu flexo post obitum salutabant. Post primores autem illos idem deinceps & Senatores & honorati omnes introeuntes fecerunt. Innumerabilis deinde vulgi multitudo cum pueris & mulieribus ad hujus rei spectaculum accessit. Atque hæc longi temporis spatio gesta sunt; in palatio nimirum ad urbem sito; nam, cum Constantius ejus filius advenisset in urbem illud deduxit *exsequias ipse præcedens. Præibant per catervas, & agmina dispositi ordines militares, pone sequebatur innumerabilis hominum multitudo; hastati vero scutarii ipsum Imperatoris corpus medii cingebant; & postquam in Apostolorum Servatoris nostri Ecclesiam deventum est, arcam illic deposuerunt.... ubi ministri Dei cum turbis & tota fidelium plebe in medium prodiere & divini cultus ceremonias precationibus peregerunt..... Hunc sibi locum post mortem designaverat.... Cum igitur duodecim capsas, quasi sacras quasdam columnas, in honorem ac memoriam Apostolici Collegii erexisset, suam ipsius arcam in medio constituit, quæ senas utrinque Apostolorum capsas dispositas habebat;* hactenus Eusebius. Constantini sepulchrum magno in honore a Græcis habitum est, dum regia urbs stetit; qua capta a Mahumete an. 1453. & eversis disjectisque veterum Imperatorum tumulis ac cineribus, monumentum quoque Constantini deletum est, cujus adhuc extat porphyreticum marmor, uti Græci tradunt, & Turcæ, ad ædem Sophiæ, de quo Gyllius in Topographia urbis Constantinopolitanæ l. 4. c. 2. Ejus tamen memoria nullis temporum vicibus aboleri unquam potuit, & omnium ore tum in Orientali tum in Occidentali Ecclesia in hanc usque diem celebratur. Græci uti Sanctum, colunt piissimum Imperatorem, eique dies festa decreta vigesima prima Maji, quo, uti docent Synaxaria, *celebratur ejus sancta festivitas in sanctissima magna Ecclesia & apud Sanctos Apostolos, atque in divina ipsius ade, quæ est in cisterna monasterii; Patriarcha simul cum Imperatore atque Senatu illuc supplicabunde accedente, & divinam liturgiam absolvente;* & hinc discimus *divinam adem* Constantini nomine Constantinopoli ædificatam fuisse. Illius cultus a Græcis ad Moschos delatus est, quod præferunt eorum Ephæmerides figuratæ; sed apud Italos etiam & in Calabria Divorum honore Constantinum venerantur oppidani Bovenses ob ejus sacri corporis reliquias ibidem servatas; ejusdemque brachii os parvum merita religione prosequitur Pragensis Ecclesia Metropolitana; quo tempore, & unde illuc allatum, incertum est. Apud Belgas & veteres Anglos nomen Constantini in eorum martyrologiis inscriptum legitur, & in martyrologio Arabo-Ægyptio; in Sicilia denique institutam an. 1306. sodalitatem Constantino M. patrono memorat Joannes Baptista de Grassis in Catena Sacr. Plura de Constantino disserit Papebrochius ad diem 21. Maji. Et hæc quidem sufficiant, ut Illyrici homines agnoscant, & quo maximo & sanctissimo Imperatore præ cæteris Christianis provinciis nobilitentur. Nunc de D. Helena ejus matre.

& cultus.

Acta S. Helenæ.

Hanc Divis Illyricis adnumerandam suadet ejus cum Constantio Imp. in Dardania orto conjugium, & nobilissima proles ex ea Naissi genita ad Dardaniæ, Daciæque fines, scilicet Constantinus M. Imperator; hinc & in historia Ecclesiæ Naissitanæ recte illius acta breviter describimus, de quibus agit æque copiose, ac erudite Pinius ad diem XVIII. Augusti Boll. Ejus natale solum Drepanum fuit urbs Bythiniæ, quam Constantinus Helenopolim matris nomine voluit appellari; annus vero, quo in lucem edita, quadragesimus circ. octavus supra ducentesimum æræ Christianæ constitui potest. Bandurius tomo 2. Numism. Rom. Drepanum & is patriam Helenæ attribuit, *ut plerique volunt, & non ignobili genere ortam* autumat; per contemptum vero *Stabularia* olim dicta videtur, quippe quæ Bethleemiticum stabulum, in quo Jesus Christus natus est, religiose coluit & templo ornavit revera magnifico. Illa igitur, Deo miris modis res humanas ad sua consilia exsequenda regente, Imperatori Constantio nupsit legitimo connubio. Non defuere tamen qui honestissimam juvenem turpi concubinæ nota calumniarentur, quos pluribus gravissimisque argumentis Pinius coarguit; & quamvis nato jam Constantino dimissa fuerit a marito an. 292., invitus coactusque Constantius prius conjugium dissolvit, ut Theodoram alteram uxorem sibi asciceret, te-

Digitized by Google

ste Eutropio atque Aurelio Victore. Quare Helena alio jussa secedere privatæ vitæ quietem non ægre tulit, eoque in recessu, cujus locus ignoratur ab eruditis, animum de se ipsa nihil hujusmodi cogitans, Deo adjutore, paravit Christianis percipiendis præceptis, quibus deinde fuit instituta. Id contigit post susceptam a Constantino Christi religionem, ac post annum 312. Est quidem inter eruditos controversia, illa ne filium, an hic matrem Christianis imbuerit doctrinis; sed Eusebii unico testimonio, qui Constantino familiaris domestica ejus acta probe noverat, perspicue constat, hanc laudem susceptæ ab Helena sanctissimæ Fidei filio esse tribuendam; *quem*, inquit Eusebius l. 3. de vita Const. *maxime ob pietatem in matrem beatum convenit prædicare. Quippe illam, cum antea Dei cultrix non esset, tam piam ac religiosam præstitit, ut a communi omnium Servatore instituta fuisse videretur;* qua Eusebii auctoritate duo falsa esse convincuntur, Helenam scilicet Judæorum sacris semet prius addixisse, cum veri Dei cultum minime nosset, & maritum Constantium ab illa Christianorum mysteriis instructum fuisse; quæ aliaque de Helena commenta Pinius graviter vereque confutat. Matrem tam saluberrime Christum edoctam, & præclaris jam tum illustrem virtutibus Augustæ etiam titulo ac dignitate Constantinus ornavit an. 325., & regiis honoribus per universum imperium coli ab omnibus jussit, regiaque in iis, quæ Augustæ fœminæ convenirent, potestate pollere; & Eusebius id confirmat lib. 3. *regalibus honoribus ita eandem ornavit* Constantinus, *ut in omnibus provinciis tum a paganis tum a militibus augusta & imperatrix nuncuparetur, & aurei nummi ejus imagine signarentur,* cujusmodi plures, & argenteos & aureos exhibet Bandurius tomo 2. Numism. Imp. Rom. uti & duos vetustos lapides, quorum inscriptio hisce incipit,

DOMINAE. NOSTRAE. FL. IVL.
HELENAE. PIISSIMAE. AVG. &c.

in altero

PIISSIMAE. ET. CLEMENTISSIMAE
DOMINAE, NOSTRAE. AVGVSTAE
HELENAE. MATRI &c.

Erat tum Helena ætate gravis; quo tempore piissima Augusta iter Hierosolymitanum suscepit, ut ea loca, in quibus divinum opus pro humani generis salute a Jesu Christo Salvatore fuerat perfectum, religiose inviseret, & coram supplexque veneraretur, ac ob filii, & familiæ Augustæ incolumitatem gratias Deo persolveret & vota; *nam*, inquit ibidem Eusebius, *cum illa debitum piæ affectionis munus Deo omnium regi persolvere decrevisset, & pro filio suo, tanto scilicet Imperatore, ac pro filiis ejus Cæsaribus Deo carissimis, nepotibus suis, gratias cum supplicationibus sibi agendas esse statuisset, quamvis affecta jam ætate, tamen juvenili animo properavit mulier singulari prudentia, ut terram veneratione dignam perlustraret, & Orientis provincias urbesque ac populos cum regali quadam sollicitudine ac providentia inviseret;* quæ postrema verba indicant, eo etiam Helenam spectasse, ut Orientalium animos, qui Licinianis partibus favebant, ac triennio ante adversus Constantinum pro Licinii imperio bellaverant, sua præsentia, mitissimisque, quibus præstabat modis, deliniret, & sub filii potestate contineret. Pium prudensque hujus itineris consilium declarat etiam S. Ambrosius in orat. de obitu Theodosii; *anxia mater pro filio, cui regnum orbis Romani cesserat, festinavit Hierosolymam;* illudque cœlitus fuisse immissum veteres affirmant Scriptores Rufinus & Socrates in hist eccles. Teophanes in Chronogr. & S. Paulinus in epist. ad Severum, ut defossa Judæorum invidia Christianæ religionis pretiosiora, pignora, & ignominiose obruta tanto splendidus e tenebris in publicum universæ Ecclesiæ cultum, decusque atque solatium emergerent, quanto augustiori auctoritate, & locupletissimo nobilium & certissimorum testium numero forent derecta, & comprobata. Nam & Christi sepulchrum, & lignum divinæ Crucis, tum clavos, & lanceam, ipsumque Cruci infixum titulum, ac quotquot latebant communis salutis monumenta, diligentissime Helena quæsivit magnis sumptibus, ac plane regiis; & voti compos tandem invenit, tota Hierosolyma inspectante, ac Romani imperii, ut par, diuque fuerat exoptatum, venerationi exhibuit; ut iccirco Sacris hisce repertis perennem sibi ac propriam nominis gloriam adepta sit, & uno omnium ore veterum Patrum, & de re Christiana Scriptorum impense celebrata. Id gestum post Nicænum Concilium, & hoc anno 325. vel insequentis initio; hujus autem historiæ veritas tot est gravissimis Græcorum æque ac Latinorum testimoniis confirmata, ut nisi quis impudentissimus audeat denegare; de quo illam & Pinius docte disserit, & plures alii adverans recentiores hæreticos graviter scripsere. Auctor est Eusebius lib. 3. *duo statim templa Deo Helenam dedicasse, cum filius imperialis potentiæ subsidium ei conferret, alterum ad speluncam, in qua natus est Dominus, alterum in eo monte, ex quo in cælum ascenderat;* sed & alia ejus

jus-

jussu exstructa dicuntur sacra ædificia, de quibus aliqua est inter historicos disceptatio. Porro Helena tam felici sui itineris eventu lætissima partem repertæ Crucis thecis argenteis septam atque ornatam Hierosolymis reliquit, partem vero, & clavos filio detulit, cum Constantinopolim rediisset; verum Ambrosius in laudata oratione missa a matre ea munera ad Constantinum narrat. Equidem Hierosolymis haud exiguo tempore constitit, ibique virtutum, quibus maxime excellebat, illustria & clara prodidit exempla, quæ Eusebius, aliique historici ingenti cum laude posterorum memoriæ tradidere; hæc autem præstat ipsis eorum verbis describere; *assidue*, ait lib. 3. Eusebius, *cunctis videntibus in Ecclesiam ventitabat, & sacras ædes eximiis ornamentis decorabat, ne minimarum quidem urbium sacella despiciens. Itaque videre erat mulierem prorsus admirabilem modesto ac decenti habitu una cum reliqua multitudine versantem, suamque erga Deum religionem omni pietatis genere declarantem. Porro,* pergit Socrates lib. 1. cap. 17., *tam pie ac religiose erga hæc*, id est templa, *erat affecta, ut in ordine mulierum una cum cæteris Deum oraret;* quam animi modestiam erga omnes, *tum vero præcipue ergo sacrum monachorum habitum* reverentiam laudat Suidas in Lex. v. Helena. *Reliquit etiam*, subjicit Rufinus lib. 10. *hoc indicium religiosi animi regina venerabilis. Virgines, quas ibi*, scilicet Hierosolymis, *reperit Deo sacratas invitasse ad prandium, & tanta eas devotione curasse dicitur, ut indignum crederet, si famulorum uteretur officiis; sed ipsa manibus suis famulæ succincta habitus cibum apponeret peculum porrigeret, aquam manibus infunderet, & regina orbis ac mater imperii famularum Christi se famulam deputaret.* In filium quo fuerit intenta affectu, testatur idem Suidas; unice enim a Deo exoptabat, ut *animum virtute præditum, expertem superbiæ haberet, & rempublicam accurate curaret, & Deo serviret cum timore & tremore.* In omnes vero misericordiæ & munificentiæ præclara opera paucis complexus est laudatus Eusebius l. 3. *dum totum Orientem cum regali magnificentia peragrat, tum civitatibus, tum privatis, qui ipsam adibant, innumera beneficia acervotim contulit; innumera quoque militaribus numeris liberali manu distribuit. Pauperibus autem ac nudis & omni ope ac solatio destitutis quamplurima donavit, illis pecuniam, his vestem ad tegendam corporis nuditatem prolixe suppeditans. Alios item vinculis aut metallorum ærumnis afflictos exsolvit, quosdam violentia potentiorum oppressos liberavit, nonnullos etiam ab exilio revocavit;* hæc Eusebius.

Hisce itaque perfuncta Christianæ ac sanctissimæ vitæ officiis Helena ad filium rediit, nec multo post annum agens ætatis circiter octogesimum, cum testamento hæredes scripsisset Constantinum ejusque filios, quorum singulis bona divisit, queis fuerat a filio magnifice donata per omnes fere imperii provincias, diem supremum obiit, *præsente & adstante ipsi tali tantoque filio, & omni obsequiorum genere matrem fovente, manusque ejus amplectente,* ut idem Eusebius asserit; cadaver autem ea pompa elatum, quæ matrem Augustam, & filium totius orbis dominum decebat, *in regiam urbem perventum ibidem in regali monumento depositum est.* Sed magna in contentione ponitur ab eruditis locus & annus illius obitus; de quibus supervacaneam quæstionem non instituimus. Fatetur Pinius, incertum adhuc esse, Romæ ne an Constantinopoli Helena decesserit; mihi tamen haud verisimile videtur maritimum iter ac periculosum fuisse ab illa natu adeo grandi susceptum, ut Hierosolymis Romam proficisceretur; & in loco potius Constantinopoli proximo vita functam autumo, unde in regiam urbem, quo nomine Constantinopolim innui ab Eusebio idem Pinius recte probavit, ejus funus deductum est a Constantino. Quod vero ad annum mortis attinet, & hic quidem controversus est; verum, si anno saltem 325., aut insequente inito Hierosolymam perrexit, lustratis in itinere pluribus Orientis regionibus, sique post ingentia in ea urbe patrata facinora, quæ integrum saltem eoque amplius annum commorationis occupaverunt, inde rediens brevi tempore extincta est, sane illius obitum vel in annum 327. rejiciendum puto, aut 328. si mavis Tillemontium sequi tomo 7. monum. eccl., licet & de loco, & de anno aliter sentiant Baronius & Pagius. Ast de loco etiam quæritur, ubi corpus S. Helenæ hodie quiescat, ac de ejus possessione acriter dimicant inter sese Romani præsertim & Veneti & Galli, quos Pinius tuetur, & sacra lipsana in Altivillarensi Monasterio provinciæ Campaniæ servari pluribus gravibusque rationibus, ac monumentis propugnat. Equidem dubitari nequit, quin Deus Altivillarensem Ecclesiam pluribus insignibusque miraculis B. Helenæ merito patratis ornare voluerit, quæ Pinius a sæc. IX., quo ejus corpus illuc Roma translatum dicitur, ad XVIII. continua fere recenset ex actis Altivillarensibus; verum haud consequitur inde, integras corporis exuvias ibi depositas esse, cum sæpe

pe contingat, Divum aliquem prodigiis clarescere, ubi tenuis ejus vel sola colitur effigies. Præterquam quod supereat adhuc probandum, Helenæ corpus, etiamsi Romæ obierit, quod dubium relinquitur, non fuisse Constantinopolim allatum; Constantinopolitana vero translatio testimonio innititur Theophanis, Cedreni, Nicephori Callisti Zonaræ aliorumque Græcorum, quos cum Socrate errasse, & ab eo fuisse deceptos toto nequit affirmari; idque recte advertit Cornelius tomo 9. monum. Eccl. Venet., ut Venetos in possessione ejusdem corporis retineat, quod Constantinopoli delatum, in insula Helenæ nomine insignita honorifice servant Monachi Olivetani, cujusque particulam Philippus II. rex Hispaniarum a Senatu petiit, condiditque in Escuriali Basilica; sed hæc quasi per transennam dicta. Helenam vita functam totus doluit Romanus orbis, ejusque laudes certatim a Latinis & Græcis Patribus, & Historicis celebratæ sunt, ac nomen sacris fastis inscriptum. Illius tamen colendæ memoriæ non idem in Græca ac in Latina Ecclesia addictus dies; Græci enim Divam Augustam cum filio Constantino ipsa die venerantur XII. Kalend. Junias, Latini Helenæ unius diem festum consignant XV. Kal. Septembris. Plura de ejus cultu habes in Pinio laudato; & quæ hactenus de Helena strictim exposuimus, eo unice spectant, ut gens Illyrica æque de matre sibimet glorietur, ac filii Constantini nomine & gestis illustris est, tum ut illam debitis prosequatur honoribus, ac patronam sibi asciscat habeatque propitiam.

Hæc cum descripsissem de gestis S. Helenæ Pinium secutus, dono ad me Spalato missum est opusculum eruditi viri Andreæ Ciccarelli presbyteri Bractiensis in Dalmatia insulæ, quo in lucem edito an. 1814. & Brittaniam & Drepanum patriam Helenæ fuisse negat, idque honoris Bractiæ suæ tribuit, quæ *Bretanides* olim appellata est; & hinc error illorum, qui *Bretanidis* vocabulum ignorantes locum in *Brittaniam* immutarunt. Hanc controversiam de loco natali B. Helenæ de industria prætermisi, ne longam, ac pœne otiosam aggrederer tractationem; cæterum assentior Ciccarello, illam in Brittania natam non esse; & si is Pinium legisset in Augusto Bollandiano ad diem mensis decimum octavum, ejus pro Drepani in Bythinia sententiam non omnino parvi faceret; ejusdem autem argumenta, quibus Helenam Bretanidi vindicat, non diffiteor probabiliora videri, ut persuadeant, quamvis alicui subesse queant objectioni. At quæ tandem fuerit sanctissimæ fœminæ patria, jure tamen illam Illyrici nostri Divis adnumeramus, quia Constantini M. mater; eademque S. Constantiæ filiæ Constantini avia, cujus Augustæ Virginis historia nunc nobis est enarranda.

Constantia, quæ & Constantina a nonnullis Scriptoribus dicitur, neque confundi debet cum Flavia Julia Constantina ejus sorore, virginitatis & sanctitatis gloria clarior fuit, quam generis nobilitate. Cum adhuc idolorum cultum foveret, & Romæ esset, S. Agnetis ope corporis animique sanitatem consecuta est. Etenim, cum gravissimo morbo laboraret, nec in medicorum arte ulla spes reliqua esset recuperandæ valetudinis, sepulchrum adiit beatissimæ martyris, superno ducta impulsu; ibique somno correpta audire sibi visa est hæc Agnetis illam alloquentis verba, *Constanter age Constantia; crede in Jesum Christum filium Dei, qui te sanam faciet*. Nec mora; sana expergiscitur; paulloque post Christianis mysteriis imbuta est, cujus exemplo plures e familia Constantini ethnicam superstitionem ejurarunt. Hæc S. Ambrosius in vita S. Agnetis, quam *in voluminibus abditis* se reperisse testatur, ac subdit; *reversa igitur ad palatium sanissima facit gaudium & patri Augusto & fratribus suis Imperatoribus. Coronatur civitas tota, fit lætitia militantibus & privatis & universis audientibus hæc. Infidelitas gentium confundebatur, & fides Dominica lætabatur.*

Constantia post susceptam Christianam religionem voto etiam virginitatis sese Deo obstrinxit, quod intemerata fide ab ea servatum affirmat S. Ambrosius; *perseveravit autem Constantia Augusta filia in virginitate, per quam multæ virgines nobiles & illustres, & mediocres sacra velamina susceperunt*. Fuere in iis Attica & Artemia filiæ S. Gallicani martyris sub Juliani imperio. Hic antequam Scythicam expeditionem aggrederetur jussu Constantini, Constantiam sibi conjugem priore mortua dari ab Imperatore postulaverat; quod ægre is tulit veritus ne filiæ læderet constans in virginitate propositum. Sed Constantia divino instincta spiritu patrem hortatur, ut nuptias quidem spondeat, dummodo victor e Scythia redeat, & Consulari iterum dignitate donetur; interea ejus filias Atticam & Artemiam sibi tradi instituendas efflagitat. Ita ex utraque parte conventum. Constantia vero Atticam & Artemiam peramanter complexa est, sacris Christianis sollerter instruxit; ac Deum enixe oravit quotidie, ut Gallicanum quoque veræ Fidei luce perfunderet, ipsumque ad amplectendum Christianæ castitatis decus alliceret.

Digitized by Google

ret. Exauditæ virginis preces omnino fuerunt. Nam Gallicanus hostium victor, & in Urbem reversus animo in Christum Dei filium incenso, cum a Constantino intellexisset, Constantiam se virginem Deo devovisse, & ipse Christianis sacramentis initiatus est, & omnem conjugii cupidinem prorsus abjecit. Hæc ex actis sinceris sanctorum martyrum Joannis & Paulli, quorum alter Constantiæ domui Præpositus erat, alter Primicerius secundus; vide Junium mensem Bolland. ad diem 26. In his ipsissima Constantiæ precatio recitatur, *quam ipsa narrante didicimus, & ab ea legimus scriptam*, inquit coævus actorum scriptor, & præsens testis; icciroo hunc eam referre non piget; quippe in illa candor virgineus, & flagrans studium eluceant pro Gallicani ejusque filiarum salute.

Domine Deus omnipotens, qui me oratione martyris Agnæ a lepra mundasti, & semitam mihi timoris tui ostendisti & Virginis tuæ Matris thalamum reserasti, ubi tu sponsus, tu filius manifestatus es, tu genitus ex Maria, tu genitor probatus es Mariæ, tu omne seculum nutriens simul etiam illam, ex qua lactatus es & nutritus; tu infantulus crescens ætate, tu omni mundo incrementum concedens; tu sapientia proficiens, cum sis ipse sapientia, tu ita magnus, ut nihil te magnificentius sit, tu verus homo de matre ex tempore editus, tu verus Deus ex Patre sine matre genitus, Deus de Deo fecisti quæ non erant; ex matre sine patre carnali editus, qui lapsum incurrerant, reparasti, tu fusus in lucem illuminatus es, cum sis ipse qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, te precor credens, ut ipse jussisti, te quæso egens, quod ipse promisisti, cum diceres; Amen dico vobis, quod omnia quæcumque petieritis a Patre in nomine meo dabit vobis. Peto itaque Domine ut has Gallicani filias tu lucreris; ipsum quoque Gallicanum, qui me tibi tollere conatur, tuæ fidei applica castitati. Aperi Domine os meum auribus earum, & aperi aures cordium earum sermonibus meis, & consensus earum mihi januas pande, ut tantam verbis meis virtutem infundas, ut carnis commercium exsecrantes tibi consecrari desiderent, & ex ipso desiderio tantus amor in earum mentibus oriatur, ut ferventes ad thalamum illum tuum cælestem pervenire desiderent, quem plenis oleo lampadibus, & tuæ charitatis fulgentibus flammis attingant, ut loco sibi inter sapientes virgines dato & de tua misericordia gloriantes nihil terrenum desiderent, sed te solum integro affectu suorum viscerum concupiscant.

Patres Maurini in Tomo IV. Operum S. Ambrosii negant, ab illo evulgatam fuisse vitam S. Agnetis; idque etiam Baronio visum; sed alteri Ambrosio tribuendam ajunt homini Græco; illius vero exemplar in Bibliotheca Vaticana asservari. Godefridus Henschenius in actis S. Constantiæ die Februarii XVIII. & Daniel Papebrochius die XXV. & XXVI. Junii in actis SS. Gallicani & Joannis ac Paulli martyrum de Ambrosio Mediolanensi Episcopo non dubitant. Sed esto, ut Maurini sentiunt; miraculum S. Agnetis, quo ægram Constantiam sanavit, in dubium a nemine revocatur, & quotannis legitur a sacerdotibus in persolvendo Matutini, uti ajunt, officio. V. Kal. Febr. Futilis vero Maurinorum animadversio hæc, S. Ambrosii ævo nullas Romæ fuisse Virgines sacro velo rite Deo dicatas, teste S. Hieronymo in epist. ad Marcellam. Quisquis enim Ambrosius fuerit, qui laudatam Agnetis vitam edidit, asserit quidem plures e muliebri sexu Constantiæ virginitatem esse æmulatas; quod quis negare audeat, dum Constantia vixit regia virgo? quæ exemplo adeo illustri potuit Romanas puellas ad se imitandam allicere; neque allata superius verba ad tempus referre oportet, quo ab alterutro Ambrosio scripta sunt.

Sed & Pagius ad an. 330. in Critica Baronii acta SS. Joannis & Paulli rejicit veluti conficta hanc potissime ob causam, quod Constantiæ cum Gallicano nuptias coævi Scriptores non meminere; at sponsio illa fuit Constantiæ privatim facta, & conditione imposita; cur vero de nuptiis mentionem quæras in Historicis illis, si nunquam initæ fuere? cætera *falsitatis indicia*, quæ Pagius se deprehendisse notat, non obfuerunt Henschenio & Papebrochio eruditissimis viris, quin acta critico judicio examinata laudarent, probarentque.

Constantia postea in privatas ædes secessit, fortasse cum Artemia & Attica, quas a Patre sibi exstrui petierat; *Constantia augustæ memoriæ puella juxta oratorium habitabat, quod bonus pater Constantinus fabricaverat*, prope S. Agnetis sepulchrum, *ubi & domnæ suæ sanctissimæ martyris Agnetis famula virgo fuit*, inquiunt Aringhius lib. 4. Romæ subter. cap. 25. & Bosius lib. 3. cap. 48. ex actis mss. de schismate inter Liberium & Felicem PP. oborto. In actis jam memoratis S. Agnetis dicitur, Constantia rogasse Patrem fratresque, *ut basilica B. Agnetis fabricaretur, & sibi illic mausoleum collocari præcepit;* idem confirmat Beda lib. de sex mundi ætatibus, ac fusius Anastasius Biblioth. in vitis Rom. PP. ut & in vetustissimis Codd. regio, Mazzarinia-

Digitized by Google

niano, ac Thusneo; *fecit Constantinus A. basilicam S. Agnetis martyris ex rogatu filiæ suæ Constantiæ, & baptizata est Constantia soror ejus*, Constantini, *& filia Augusti Constantia; & baptisterium ibi constituit. Ibidem autem hæc dona obtulit, patenam auream pensantem libras viginti, calicem aureum pensantem libras decem* &c. Cum S. Liberius P. ab exilio Romam rediret, antequam Romam ingrederetur, in cæmeterio constitit S. Agnetis penes Constantiam, cujus apud Constantium Imp. & fratrem gratia liberior tutiorque sibi pateret intra urbem aditus; adhuc enim Romani Felici adhærebant in locum Liberii suffecto, & ab hujus Catholica communione sibi abstinendum duxerant, quem ab Fide Nicæna descivisse rumor erat, & in Athanasii consensisse damnationem. Sed illa fratris verita dolos, & animum in Catholicos infensum, utpote *quæ erat fidelis Domino Jesu Christo* sese huic negotio immiscere noluit, inquit idem Anastasius; Liberius vero haud immemor regii hospitii, ut Constantiæ religioni gratificaretur, *ornavit de platinis marmoreis petris sepulchrum S. Agnetis*.

Quamdiu pia virgo in suo secessu vitam egerit, non ausim affirmare. Si Gallicani de Scythis victoriam affigas cum Pagio an. 332. postquam Constantia domicilium sibi delegit ad Agnetis cœmeterium; cum Liberius Romam reversus sit an. 357., anni erunt quinque supra viginti a Constantia in solitudine sanctissime insumpti, & annum fortasse ætatis agebat tricesimum quintum vel quadragesimum. Quoniam autem Liberio quieto esse non licuit in Pontificatu nisi an. circ. 358., ac deinde Agnetis tumulum, superstite Constantia, marmoreis lapidibus jussit decorari, existimo ejus obitum a morte Constantii fratris, ab anno scilicet 360. haud multo temporis spatio sejungendum esse. Diem, quo e terra transiit ad Superos, consignant citata Bosii & Aringhii acta mss. XII. Kal. Martias hisce verbis; *B. Constantia in sancta virginitate permanens, transacto tempore hiemis, & inchoato tempore veris, hoc est 12. Kal. Martias parata iutravit ad nuptias*; ac subditur; *Corpus vero in pretioso labro porphyretico sepultum est, & ibidem ipsa a patre & fratribus ecclesia columnis & musivo opere decorata in ejus honorem fabricata est*. Henschenius autumat hanc ecclesiam eandem esse ac mausoleum, de quo superius ex actis S. Agnetis; crediderim potius cum mausoleo exstructam & ecclesiam fuisse a Constantino; templum nimirum erat Bacchi in basilicam conversum, uti conjiciunt Bosius & Aringhius; hæc vero donata a Patre Constantiæ, ac dein in hujus honorem refecta fuit, ac dedicata, non autem a patre ipso hujusque filiis, uti ambigue indicant verba actorum allata; illi enim ante vita excesserant quam Constantia.

Sane S. Constantiæ, sociarumque Atticæ & Artemiæ, necnon S. Emerentianæ corpora e suis tumulis elata ab Alexandro IV. post dimidium sæc. XIV., qui ecclesiam hanc ritu solemni consecraverat, uno sub altare condita fuere; ibique ad hæc usque tempora a Romanis coluntur. Sacra Constantiæ lipsana in partes divisa esse narrat Gallonius in hist. SS. Virg. Rom. portio major in suo templo via Nomentana, caput & brachium alterum in S. Petri ad vincula, dens in S. Clementis, velum cum parte pellis in S. Petri ad Vaticanum, particulæ aliæ servantur alibi.

Ejus nomen in Fastos relatum ab Hagiologis non eidem diei, aut mensi inscribitur; nam & diei Januarii 28., & Februarii XVII. ac XXV. quin & Junii XXV. ejus memoria & cultus affigitur; sed præstat auctoritas actorum, quæ supra memoravimus; ibique consignatur dies Februarii XXVIII. & hæc sequutus est Henschenius tomo 3. Febr. Bolland. Nunc de Episcopis Naissitanis.

Episcopi Naissitani.

I. Cyriacus an. inc.
II. Gaudentius an. 347.
III. Bonosus an. 380.
IV. Martianus an. circ. 390.
V. Dalmatius an. 451.
VI. Gajanus an. 516.
VII. Projectus an. 553.

CYRIACUS EP. NAISSITANUS I.

Hujus meminit Sozomenus lib. 3. hist. eccl. cap. 11., & ante Gaudentium præfuit Ecclesiæ Naissitanæ. Videtur Semiarianorum partes secutus; cum enim hi anno 347. Philippopolim convenissent, ut acta Concilii Sardicensis rescinderent, a quo S. Athanasius fuerat absolutus, rursum cum Athanasio aliisque catholicis Episcopis & Gaudentium Naissitanum damnarunt, quippe qui *adversus Cyriacum decessorem suum contraria omnia molitus fuisset*; cum Sardicensibus actis jam subscripserat; ita in synodali eorumdem epistola ad Donatum Episcopum Carthaginensem; *damnavit omne concilium Gaudentium immemorem decessoris sui Cyriaci subscribentis sententiis in sceleratos digne latis*, Athanasium nempe, alio- Cyriacus Ep. Naissitanus an. inc.

aliosque Antistites Nicænæ fidei patronos; hinc conjicias licet Cyriacum Conciliabulis Tyrio an. 335. & Constantinopolitano an. 336. interfuisse, in quibus hæretici Episcopi Athanasium, ejusque sectatores per vim & calumnias inique damnarunt.

GAUDENTIUS EP. NAISSITANUS II.

Gaudentius Ep. Naissitanus anno 347. Ejus decreta in conc. Sardicensi.

Adfuit, Concilio Sardicensi an. 347., multumque valuit auctoritate apud Patres Concilii; nam cum Osius legatus Julii Pontificis, & hujus Synodi præses tertium decretum pronunciasset de appellationibus Episcoporum ad Romanum Pontificem, *Gaudentius episcopus dixit: Si videtur, necesse esse adjici huic sententiæ, quam sincera dilectione plenam protulisti, ut siquis Episcopus fuerit depositus judicio episcoporum, qui sunt in vicinia, & dicat rursus sibi defensioni negotium competere, non prius in cathedram alius substituatur, quam Romanus episcopus causa cognita sententiam tulerit;* queis verbis quartum decretum editum est, nequis in locum Episcopi, cujus caussa adhuc est sub judice, ejus Ecclesiæ præficiatur. In decreto autem XVIII. alloquens Aetium Thessalonicensem, qui de presbyteria, aliisque clericis extra suas diœceses diu degentibus sententiam dixerat, *Gaudentius Episcopus dixit: Scis frater Aetie, quod tunc cum episcopus constitutus es, pax deinde viguit; ne aliquæ dissidii reliquiæ remaneant, visum est, ut qui a Musæo & Eutychiano constituti sunt, quia nulla eorum culpa inveniebatur, omnes suscipiantur;* nimirum respicit Clericos, qui ab alieno Episcopo fuerint in altiores gradus cooptati absque proprii Antistitis consensu, qui tamen ad suas Ecclesias ut redeant, Osius decernit; sed in latina Canonum Sardicensium interpretatione, & quæ Dionysii Exigui, & quæ est Isidori Mercatoris, illud decretum tribuitur Januario Episcopo Beneventano. Vicesimo demum ac postremo decreto sancit Gaudentius, ut decreta jam lata, quæ ad Episcoporum dignitatem munusque præsertim attinent, integra serventur; tum nequis ex Episcopis, quorum civitates Episcopales in *canali* sunt, idest in via publica, eos Episcopos hospitio excipiat, cumque iis in communione maneat, quos illac transeuntes cognoverit ad castra-aulamque Imperatorum nulla justa ex causa proficisci, sed ambitione ductos & inani captandæ principum virorum gratiæ cupiditate. *Canale,* seu *Canalium,* uti monet Binius in notis ad canones Sardicenses, via dicebatur publica, *qua equi publice per stationes singulas ad iter agendum dispositi erant,* de quo in Cod. Theod. lib. 15. ait vero Gaudentius, se in canali constitutum tum esse, quia Naissus civitas erat media inter duas hujusmodi stationes, seu verius *mutationes* equorum; ita enim legimus in Itiner. Hierosolym. *Mutatio Rappiana m. p. XII. Civitas Naisso m. p. XII. Mutatio Redicibus m. p. XII.* Itaque *Gaudentius episcopus dicit: Hæc salutariter & congruenter definita, & nostræ sacerdotum dignitati convenienter, & quæ Deo & hominibus placuerunt, potentiam, & vires suas obtinere non poterunt, nisi etiam metus editas sententias consecutus fuerit. Ipsi enim scimus sæpe propter paucorum impudentiam divinum & in primis venerandum sacerdotii nomen in damnationem incurrisse. Siquis ergo præter ea, quæ omnibus visa sunt, ausus fuerit, studens fastui magis & arrogantiæ servire, quam Deo placere, & aliquid aliud agere, sciat jam se criminis reum, ac defensioni obnoxium constituere, & episcopatus honorem ac dignitatem amittere. Omnes responderunt. Decet, & placet nobis hæc sententia.*

Porro autem hoc quoque illinc erit maxime notum, & reipsa observatum, si unusquisque nostrum, qui sumus prope vias publicas seu canale constituti episcopi, cum viderit episcopum, quærat causam transitus & quo pergat: & si eum quidem in castra proficiscentem invenerit, quærat conditiones, quæ superius propositæ sunt: & si evocatus veniat, ei abeunti nihil impedimenti fiat: sin autem ostentationis gratia, quemadmodum vestræ dilectioni superius dictum est, vel propter aliquorum postulata in castra festinat, nec litteris ejus subscribat, nec cum eo communicet. Omnes dixerunt: Hoc quoque decernatur. Actis postea Concilii subscripsit, *Gaudentius* scilicet *ab Achaja,* corrige *Dacia, de Naiso,* iisdemque verbis etiam epistolæ a Patribus ad Julium Pontificem scriptæ; tum alteri ad cunctos Episcopos ejus nomen legitur subjectum. Heic adverte, litteras, quibus vetat Gaudentius in postremo decreto nequis Episcopus subscribat, fuisse *communicatorias,* & mutuæ inter Ecclesiæ Antistites communionis testes, & his si Episcopus aliquis nomen suum subsignare abnuebat, palam erat, nolle se cum iis agere, a quibus fuerant exhibitæ. Cum vero in hoc Concilio caussa potissimum S. Athanasii acta fuisset, qui Patrum cunctis suffragiis Alexandrinæ Sedi & Ecclesiæ restitutus est, Gaudentium eidem maxime favisse testantur Semiariani Episcopi, qui Sardica Philippopolim aufugientes, inito Conciliabulo, & Sardicensibus decretis rescissis, cum Julio Romano Pontifice, O-

Digitized by Google

sio Cordubensi, Protogene Sardicensi aliisque Gaudentium anathemate, & insanis diris confixerunt in eorum synodali epistola, quippe qui Cyriaci Decessoris sui adversus Athanasium acta non esset imitatus; uti dictum in Cyriaco.

Hospitio excipit S. Athanasium.

Gaudentius, cum Naissum rediisset, absoluto Sardicensi conventu, hospitio excepit Athanasium ipsum qui aliquanto tempore ibi videtur commoratus; ita enim Athanasius in apol. ad Constantium Imp., *post* inquit, *concilium Sardicense Naissi mihi commoranti denuo ab eodem Constante Augusto scribitur. Confecto igitur itinere per reliquum tempus Aquilejæ hasi*, cum scilicet in Gallias ad Constantem proficisceretur; unde anno 349. Alexandriam rediit; quare verisimile fit reliqui anni 347. partem Naissi, partem Aquilejæ & in conficiendo Gallicano itinere insumpsisse. Nec dubium sane, quin tanti hospitis mora confirmandis in Nicæna fide Naissitanis multum profuerit, & Gaudentio uberes ex ejus consuetudine sanctitatis fructus attulerit. Post Gaudentium, cujus obitus tempus nequit definiri, proxime in ejus locum videtur suffectus.

BONOSUS EP. NAISSITANUS III.

Bonosus Ep. Naissitanus an. circ. 380. non Sardicensis, uti probatur.

Is, qui & sua, & aliena impietate Nicæni Concilii dogmata persecutus est, & Episcopale decus commaculavit. Fuit patria Sardicensis, uti indicat Marius Mercator in append. ad contradict. 12. anathematismi Nestoriani; *Ebionem philosophum secutus est Marcellus Galata, Photinus quoque, & ultimis temporibus Sardicensis Bonosus, qui a Damaso urbis Romæ Episcopo prædamnatus est;* eodem enim sensu, quo Marcellus Galata e Galatia, non Ancyranus ejus Episcopatus exprimitur, & Bonosi genus Sardicense innuit Mercator; licet visum aliter Pagio, qui ad annal. Baronii an. 389. Bonosum Episcopum Sardicensem libere constituit fretus Mercatoris verbis. Scio quidem hanc esse aliorum etiam sententiam hoc argumento innixam, Bonosum, cum jam in hæresi deprehensus fuisset, a Synodo Thessalonicensi, præside Anysio Metropolita, damnationis & anathematis pœnam pertulisse juxta sacrorum canonum disciplinam, queis cautum est, ut metropolita quisquam Antistes non a provinciæ suæ Episcopis sed a finitimis judicetur; erat autem provinciæ Sardicensi finitima inquiunt Thessalonica, & hinc arguunt Bonosi in eadem metropoliticam dignitatem. Verum ut de Bonosi Episcopatu certum quidpiam statuamus, altius ejus historia repetenda est, qua recte discussa, & adversariorum refellatur assertio, & nostra valide propugnetur de Naissitano illius Episcopatu.

Ejus hæresis.

Bonosus itaque ante annum 389. Episcopali cum esset honore atque auctoritate præditus, Ebionis atque Photini flagitia instaurare ac disseminare cœpit, asserens præterea Deiparam Virginem a partu Christi alios genuisse liberos; quæ impia blasphemi Episcopi dogmata ad veterum Patrum adversus eum testimonia erunt inferius perpendenda. Ut pestiferæ doctrinæ lues in apertum prodiit, ejusque auctor certis indiciis detectus est, Bonosi nomen delatum, & causa judicio Capuani Concilii commissa fuit; an. circ. 367., sed quinam accusandi negotium sumpserint, quinam a Capuanis Patribus reum judicandum decreverint, tota silet ecclesiastica horum temporum historia.

accusatur in Concilio Capuano, a quo

Cum Siricius Pontifex Synodum Capuanam indixisset, ut de schismate Antiocheno inter Flavianum & Evagrium eo tempore Antiochenos Episcopos sententiam ferret, videtur procul dubio causæ Bonosianæ cognitio eo delata. Atque hic duo sunt animadvertenda; errasse primum Marium Mercatorem, qui Bonosum a Damaso *prædamnatum* asserit; nam post illius obitum, qui in annum incidit 384., Bonosi hæresis Illyricas provincias palam pervasit, & Damasi meminissent tum Siricius, tum Innocentius I. in litteris, quas suo loco subjiciam, ubi de hoc negotio unice agunt, siquid a Damaso fuisset definitum; imo juxta canones Sardicenses paullo ante editos Romani Pontificis decreta adversus Bonosum aliorum judicum arbitrio subjici non potuissent, neque expendi. Deinde, si in Italia, si Capuæ, quæ loca Jonii maris, & Adriatici interjectu ab utroque Illyrico plurimum distant, Illyrici Episcopi actio data est Capuano Episcoporum conventui, haud verum omnino est, quod Pagius, aliique prætendunt, metropolitam, quem Bonosum dicunt, de aliquo crimine postulatum debuisse a proximo metropolita, & a finitimis Episcopis judicari.

Huic Synodo S. Ambrosium præfuisse autumat Launojus in epist. 1. ad Hieronymum Sambæuvium, quæ est septima in tomo 5. part. 1. pag. 54 ejus Opp. nec levis huic opinioni favet conjectura; nam Ambrosius nomine Capuani Concilii significat Theophilo Episcopo Alexandrino, potestatem dirimendæ controversiæ de Antiochenis Episcopis ei esse a Patribus traditam, *quia*, inquit, *hoc verum judicium arbitrati sumus, quod neutri parti sociata communione aliquo favore propenderet*, cum Teophylus nec Flaviani, nec Evagrii partes

tes

Digitized by Google

tea sequeretur, aliisque verbis hujusmodi personam totius concilii videtur preseferre. Hinc in annum saltem 387. Synodum rejicere oportet si vel hoc ipso anno, uti Pagius, vel, ut alii censent, anno proximo 388. Ambrosius diem obiit supremum, quod adverterunt auctores collectionis Concil. tomo 2. Venet. edit. pag. 1237. & incerti de tempore Synodum an. 389. affixere.

ejus causa delegatur Concilio Thessalonicensi.

Patres itaque, qui Capuam convenerant, cum utriusque causæ Antiochenæ & Bonosianæ momenta expendissent, nec se sisterent qui fuerant in judicium postulati, utramque delegatis judicibus judicandam commiserunt, Antiochenam Teophilo Alexandrino Antistiti, & Anysio Thessalonicensi Bonosianam. Equidem Siricius in sua epistola Concilii Capuensis judicium fuisse ait, *ut finitimi Bonoso ejusque accusatoribus judices tribuerentur, & præcipue Macedones, qui cum episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel scriptis cognoscerent.* Sed hujusmodi delegatio prorsus extraordinaria dicenda est; nam Macedonia, cujus metropolia Thessalonica, non erat certe confinis provinciæ Sardicensi, sed potius Dardaniam attingebat, licet montis Hemi interjectu; deinde non solum Bonoso, sed iis etiam, qui accusabant, finitimi Antistites hujus causæ judicio præfecti fuerunt; demum hic honor a Patribus Capuanis collatus est episcopo Thessalonicensi, ut, qui per orientale Illyricum nomen gerebat, & munere Vicarii Apostolici fungebatur, habita causæ quæstione, tum Macedonum, qui ei suberant, tum finitimorum e provincia Sardicensi, vel ex ipsa Dardania Antistitum consilio sententiam ferret; quo sane modo Capuana Synodus præter canonum decreta sibi esse agendum existimavit; neque hæc delegati judicii forma Pagii assertionem profecto juvat pro Sardicensi Bonosi Episcopatu. Hic vero Launojus fallitur, qui *Bonosum apud Macedones Episcopum* nominat, quia ad Macedones Antistites jus de illo judicandi collatum fuerit; quo errore & Petavius lib. 14. de Incarnat. cap. 3. lapsus est.

hujus judicium.

Anysius ejusque collegæ, ut Capuani Concilii accepere mandata, Bonosum, qui comparere in Synodo Thessalonicensi detrectabat, Ecclesiæ aditu prohibitum esse decreverunt; ast Bonosus reluctans ad Ambrosium scripsit, & nolle se Thessalonicensium sententiæ acquiescere professus est, cui Ambrosius, patienter se gereret ac modeste, respondit, parendum Synodi decreto, omnia ex juris & canonum ordine gerenda. Bonosi & Ambrosii litteræ interierunt, quarum inest mentio in epistola Siricii mox proferenda; ex his tamen certo constat, Synodum Thessalonicensem paullo post Capuanam habitam fuisse, si Ambrosius adhuc erat superstes, quem diximus anno 388. vel 387. vita functam; quare Synodus utraque eidem circiter anno est illiganda; dolemus autem cum eruditis utrinsque acta temporum injuria deperdita, aut forte latere in tabulariis aut bibliothecarum loculis; auctor quippe est Possevinus tomo 3. Appar. Sacr. de biblioth. mss. Concilium hoc Thessalonicense græce ac manu descriptum servari in regio Scoriali Hispaniæ monasterio, quocum & Capuana decreta profecto conjuncta existimamus.

Interea Patres Thessalonisenses, caussa mature perpensa, nihil definiendum ante censuere, quam Siricium consulerent; qui Anysio cœterisque Episcopis respondit, sibi jam non esse integrum de Bonoso judicare, quando, se certe approbante, Capuanum Concilium iis causæ cognitionem delegaverat; ipsi ergo in eum inquirerent, & pro delictorum gravitate justis meritisque pœnis animadverterent. Ad hæc impiam Bonosi opinionem adversus integerrimam Mariæ Deiparæ virginitatem acriter perstringit, & divinarum Scripturarum testimonio refellit. Hæc epistola, quæ operibus D. Ambrosii legitur admixta, quamque neque ab Ambrosio, neque a S. Damaso Pontifice scriptam recte affirmant eruditiores, e Vaticanis codicibus prolata est nomine Siricii Pontificis a Luca Holstenio, editaque in sua collectione Romana veterum ecclesiasticæ historiæ monumentorum; & Anysio Thessalonicensi Antistiti cæterisque Illyrici certe Orientalis Episcopis inscribitur; queis instructam notis probarunt illico docti omnes, & probant hactenus. Eam vero hic describo ex tomo 2. Concil. Venet. edit. pag. 1229. ut a Philippo Labbeo ad exemplar Holstenianum aliis Siricii litteris fuit adjuncta.

Siricii P. litteræ ad PP. Thessalonicensis Synodi de Bonoso ejusque hæresi.

Dilectissimis fratribus Anysio & ceteris Episcopis per Illyricum constitutis Siricius. Accepi litteras vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cum ejusmodi fuerit concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur & maxime Macedones, qui cum episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel scriptis cognoscerent, advertimus, quod nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra hodie Synodus esset, recte de iis, quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi vel accusatoribus vel accusato copiam dare. Vicem

enim Synodi recepistis, quos ad examinandum synodus elegit. Denique cum Bonosus episcopus post judiṫium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus sententiam consuleret, interdictam sibi ecclesiam irrumpere atque ingredi, responsum est ei, quod nihil temerandum foret, sed omnia modeste patienter ordine gerenda, neque contra sententiam vestram tentandum aliquid, ut quod videretur vobis justitiæ convenire statueritis, quibus hanc synodus dederat auctoritatem. Ideo primum est, ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis, nos quasi ex synodi auctoritate judicare non convenit. Sane non possumus negare de Mariæ filiis jure reprehensum, meritoque vestram sanctitatem abhorruisse, quod ex eodem utero virginali, ex quo secundum carnem Christus natus est, alius partus effusus sit. Neque enim elegisset Dominus Jesus nasci per virginem, si eam judicasset tam incontinentem fore, ut illud genitale dominici corporis, illam aulam regis æterni concubitus humani semine coinquinaret. Qui enim hoc adstruit, nihil aliud nisi perfidiam Judæorum adstruit, qui dicunt eum non potuisse nasci ex virgine. Nam si hanc accipiant a sacerdotibus auctoritatem, & videatur Maria partus fudisse plurimos, majore studio veritatem fidei expugnare contendent. Et ubi est illud quod scriptum est, dicente Domino ad matrem de Joanne Evangelista; Mulier ecce filius tuus; & rursus ad Joannem de Maria; Ecce mater tua? Quid sibi istud vult, quod cum in cruce dominus positus peccatum mundi tolleret, pronunciavit etiam de integritate materna? Aut quid aliud dicitur, nisi ut claudat sua ora perfidia, obmutescat, ne matrem domini aliquo audeat temerare convicio? Testis est ergo idem arbiter idem materni pudoris assertor, quod desponsata fuerit viro tantummodo Joseph, nulla tamen conjugalis coitus consuetudine tori jura cognoverit. Neque enim suscepturam ex Joseph filios a viri consortio separare voluisset. Sed si hoc parum est, addidit testimonium evangelista dicens quod suscepit eam discipulus in suam. Nunquid ergo divortium fecit? nunquid a viro abduxit atque abstulit? Ergo qui hoc legit in evangelio, quomodo quasi naufragus titubat atque fluctuat? Hoc ergo testamentum filii est de matris integritate, hac Maria locuples integri pudoris hæreditas; hic totius finis consumationis. Denique hoc dixit, & emisit spiritum, consummans omne mysterium bono fine pietatis. Legimus etiam & omnia percurrimus vel de eo quod fratri nostro & coepiscopo Basso in consortium regendæ ecclesiæ datus est Senecio vel de ceteris, unde vestræ normam expectamus sententiæ. Hactenus Siricius.

Quæ postremis verbis attigit S. Pontifex de Basso & Senecione, ea refert ad Bassum & Senecionem Scodrenses Antistes, de quibus actum tomo VII. in Episcopis Scodrensibus. Duo autem hic animadvertamus oportet; alterum Launojum scilicet in laudata superius epistola vehementer sibi plaudere, sed perperam, in litteris Siricii, perinde atque, cum dicat Pontifex sibi *judicandi, formam competere non posse* in caussa Bonosi, quæ judicio Patrum Thessalonicensium subjecta fuerat, aperte testetur, fas non esse Romano Pontifici sese immiscere in Conciliorum jura, & potestatem, cui & ipse sit obnoxius; hanc enim opinionem impudenti nimis temeritate tuetur Launojus in tomo 5. part. 1. opp. suorum, contenditque Romanos Pontifices Conciliorum subesse auctoritati. Nam Siricius ideo recusat sententiam ferre de Bonosi hæretica impietate, ne rogatus ab Episcopis, qui a Capuano Concilio fuerant ad hoc judicium delegati, videretur delegata cum iis, non suamet, auctoritate decernere, quod Romanam Sedem ejusque nulli subjecta potestati jura maxime dedeceret; subiicit itaque Pontifex; *vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice,* idest *a Synodo delegati, decernitis; nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit;* quo sane dicto Launojanas opinationes non confirmat, sed perspicue refellit atque evertit. Alterum est, quod nostræ faveat de Bonosiano Episcopatu sententiæ. Quippe, si Thessalonicenses Patres *vice Synodi Capuanæ*, & ab ea delegati judices perhibentur a Siricio, multo magis Capuani Episcopi, qui delegabant, hoc judicium facere poterant; qua tamen jurisdictione & judicandi & delegandi caruissent, si Bonosus uti Sardicensis metropolita, cui profecto confines non erat Capuani, finitimorum Antistitum quæstionem subire & sententiam debebat e Canonum præscripto, quo potissimum nititur adversariorum assertio. Nec autumet quis, causam Bonosi ad suum judicem fuisse a Capuano concilio rejectam; nam ab eo constituti fuerant judices, qui *vice Synodi*, inquit Siricius, vicaria scilicet, & mandata a Synodo jurisdictione quod justum foret, secundum Canones judicarent; idque non advertit Garnerius, qui in suis ad Marium Mercatorem commentariis pro Sardicensi Bonosi Episcopatu primus propugnavit. Adde Capuanum Concilium dici *plenarium* in Codice Canonum Ecclesiæ Aphricanæ, unde

Naissitanus Bonosi Episcopatus confirmatur.

Digitized by Google

unde multo major delegandi potestas ei jure tribuenda sit, sive cuncti ex Occidente, sive ex Italia solum Episcopi eo convenerint, uti verisimile Hermantius monet in vita S. Ambrosii lib. 7. cap. 7., cui tamen non assentimur, cum ait, Siricium Pontificem Synodo præfuisse; id enim Pontifex silentio non præteriisset in litteris ad Anysium; cumque Bonosum Naræ Episcopum in Macedonia sibi effingit, & Theophylum Alexandriæ Episcopum in Thessalonicensem conventum introducere videtur S. Ambrosii testimonio in sua ad eundem epistola; quipe Nara urbs fuit Byzacena in Aphrica, ac in toto Illyrico exstitit nunquam, Ambrosius vero unice scribit, judicium schismatis Antiocheni esse illi a Synodo Capuana delegatum.

Verumtamen de Naissitano Bonosi Episcopatu omnem adimit dubitationem epistola Innocentii I. Pontificis ad Martianum Naissitanum Antistitem, quam alio loco excribam: Cum *de clericis Naissensibus, qui se ante damnationem Bonosi asserebant tam presbiteros quam diaconos ordinatos*, controversia esset exorta, utrum in Naissitanam Ecclesiam essent recipiendi, utpote qui in perversas ejus doctrinas consenserant, aut in consensus suspicionem inciderant, Pontifex censet *eos recipiendos esse*, ejuratis prius Bonosianis blasphemiis; tum Martiano, qui illorum respuebat communionem, suadet ne ad Ecclesiæ pacem, & societatem eos libenter admittere renuat; *unde suscipiendos esse ambigere non debes, quos tamdiu ecclesias sibi creditas retinere passus es*. Sane Ecclesiæ legibus vetitum erat, nequis Episcopus vel Metropolita quemquam in aliena diœcesi Metropolitæ subjecta, in clerum adscriberet, neve cuipiam sacros ordines impertiretur. Clerici igitur Naissitani, quos ait Innocentius, a Bonoso in ordinem aut Diaconorum, aut Presbyterorum fuisse cooptatos, a proprio Episcopo sacra hæc munera suscepere, qui non alius dicitur ab Innocentio nisi Bonosus; is proinde, non Sardicæ, sed Naissi erat Episcopus, ubi suomet jure Clericos Naissitanos in altiores Ecclesiastici ministerii gradus admiserat. Quo argumentu adducti Monachi Maurini in notis ad librum S. Ambrosii de institut. Virg. cap. 5. Bonosum Naissitanæ Ecclesiæ attribuunt Antistitem, & Lucæ Holstenii, qui primus id viderat in adnot. geograph. de Patriarchato Rom., & in notis ad Geograph. Ortelii, sententiam probant; quod vero ad auctoritatem Marii Mercatoris attinet, recte suspicantur aliquid deesse Codicibus, quibus in eo illustrando usus est Garnerius, ac Marii verba, quæ superius protuli, ita legi oportere; *provinciæ Sardicensis Bonosus*, in qua Naissum collocant Geographiæ eccles. Scriptores sub Sardicensi metropoli; adde his non contemnendam profecto summi ac eruditissimi viri Jacobi Sirmondi auctoritatem, qui hæc in notis ingenue subjicit epistolæ tertiæ Aviti Viennensis ad regem Gundobadum; *Bonosus Naissitanæ in Dacia sedis, ut nostra est conjectura Episcopus*. Ita constituto Naissitano Bonosi Episcopatu contra atque sensere Garnerius ac Pagius laudati, & Lequienius tomo 2. Orient. Christ. de illius condemnatione dubitare non sinunt verba Innocentii Pontificis mox prolata; quare Patres Thessalonicenses post acceptas Siricii litteras Bonosum anathemate confixum e sua Sede dejecisse arbitramur; quodnam vero ejus fatum fuerit, & quo mortis genere, quove in loco vitam consumpserit miserrimam, ac fœdissimam impietate, a nemine litteris proditum invenio; Hermantius eum obiisse putat, inito sæculo V. In suis disseminandis adversus catholicæ religionis dogmata erroribus cum Helvidio & Joviniano consensit, qui Bonoso ætate æquales purissimam Deiparæ post ejus partum virginitatem primi infami ausu oppugnare conati sunt; contra quos disserit Epiphanius in Panario hær. 77. de Antidicomarianitis; Photini etiam Episcopi Sirmiensis hæresim secutus est; sed discrimen illi cum Photino videtur intercessisse; hic enim Christum hominem solummodo, & ex utero matris primo exstitisse impie docuit; Bonosus duos in Christo filios vesana mente confinxit, unum æternum, alterum humanitus creatum; uti Pagius advertit in notis ad Baron. an. 389. Bonosum hæreticum, ejusque pravitatis errores damnant Gelasius in decreto de libris apocryphis, & Vigilius Pontifex in epist. encyclica anni 451. aut 452., adversus quem Audentius Episcopus Hispanus librum scripsit, teste Gennadio in catal. Script. Eccles. *scripsit adversus Manichæos &c. maximeque speciali intentione contra Photinianos, qui nunc Bonosiaci dicuntur*, ob dogmatis hæretici similitudinem quandam, & *ostendit, antiquitatem Filii Dei coæternalem Patri fuisse; nec initium deitatis tunc a Deo Patre accepit, cum a Maria matre virgine homo, Deo fabricante, conceptus & natus est*. S. Isidorus Hispalensis lib. 8. de origin. cap. v. *Bonosiani*, inquit, *a Bonoso quodam Episcopo exorti produntur, qui Christum filium Dei adoptivum non proprium asserunt*; etsi hæc addita aliena manu suspicentur nonnulli, & huic capiti inserta; Avitus autem Viennensis epist. 3. ad Gundobadum regem Bonosi hæresim cum Eutychiana com-

ejus damnatio,

& quænam hæreses.

Digitized by Google

comparans, *respiciendum est*, ait, *quantum Eutychiani Bonosiacis barathro profundiore mergantur;* Bonosisci quippe *Christo divinitatis honorem tantummodo adimunt*, *Eutychiani & corporis veritatem*. Ego quidem sic existimo, Bonosum Photini proprium dogma adversus Christi divinitatem secutum esse; deinde illius sectæ homines in diversas abiisse de eodem dogmate opiniones, quod hæresibus quibuscumque usuvenisse certa constat experientia, cum nihil firmamenti, nihil virium falsitas habeat, & sibimet adversans suis ipsa fallaciis excidit, & brevi destruitur. Bonosi sectatores & Bonosiani & Bonosiaci dicti sunt; hujus sectæ reliquiæ supererant adhuc sæc. VI., & S. Gregorius M. scribens ad Quirinum cæterosque Hiberniæ Episcopos de hæreticis, quos denuo oportet ablui sacro baptismate, quia Sacramentum hoc, non invocato divinæ Trinitatis nomine, susceperunt, de Bonosianis meminit ep. 61. libr. 9. *hi hæretici*, *qui in Trinitatis nomine minime baptizantur*, *sicut sunt Bonosiani &c. cum ad sanctam Ecclesiam veniunt*, *baptizantur;* qua etiam de re sibi ipsi Bonosiani adversabantur; etenim Concilium Arelatense II. anni 452. decernit can. 17. eos non esse baptismo initiandos, *quos sicuti Avianos baptizari in Trinitate manifestum est;* at Concilium Aurelianense III. an. 538. sacerdotes Bonosiacos memorat can. 31. qui, siquem e catholicis in suam hæresim pertraxerant, iterum alio & sacrilego baptismatis ritu eum imbuebant. Et hæc de Bonoso, ejusque Episcopatu atque hæresi satis.

MARTIANUS EP. NAISSITANUS IV.

Martianus Ep. Naissit. an. circ. 390.

Dejecto e Naissitana sede Bonoso, Martianus an. circ. 390., uti videtur, in ejus locum suffectus nobis innotescit ex epistola Innocentii I. Pontificis ad eum scripta an. 409. cujus mittendæ causa hæc fuit.

controversia de Clericis Naissitanis.

Gravis diu controversia tum Naissi, tum per alia loca fuerat agitata, utrum Clerici Naissenses, quos Bonosus in Diaconi, & Presbyteri gradu ac ministerio ante ordinaverat, quam in Thessalonicensi concilio damnaretur, in ecclesiasticam communionem essent admittendi. Anysius Thessalonicæ Episcopus & concilii Præses, ut reciperentur, decrevit, ne repulsam passi sese cum illo in hæresis & criminum societate conjungerent. Verum, qui severius cum illis agendum censebant, Anysii decreto non acquievere; quare contentio magis incensa partium studio, ac præcipue Martiani auctoritate, cujus jurisdictioni suberant Naissitana Ecclesia, ejusque administri, cum ad judicium venisset Innocentii I. Pontificis, is datis litteris ad Martianum Episcopum Naissitanum, & ad Rufum Thessalonicensem, qui Anysio successerat aliosque iis in locis Antistites, quæ temporum injuria perierunt, sanxit, ut hujusmodi Clerici, si ejurata Bonosi hæresi cuperent in Ecclesiæ sinum regredi, voti compotes pacifice fierent. Adhuc tamen obstitit Martianus; & quamvis in suis parœciis consistere illos, & ecclesiasticis fungi muneribus non vetuisset, eorum respuit communionem. Itaque ex hisce duo, Germanio presbiter, & Lupentinus diaconus suo ac cæterorum nomine Pontificem adiere, qui eo anno 409. Ravennæ apud Honorium Imp. morabatur deprecator pro gravissimis populi Romani negotiis, & enixe orarunt, ut Martianum e sententia dimoveret; damnare se Bonosi perfidiam testati sunt, & Rusticii cujusdam sacrilegum facinus, qui iterum in sacro presbyteri ordine constitui se indigne tulerat, cujusque ab consuetudine abhorrebant; nihil vero caussæ erat, cur Martianus ob unius scelus a se insontes, & cujusvis criminis expertes rejiceret. Innocentius supplices benignis auribus excepit, & quod antea edixerat, ratum firmumque esse jussit; quamobrem denuo ad Martianum scribens, quæ acta jam fuerant in hac caussa, primum commemorat, tum definit, Clericos hujuscemodi, si ipsi sincere velint, omnino in Ecclesiæ communionem admitti oportere, monetque Martianum, ne ambigat illos Ecclesiastica pace ac charitate complecti, Germanionem præsertim ac Lupentinum, qui ipsis ferme Episcopatus Bonosiani initiis, suo quisque ordine, donati fuerant a Bonoso perhonorifice coram sanctissimis Episcopis Cornelio Sirmiensi, & Niceta Remessianensi; cum uterque catholicam Bonosi communionem retinebat.

Litteræ Innocentii inscriptæ sunt *Martiano episcopo Naresitano;* Naresitanam autem Ecclesiam nuspiam invenies in ecclesiastica Geographia; sed melius legendum ut in regia Binii & Harduini collectione Conciliorum, & inde in Veneta Nicolai Coleti patrui nostri notatur, *episcopo Naxitano*, aut *Naisitano;* quo fit, ut certo constet eruditorum assertione, Martianum Ecclesiæ Naissitanæ præfuisse; idem esto judicium de iis epistolæ verbis *clericis Naresitanis*, quæ ita corrige; *clericis Naxensibus* seu *Naissensibus;* epistola vero est hujusmodi, quam hic subjicio ex tomo 3. Concil. Venet. edit. pag. 31.

In-

Digitized by Google

De ea littera Innocentii ad Martianum.

Innocentius Martiano Episcopo Naresitano.

Superiori tempore, si tamen recte recordor, memini me tam ad dilectionem tuam quam ad fratres & coepiscopos nostros, Rufum & ceteros ejusmodi, litteras de clericis Naresiensibus transmisisse, his videlicet, qui se ante damnationem Bonosi asserebant, ab eodem tam presbyteros quam diaconos ordinatos, ut si relicto atque damnato ejus errore, vellent ecclesiæ copulari, libenter reciperentur: ne forte qui essent digni recuperandæ salutis, in eodem errore deperirent. Verum nunc in Ravennati urbe mihi constituto, propter Romani populi necessitates creberrimas, Germanio, qui asserit se esse presbyterum, atque Lupentinus, qui se diaconum dicit, multorum talium quasi legatione suscepta, prece fusa, dolores proprios exprimere gestiverunt, se quidem ecclesias in dilectionis tuæ constitutas parochiis retinere, sed tuam communionem non potuisse se mereri, ea videlicet ratione, quia Rusticius quidam nomine, iterum ordinatione presbyterium suscepisset. Et non levi impedimento fit, dum aut illi dolent hujusmodi hominem in ecclesia retineri, aut ille sic peccare debere in alio arbitretur, quemadmodum in se agnoscit esse peccatum. Et quamvis de eadem re plenius litteræ meæ contineant, quas superius memoravi, tamen tunc etiam admonendam duximus fraternitatem tuam, ut si vere constat, aliquos etiam ante damnationem Bonosi ab eodem ordinatos, postea voluisse vel nunc velle reverti, eos recipiendos esse censemus, maxime cum memorati asserant, se in tantum anteriori tempore ordinatos, ut sanctæ recordationis virum Cornelium episcopum Sirmiensis urbis, necnon & fratrem nostrum Nicetam, aliosque nonnullos fuisse præsentes cum honoribus, quos se habere commemorant, faterentur. Unde, frater carissime, si eorum assertio fidem recipit veri, suscipiendos esse ambigere non debes, quos tamdiu ecclesias sibi creditas passus es retinere.

Idem Pontifex in epistola ad Episcopos Macedoniæ data an. 414. rationem affert, cur erga clericos Naissitanos indulgentiores & ipse & Anysius visi sunt, quam ecclesiastici canones jubeant in admittendis ad Ecclesiæ societatem iis, qui ab ea aut hæresi aut schismate descivissent; etenim ne veniæ mora, vel difficultas illius obtinendæ hos Bonosianæ sectæ arctius adstringeret, neve id cœteris offensioni foret, prudenter consultum fuit, ut, nulla vel levi indicta pœna, ad communia sacra participanda reciperentur; *Anysii quondam fratris nostri, aliorumque consacerdotum summa deliberatio hæc fuit, ut quos Bonosus ordinaverat, ne cum eodem remanerent, ac fieret non mediocre scandalum, ordinati reciperentur, &c. jam ergo quod pro remedio ac necessitate temporum statutum fuit, constat primitus non fuisse &c. sed necessitas temporis id fieri magnopere postulabat.*

Martianum Innocentii monitis paruisse, æquum est credere, sed de illo nihil præterea habet ecclesiastica historia. Per hæc vero tempora, & an. 441. Naissus barbarorum impetus & excursiones teterrimas cœpit experiri quibus deinde jactata sæpe fuit, & diruta; nam eo anno, ait Marcellinus in Chronico, *Hunnorum reges numerosis suorum cum millibus in Illyricum irruerunt, Naissum Singidunum, aliasque civitates, oppidaque Illyrici plurima exciderunt.*

DALMATIUS EP. NAISSITANUS V.

Dalmatius Ep. Naissitanus anno 451.

Subscriptus est epistolæ synodicæ episcoporum Dardaniæ ad Leonem Imp. de nece S Proterii Episcopi Alexandrini, quæ data legitur an. 451, *Dalmatius episcopus Nentinæ*, in veteribus libris, *Neutimæ*. Neque Nentinensis, neque Neutimensis Episcopatus ullus est apud Geographos ecclesiasticos; quare Carolus a S. Paullo in Geograph. Sacr. Dalmatium *Naissinæ* Episcopum, idest *Nessi*, quæ urbs vulgo *Nissana* appellatur, in Dardania exstitisse autumat sub metropolita Scuporum nec aliam *Nessum* urbem a *Naiso*, cui præfuit Gaudentius.

GAJANUS EP. NAISSITANUS VI.

Gajanus Ep. Naissitanus an. 516.

Anno 516., uti præfert chronicon Marcellini, hanc regebat ecclesiam, cum impius Imp. Anastasius, quamvis in speciem cum Catholicis videretur de religione sentire, eos revera gravissime persequutus est, præsertim Episcopos, e quorum numero Gajanus ejus conatibus restitit invicto animo, & Naissitanos ab Eutychiana labe, quo Anastasius erat infectus, strenue servavit incolumes. Quare jussus est coram Imperatore se Constantinopoli sistere cum aliis Episcopis; & paruit quidem paratus promptusque ad mortem oppetendam pro Fide orthodoxa; verum, cum aliquanto tempore in urbe constitisset, male tamen ab Anastasio habitus, & ærumnis afflictus hanc cum cœlesti vita commutavit ibidem, ubi & in sepulchro conditus fuit; hæc ad eum annum Marcellinus; *Laurentium Lychnidensem, Domnionem Sardicensem, Alcissum Nicopolitanum, Gajanum Naisitanum, & Evangelum Pautaliensem, catholicos Illyrici sacerdotes, suis Anastasius præsentari jussit obtutibus. Alcissus & Gajanus episcopi apud Byzantium vita defuncti sunt, unoquoque sepul-*

chro

Digitized by Google

obiit Constantinopoli pro catholica fide.

chro reconditi; eadem ferme narrat Nicephorus apud Baronium ad annum eundem.

PROJECTUS EP. NAISSITANUS VII. ET POSTREMUS.

Projectus Ep. Naissitanus anno 553.

Qui an. 553. Synodo V. Œcumenicæ, & II. Cpanæ adesse recusavit, quamvis a Patribus vocatus, eum in urbe degeret; *Diogenianus episcopus Sozopolitanus Pisidiæ dixit. Secundum jussionem vestræ beatitudinis perveni cum Theodoro reverendissimo presbytero & hujus sanctæ ecclesiæ defensore ad Projectum reverendissimum episcopum Naisitanum Illyricæ diœceseos, qui habitat in domo Maxentiani, & diximus ei tale responsum; quod hortantur vos sanctissimi patriarchæ & reliqui omnes fratres vestri religiosissimi episcopi venire in sanctam Synodum; & dixit quod ad archiepiscopum Benenatum accedo, & ad eum respondeo*; hæc ex Collat. II. Synodi laudatæ. Verum Benenatus a Concilio absens cum Patrum sententiis consentire videbatur, ut Patrum eorumdem indicat responsio allata a nobis, ubi de Benenato egimus. Cur igitur Projectus Vigilio assensus est Pontifici, ejusque subscripsit Constituto edito Constantinopoli, quo adversus Synodum tria Capitula, quorum causa coacta fuerat, probavit? *Projectus episcopus Naissitanæ civitatis huic Constituto consentiens subscripsi*; vide dicta in Benenato Archiepiscopo Scopiensi, cui hinc perspicue patet Naissitanam Ecclesiam fuisse subjectam.

subscribit Vigilii P. Constituto pro tribus Capitulis.

EPISCOPI STALIENSES.

Hujus Ecclesiæ, & Episcopatus nomen nullibi in Scriptoribus & Notitiis Episcopatuum Geographicis potuimus reperire. Nota urbs est ex Collatione secunda Concilii V. Œcumenici, & Cpani II. ex qua ad Dardaniæ provinciam & metropolim Scopiensem pertinuisse videtur. Nam anno 553.

PHOCAS EP. STALIENSIS unicus.

Dicitur egisse vices in Concilio Benenati metropolitæ Dardaniæ, uti in Ecclesia Scopiensi innuimus; & in catalogo Patrum hujusce Synodi nominatur; *Phocas religiosissimus episcopus Staliensis* al. *Istaliensis*. Idem unus ex his fuit a Synodo legatis ad Vigilium P., qui eum ad Concilium invitarent, *Phocas Staliensis* ex Collat. II.

EPISCOPI ULPIANENSES.

Ulpianæ situs ac descriptio.

Ulpiana & Ulpianum, utroque enim vocabulo appellatur, Dardaniæ urbs fuit, teste ejus Episcopo Macedonio, qui in Concilio Sardicensi se subscripsit Encyclicis Synodi litteris *Macedonius a Dardania de Ulpianis*; cui provinciæ & a Ptolemæo tribuitur & a Hierocle; erravit vero Lequienius tomo 2. Orien. Christ. eum in Dacia Aureliani Dardaniam collocat, quæ pars unice fuerat olim Mœsiæ superioris in meridiem vergens, & hujus interjectu inde longius aberat Dacia versus Septemtrionem. Ulpiana Dacorum, de qua Ptolemæus apud Ortelium in Thes. Geog., quærenda est in Dacia Trajani, eadem fortasse atque Ulpia Trajana extra Illyricum nostrum trans Danubium. Narrat Procopius lib. 4. ædific. cap. 1. Ulpianam a Justiniano Imp. magnificentiori opere fuisse refectam, eique ad augendam celebritatem nomen inditum Justinianæ secundæ; *erat apud Dardanos urbs antiqua, cujus mœnia, cum sic labascerent, ut nulli essent usui, horum partem maximam demolitus mox restituit, multisque ornamentis collatis civitatem aptavit, qualem hodie videre est, & secundam Justinianam appellavit*. Hæc fuerit ne Justini patria, cui Justinianus nepos hæc decora adjunxerit, ut patrui memoriam perennitati servaret, ambigendum videtur. Etenim Justinum Bederinæ natum plurimi perhibent Scriptores. Bederina vero seu Bederiana in Dardania sita ad lacum Lychnidensem, & Tauresio proxima natale oppidum est Justiniani, a quo Justiniana prima postea dicta est, neque eum Ulpiana debet confundi; etsi hujus positio ab illa haud multum distaverit; & hinc propter locorum vicinitatem factum, ut Justinus Bederianus modo, modo Ulpianensis vulgo haberetur; quamvis non desint, qui

an Justini Imp. patria?

in

Digitized by Google

in Thracia natum esse affirment. Sæc. IV. Ulpiana titulo Episcopali in Dardanis eminebat. Sed qui præcessere Antistites, quique præter duos subsecuti sint, in oblivione delitescunt. Ex his

MACEDONIUS EP. ULPIANENSIS I.

Macedonius Ep. Ulpianensis an. 347. In Concilio Sardicensi stetit pro S. Athanasio adversus Arianos, & decretis subscripsit; *Macedonius a Dardania de Ulpianis*, tum Synodicæ epistolæ ad Julium Pontificem, *Macedonius ab Ardania* lege *Dardania de Ulpianis*, atque alteri ad omnes Episcopos, *Macedonius*.

PAULLUS EP. ULPIANENSIS II. AC POSTREMUS.

Paullus Ep. Ulpianensis an. 553. Erat Constantinopoli anno 553., cum Synodus v. Œcumenica haberetur adversus tria Capitula. Qui cum a Patrum conventu abfuisset in prima Collatione, misit Synodus Diogenianum episcopum Sozopolitanum Pisidiæ, & Theodorum presbyterum & defensorem Ecclesiæ, qui hortarentur, ut adesset. Diogenianus re infecta hæc ad Patres retulit Collat. II. *Cum pervenissemus ad Paulum religiosissimum episcopum Justinianæ secundæ, qui habitat in domo Germani prope portum Cæsarii, & dixissemus ei quæ vestra sanctitas jussit, respondit quod archiepiscopum habeo, & ei respondeo*. Erat is Benenatus Scopiensis, de quo superius. Acquievit Paulli responso Synodus, quæ de Benenato recte sentiebat. Cæterum Paullus cum Vigilio Pontifice ad S. Euphemiam recesserat, ejusque Constituto pro tribus Capitulis subscripsit; *Paulus humilis Dei gratia episcopus ecclesiæ Ulpianensis, huic constituto, quod beatissimus papa Vigilius in caussa trium capitulorum protulit ad omnia suprascripta consentiens subscripsi*. Nihilo tamen secius Synodus in tria Capitula anathema protulit; vide quæ de his fuse dicta sunt in Tomo 2.

EPISCOPI ZAPPARENSES.

Nota civitas & Ecclesia Zapparensis in Dardania est ex Græcis Episcopatuum notitiis, quod recte animadvertit Nicolaus Coletus in Catalogo Ecclesiarum Episcopalium, quæ in Conciliis memorantur, tomo ultimo Conc. Ven. Edit. Coletianæ. Hanc teste Lequienio, Macedoniæ primæ attribuit Commanvillanus, nullius tamen auctoritate; illiusque meminit Theophanes ad an. v. Mauritii Imp. Nec de urbe, nec de ejus Episcopis quidquam præterea licet cognoscere; unus autem est, quem profero

SABINIANUS EP. ZAPPARENSIS unicus.

Sabinianus Ep. Zapparensis anno 553. Hic an. 553. Constantinopolim venit, ubi cæpta jam fuerat Synodus V. Œcumenica de tribus Capitulis, a Justiniano Imp. indicta, Vigilio tamen Pontifice abnuente, licet & is in urbe esset ab illo ad Concilium invitatus. Sabinianus primæ Patrum Collationi non adfuit: quare a Synodo vocatus per Anatolium Cymæ Episcopum renuit; ejusque responsum Anatolius hisce detulit ad Patres in Collat. II. *Secundum jussionem beatitudinis vestræ fuimus tam ego quam Petrus reverendissimus presbyter & defensor hujus sanctæ magnæ Ecclesiæ in loco qui dicitur Palea in domo piissimi & tranquillissimi Imperatoris ad Sabinianum reverendissimum Episcopum Zapparenæ civitatis Illyricianæ diœceseos, & adhortati sumus eum ut conveniret, & consideret vestræ sanctissimæ Synodo, qui dixit non posse venire eo quod non præsto est ejus archiepiscopus Benenatus; dixit autem, quod ego illi respondeo*. Re tamen vera Sabinianus a Synodi sententiis dissidebat; ac qualiscumque esset mens Benenati, de quo superius diximus, Vigilio adhærens ejus Constituto subscripsit pro Capitulis edito; in cujus subscriptione, vitiato nomine, *Fabianus* legitur; *Fabianus gratia Dei episcopus Zapparenæ civitatis, huic Constituto, quod beatissimus papa Vigilius in causa trium Capitulorum protulit, ad omnia suprascripta consentiens subscripsi*; error autem & in *Sabiniani* appellationem potuit irrepere

Digitized by Google

APPENDIX
AD ECCLESIAM SCOPIENSEM
DE PATRIARCHATU IPEKIENSI.

HÆc historiæ Illyricæ pars non est a nobis omnino omittenda. Licet enim Ipechiensis Ecclesia jamdiu a Romana sit divulsa, eademque lato glorietur imperio in Schismaticos ritus Serbliani Latinis quam qui maxime infensos, in Dardania tamen seu Rascia sedet, & pars est provinciæ ac diœcesis Scopiensis, cum Ipechii paræciam habeant Romani dogmatis cultores, ac Scopiensis Archiepiscopi subsint jurisdictioni. Sed nonnulla præmittamus oportet de Ecclesia Serbiensi, seu Sorbiensi, quæ postea in Ipekiensem immutata est.

ECCLESIA SERBIENSIS.

Urbis Serbiensis descriptio.

SErblia civitas, quæ & Servia & Sorbium appellari solet, *ad confinia Bottiæ & Thessaliæ jacet supra montis ardua, triplici muro distincta, ut putes tria oppida esse,* inquit Cantacuzenus lib. 4. cap. 19. quam a se occupatam scribit in suis Commentariis dimidio circ. sæc. XIV. Conditam urbem a Serblis ferunt, cum in primo eorum adventu possessionem loci obtinuerunt ab Heraclio Imp. sæc. VII. jam inito; postea in patriam trans Danubium reversi, iterum supplices Heraclium adierunt, ut alias in imperio sedes iis destinaret, cujus concessu in Dalmatia superiori constitere; atque antiquæ urbis dominatum illos retinuisse verisimile est. Equidem Constantino primum Porphyrogenito in lib. de administr. Imp. cap. 30. & sequent. deinde Farlato tomo 1. & 3. tum Stephano Salagio lib. 2. de statu Eccl. Pannonicæ cap. 6. auctoribus, Serbli post reditum in Romanas provincias sedem in Mœsia superiori, quæ Serblia proprio vocabulo dicta est, posuere; Chulmia etiam, seu Zachlumia, nunc Herzegovina, altera eorum regio fuit; incoluere etiam Arentæ territorium, & Diocleense; quæ Serblorum migrationes an. circ. 640. sunt affigendæ. Testatur vero Porphyrogenitus cap. 32. in primo hujus gentis adventu Heraclium concessisse illi habitandum locum *in Thessalonicæ themate, qui ex eo tempore Serblia nuncupatur,* ubi nimirum Serbia civitas ad fines Thessaliæ posita, & *Bottiæ*, quæ ad Macedoniam pertinet, & a Bottiæa diversa quæ ad Chalcidem, uti Ortelius adnotat; & hinc Cantacuzeni corrigenda dictio superius allata. Quis etenim sibi persuadeat, Serblos Chalcidem usque primo amandatos fuisse ab Heraclio? & cum Ecclesia Serbiensis fuerit Diocleensi Antistiti subjecta, credere ne licet, jura Diocleensis Metropolis ad Chalcidicam provinciam extensa? Diocleam haud longe dissitam a palude Labeatum sive a lacu Scodrensi collocavimus tom. 7. in Dalmatia superiori, quæ pars Serblis obvenit usque ad Drilonem fluvium, qui *Albi* appellatione a Scardo monte exoritur. Porro Scardus Macedoniam & Thessaliam a superiore Dalmatia & ab utraque Epiro sejungit. Si igitur Cantacuzenus Serbiam in montis jugo, & finibus Bottiæ in Macedonia, ac Thessaliæ describit, sique Thessaliæ nomen ampliori significatione interpretemur, quippe quæ Macedoniæ conjunctissima, & Historici indiligenter quandoque loca designant, videtur Serbia in Scardi verticibus exstructa eo situ, quo versus occidentem solem Diocleensem tractum spectaret haud longissime distans; & hinc a Serblianis adiri facile potuit, & potestate retineri non invito Constante seu Constantino Heraclii nepote, & paullo post ei in imperium suffecto an. 641.

Ecclesiæ Serbiensis institutio.

Quo tempore & Christianis sacris rite instructa, & Episcopatus honore donata fuerit, certis non constat monumentis; sed probabilis adest conjectura, qua illud constituamus. Censet Salagius laudato in libro, Serblos opera Heraclii, & Romani Pontificis cura allici cœpisse erga Christianum cultum, ac baptismate in Ecclesiam susceptos imperante Constantino Pogonato, qui ab an. 654. ad an. 685. regnavit, & idem Farlatus sentit tomo 3. in Joanne Archiepiscopo Spalatensi, hic enim negotium adeo salutare maxime juvit, & ante an. 680. e vita decessit. Verum non omnes uno tempore Serbli baptismatis sacramento fuerunt initiati; & aliis post exactum sæculum VIII., aut initum IX. aliis collatum fuit sub Basilio Macedone, cujus imperium intra 67. & 86. an. sæc. IX. continetur; ut ibidem Farlatus docet

Nul-

Digitized by Google

Nulli tamen hactenus hujus gentis sacerdotes, nulli Episcopi, Ecclesiæ nullæ reperiuntur institutæ; & Salagius lib. 3. cap. XI. initia Serblianæ Ecclesiæ sibi visus est detegere in urbe Belgradensi dimidio circ. sæc. IX., quæ Spalatensi pareret Metropolitæ; qua de re in Ecclesia Belgradiensi disquirendum; ast quis non conjiciat firmiori argumento, tum & Serbiam Episcopatus dignitatem & jura esse adeptam? In Concilio Delmitano anni 877. Dioclea metropolis erigitur eique cum aliis Ecclesiis Sorbium subjectum pronuntiatur; igitur ante illum annum Serbia erat jam Episcopalis Ecclesia. Mihi itaque persuadeo, Serblos Diocleates in Christianam religionem consensisse post sæc. IX. exordium; nec multo serius iis in fide enutriendis, atque roborandis datus in ea urbe Antistes, quam ipsi suam agnoscebant, atque ita in Catholica fide lubentius perstarent; idque perfectum est absolutumque, cum missi a S. Ignatio Patriarcha Constantinopolitano sacerdotes jussu Basilii Macedonis reliquias gentis in unius religionis societatem postremo collegerunt, designatis etiam Episcopis non ejusdem nationis quorum regerentur auctoritate per provincias, ubi fixerant domicilia; hinc Serbli Mœsiaci Belgradensi sub Spalatensi metropoli, Diocleates Serbiensi sub Diocleæ Mætropolita, Canalitæ, ac Tribunienses aliique finitimi partim Stagnensi, partim Catharensi obtemperarent, sub Ragusino alterive Metropolitæ.

Ex hisce, quæ diximus, unum nulli aubest dubitationi, Serbiensem Ecclesiam a prima sui origine cum Romana fuisse conjunctam, quod & de Serblis generatim atque universe licet affirmare, quamquam post obitum S. Ignatii Photiano schismate infecti a Romano Pontifice desciverint, & trium amplius sæculorum spatio alternis animi inconstantis mutationibus Græcorum errores, magna pars, sint secuti. De Diocleatibus & Episcopo Serbiano subjectis ambigi potest an statim ab Photii rebellione an. 878. in ejus impietatem proruerint; irrupit certe & in superiorem Dalmatiam illud scelus, nec Diocletana metropolis immunis fortasse fuerit; vide in Georgio II. Archiep. Spalatensi tom. 3. & tom. 7. pag. 6. quæ de his accurate narrat Farlatus. Certum tamen est defecisse illos aliquando a Latinorum communione, unaque Ecclesiam Serbiensem, quæ post Diocletanum excidium a Bulgaris illatum an. 927., in jus potestatemque transiit metropolis Antibarensis, eique tribuitur in vetustis Ecclesiarum Catalogis apud Miræum lib. 2. 4. & 5. Biennio ante in Concilio Nationali, Spalatensi, de quo tomo 3., præter cætera decretum fuit, ne Serbli ad divinam liturgiam & psalmodiam lingua Slavonica uterentur; adfuit Synodo Michael dux Serblorum Chulmensium cum proceribus suæ gentis, quæ regi Tiescimiro suberat; & licet alii regni Dynastæ, seu Toparchæ, vel Zupani ejus imperium detrectassent, natio in unum corpus jam coaluerat, unumque regimen ab ipso in Romanas terras ingressu. Hoc igitur tempore plurimi adhuc a Græco schismate abhorrebant; qui autem post Tiescimirum rerum in Serblia potiti sunt, vel dubiæ fidei, vel a Catholica Ecclesia aversos se prodiderant, quibuscum integra fere natio sentiebat. Sæculo XII. Antibarensem Ecclesiam, quæ, ut antea Diocleensis, in Serblianos Archiepiscopalem jurisdictionem obtinebat, inique, & schismatico odio vexati sunt adeo, ut Neemanes Megajupanus, ac post Desam parentem rex Serbliæ novum Ecclesiæ Rascianæ seu Serblianæ metropolitam Antibarensi opponere ausus sit in oppido Novibazarii, etsi conatu inutili; atque in hunc fere modum Serbliani Græcorum doctrinis atque institutis universe regebantur ad initium prope sæc. XIII. Hæc vero, dicta summatim, explicuimus jam tomo 3. & 6. & 7. Nunc ad Ecclesiam Serbiensem redeo. Fuerunt plures Serviæ Episcopi inde a sæc. IX. omniumque periere acta & nomina; nec mirum in tanta, & adeo longa temporum, rerum locorumque perturbatione quæ totam Serblorum regionem regnumque sæpissime subvertit. Corrupta a Photianis satellitibus religione, Serbia, quæ propius Macedoniam attingebat, ubi Schismatici plurimi, eidem fato succubuit. Erat urbs Serblia carior præ cæteris; & in illa principium Serblianæ Ecclesiæ positum credo; cum vel eo vocati Græci Episcopi, vel ab istis creati Antistites e Serbliana gente urbem ipsam esse caput voluerint initæ cum Constantinopolitano Patriarcha ejusque dogmatibus communionis. Fallor fortasse, & in hanc me pertrahit opinionem ibi creatus sæc. XIII. Archiepiscopatus Serbiensis; quod alium, aliosve Episcopos indicat, præcessisse, & sæc. XIV. Serbiensis Patriarchatus Constantinopolitanis Hierarchis erat conjunctus, unde Ipechiensis; &, si unum demas S. Sabbam, qui ante illum fuere, saltem a Neemanis I. regno quovis titulo Serbiæ Præsules Ecclesiæ Constantinopolitanæ legibus ac jussis autumo paruisse; de Sabbæ successoribus primis inquiram suo loco. Lequienius tom. 2. Orient. Christ. Serbiam Provinciæ Thessalonicensi adscribit; nullum vero exhibet Episcopum præter

Et variæ vices.

ter Damianum an. 1720. Fateor tamen, quæ de hac Ecclesia, ut in re obscurissima post schisma Photianum, disserui, eruditorum ultro a me subdi judicio atque sententiæ. Velim hic animadvertas; in actis Concilii Diocletani an. 1199., quæ habes pag. 30. tom. VII. nominatur Theodorus Episcopus; hunc pag. 20. *Servatiensem* dicimus idest *Serbiensem*; & pag. 30. in subscriptionibus Episcoporum legitur *Theodorus Sarlean.* idest in nota subjecta pag. 31. *Sardiensis* seu *Sardanensis*; at pag. 273. in Episcopis Sardensibus *Savanen.* exprimitur, idest *Sardanensis*; verum error, nobis haud advertentibus, obreptus corrigendus est auctoritate Codicis Labbeani tomo XIII. Concil. Ven. Edit., ubi pag. 748. *Theodorus Sareanensis*, nimirum *Sardanensis* Concilio subscripsit; qui proinde *Serbiensis* esse nequit; ac nullus fortasse tum erat Serbiæ Antistes; abest quippe nomen ab actis Concilii; idem error notandus in Lequienio tomo 2. ubi de Patriarchatu Pechiensi. Igitur Episcopatus Serbiensis in provincia Diocleensi censebatur inde a nono ad sæculum XIII. Cum paullo post an. 1200. repente Archiepiscopali titulo & honore eluxit in Ecclesiastica historia, primumque Archiepiscopum omnes illius ævi Scriptores S. Sabbam agnoscunt & celebrant, nemo tamen immutatæ auctæque dignitatis & jurisdictionis caussas indicant. Certum tamen, Vulcanum Serbliæ regem, totamque Serblorum gentem tunc in gratiam rediisse cum Romana Ecclesia, ejusque communionem tum ab illo tum a Stephano fratre, & rege post illius obitum religiose fuisse servatam; quo tempore jura omnia Ecclesiæ Diocleensis in Antibarensem transierunt; de quibus uberrime in Tom. VII. Itaque censeo ego, Serblianos Principes, hac oblata occasione, egisse cum Pontifice Innocentio III. aut qui proxime ei successit, Honorio III., ut unus Serblis præficeretur Antistes, nulli deinceps subjectus Metropolitæ, & universæ nationis nomine ac jurisdictione Archiepiscopus, quod ab ipso Innocentio tum Bulgari obtinuerant. Hujus opinionis tabulas testes non habeo, quas proferam; sed Serbiensis Archiepiscopatus exordium sub initium sæc. XIII. facto comprobatur. Nam Sabbas utriusque regis frater primo renuntiatus est Archiepiscopus Serbiensis, veteris & Episcopalis urbis habita ratione, quam gens illa jamdudum condiderat, & peculiari quodam incolebat affectu. Sit itaque

Theodorus a Serbiens. Epp. expunctus.

ARCHIEPISCOPI SERBIENSES.

S. SABBAS ARCHIEPISCOPUS SERBIENSIS I.

S. Sabbas Archiepisc. Serbiensis an. inc.

S. Sabbæ vitam primus descripsit editque Joannes Tomcus Marnavitius Episcopus Bosnensis in libro, cui titulus, *Regiæ Sanctitatis Illyricianæ fæcunditas*, & Bollandus, notationibus adjectis, retulit die XIV. Januarii. Hanc igitur cum heic subjicio, visum mihi posse ea prætermitti, quæ Marnavitius præfatur de Serblianis regibus, quæque pluribus notis aut corrigenda forent, aut illustranda irrito labore, quippe tomo IV. VI. & præcipue VII. Operis nostri fuse enarrata sunt ad historiæ veritatem, eamdemque ob caussam Bollandianas animadversiones omisi, plerumque Geographicas iis de locis in Opere toto satis, & abunde perspectis. Itaque res solummodo profero a Sabba gestas; nec sine notatione quæ iis cognoscendis, atque explicandis magis apta sint & necessaria, prætereo.

Eius vitæ initia,

Sabba Rascus antea dictus, (1) e Simeone Stephano Serbliæ Imperatore, & Gelizia Constantini Strascimiri Bulgariæ regis sorore natus est post dimidium XII. sæc. Vivente adhuc Patre, cum ab infantia animum ad pietatem adjecisset, indeque præ cæteris fratribus a patre diligeretur, ubi primum adolescere cœpit, Aulicas turbas pertæsus, invitis genitoribus, domo prolapsus, ad sacros viros, qui juga montis (2) Athos, ex Macedonia in Ægeum mare alta crepidine procurrentis, incolebant, se se recepit, qui locus ea tempestate Thebaidis, Syriæque sacras solitudines referebat, confluentibus in illum vere sacrosanctum montem, idcirco a Græcis agios oros appellatum, ex universo Oriente non solum, sed & ex Occidente solitariæ vitæ undique amatoribus, præsertim cum per ea tempora Constantinopolitani Imperii clauus, sicut & ejusdem Ecclesiæ temperamentum penes Latinos exstaret. Exemplo filii pius pater, regno duobus natis relicto, valedicens Eudosiæ Alexii Regis Græcorum filiæ, quam post mortem prioris duxerat coniugis, in Papicio (3) monte, teste Niceta, Monasticam vitam arripuit; quo tempore regius adolescens Rasco Sabba inter Cœnobitas dictus, post magna virtutum incrementa, ad maturam ætatem progressus, mortuo (4) Theodoro Serviensi Episcopo in ejus locum vel invitus sufficitur. 1 2 3 4

& actu. — creatur Archiepiscopus.

Huius Ecclesiæ cura post instantissimas populorum, Regisque (5) ac Magni Jupani fratrum preces tandem suscepta, ita suo 5

Pa-

Digitized by Google

*Pastorali muneri fecit satis, ut Constanti-
nopolitanus Patriarcha in omnibus suæ cu-
ræ partibus, quacumque Illyricæ linguæ u-
sus habebatur, ei suas vices cum amplissi-
ma authoritate demandaret, unde vulgo*
6 *tamquam alter Patriarcha (6) est habitus;
præcipua tamen ei cura fuit circa Ser-
viensem Ecclesiam, quam ob Schismatico-
rum vicinitatem, sylvescentem potius agrum,
quam bene cultam vineam invenerat; quam-
obrem totis in eo viribus incubuit, ut ab
erroribus repurgatam cultui pietatis Catho-
licæ restitueret; quo in negotio pastorali
ipsius sollecitudini magno adjumento fuit
authoritas regii sanguinis, fratrumque re-
gnantium favor, spectatissimæ pietati*
7 *conjunctus; præsertim (7) cum non ita pri-
dem, utriusque Principis Christiana indu-*
Concilium Diocleense an. 1199. *stria concilium nationale in illis partibus
Romani Pontificis Innocentii authoritate
fuisset celebratum, Præsidentibus Joanne
Sedis Apostolicæ Capellano, & Simone Sub-
diacono legatis, in eoque saluberrimæ con-
stitutiones, pro reformatione Cleri tam
Dalmatiæ tam Serviæ, & Diocliæ, editæ
fuissent subscribentibus Joanne Dioclen. &
Antibaren. Archiepiscopo, Dominico Ar-
chipresbytero Antibarensi, Episcopisq. Petro
Scutaren., Joanne Polatien., Petro Dri-
vasten. Dominico Svacien., Natali Dulci-
nen., Theodoroque Servien., magno applau-*
8 *su Vuksani Regis, (8) Vencianiq. principis;
in eo siquidem comprobatum fuit quantas
vires pietas cum auctoritate regia conjun-
cta in excolendis sylvescentibus Ecclesiarum
agris habeat, cum brevi tempore non tan-
tum Serviensis ejus sponsa, sed omnes cir-
cum circa positæ Christianæ plebes in anti-
quum pietatis nitorem reflorescerent. Pasto-
rali ejus indefessæ sollicitudini, regio san-*
S. Sabbæ virtutes & pastoralis sollicitudo. *guine roboratæ, dos altera summis quibus-
que Præsulibus inprimis necessaria, Discre-
tio nimirum, proxime juncta accessit; cum
enim populi, sibi per vices Constantinopo-*
9 *litani Throni (9) commissi, ex Græcis, La-
tinis, Illyricisque ritu, scituque discrepan-
tibus, constarent, mixtisque sedibus ple-
rumque inter se agerent, ita eorum saluti
promovendæ, ita pacis inter eosdem conci-
liandæ Christiana dexteritate, prudentia-
que se gessit, ut ex diversissimis gentibus,
moribus, animis omnium in sui amorem, &
observantiam adtractis eos tamquam unius
familiæ plebeculam, charitate mutua con-
junctos efficeret. Adauxit præstantiam di-
scretionis, in nobilioribus flemmatibus, ra-
ra virtus affabilitas; qua, ut neminem ad
se accedentem exclusit, ita non nisi læ-
tum abscedere permisit; in perlustrandis
& adeundis piorum gregibus nulla loco-
rum distantia, asperitate, gentiumve fe-
rocia deterreri potuit unquam, quo minus ad omnes accederet, cunctisque paternas aures, & pectora aperiret. Aliquando tum priscæ educationis memoria, tum muneris exsequendi officio, cum ad Cœnobia sancti montis, quem ex Macedonia in Ægeum procurrere diximus, accessisset, sacramque illam turbam, plurimis lauris, idest domiciliis, juxta diversarum linguarum proprietates, distinctam inviseret, subiit præclarum inter præcipua loci Cœnobium, in quo plurima juventus, juxta illorum temporum consuetudinem, sæcularem postea vitam actura, inter Deo sacratos viros, instituebatur; de quorum statu, speque cum Præsidem interpellasset, isque prorsus in ejuscemodi juventute educanda, utpote quæ nec minis, neque flagellis ab innata ferocitate quidquam remitteret, oleum & operam amitti conquereretur; Sanctus vir, Præside partem, sed coram senioribus, accepto, interrogavit hominem: utrum expediret teneras arborum plantas ita ab iniuriis temporum servare munitas, ut radicatæ inter septa, murorumque arcta propugnacula, & solis, & venti sævitiem ignorarent, & utrum ab ejuscemodi planta maturæ arboris unquam sperare posset incrementa: cumque ille respondisset, nilminus, quam quid tale ab ejuscemodi cautela; tum Sabba: Ergone ingenuis parentibus, claroque sanguine nata soboles, durius, quam arbor vilissima, cuique inservitura, erit educanda? & quid mirum nobilissimorum natalium prolem nullis virtutum incrementis augeri, dum sævissimarum ferarum instar, carceribus, flagris, omni denique inhumanitatis rigore, inter viros Deo sacratos, ad divina æque, ac humana fastidienda adigitur. Et qui fieri poterit, inquiens, ut unquam vel vestri, vel rerum a vobis propositarum capiantur affectu, dum vos durissimis exactoribus, immaniores experiuntur? tenella planta juventutis a rigidioribus tempestatum turbinibus est illa quidem præservanda, eo tamen temperamenti tenore, ut suaviores salubriam ventorum auræ jucundioresque solis radii minime illis opportuno tempore denegentur; quod si fiat, & juveniles plantas beneficientissimorum agricolorum spem, non elusuras, & iisdem agricolis nulla, vel minima fastidia allaturas. Statuarios etiam, metallorumque fabros nequaquam perpetuis ictibus efformando signo insultare, sed aliquando post malleos, ad limaturas, & ab iis ad unctiones, & molliores extensiones manum admovere, quin interdum, ne limaturis plus nimio rigeant, vel unctionibus pulveri inhærendo modum præbeant, ventorum auræ, solaribusque radiis ex-*

Digitized by Google

exponi. Humanis quoque corporibus non eosdem cibos omnibus conducere, sed pro naturæ diversitate alimenta subministrari debere; eamdem rationem in animis pertractandis, & ad virtutem efformandis adhibendam: secus ex hominibus, universali reipublicæ detrimento, belluas fieri, idque eorum culpa, qui belluinis modis similes sibi juvenes informant. Iterum atque iterum mente revoluerent, an ullibi gentium plantas audiverint, quæ, ubi primum radices tenellas solo infixerint, maturos fructus proferant? Pristinos ætatis annos in memoriam revocarent, examinarentque, an prima adolescentia ea judicii gravitate, morumque præstantia viguerint, qua iam graves annis aliis exemplo prælucerent? ipsa frugum semina, prius humida sub tellure, nisi putrescant, in herbam assurgere nequaquam, herbam porro non nisi post alternantes tempestatum anni vices, ventorumque, pluviarumque simul, ac radiorum solis indulgentia, in aristam & spicam, ipsaque demum victualia grana coalescere.

Iis plurimisque aliis paternis monitiis & piæ iuventutis iugum, ad illam diem vix tolerabile, saltem inutile, ne perniciosum dicam, allevavit, & ipsis moderatoribus molestissimæ curæ onus reddidit suavissimum. Hisce dotibus Serviensi Ecclesia, aliisque plebibus egregie institutis, post plures annos, in pastorali officio utiliter exhantlatos, pristinæ solitudinis, & uni sibi vacandi desiderio, tandem obtinuit, ut solutus ab Ecclesiæ suæ vinculo antiquos montis Ahos recessus repeteret; ita tamen, ut & alibi Monasticam vitam agentibus aliquando sui præsentiam non denegaret. Hinc dierum meritorumque

Archiepiscopatus abdicatio,

10 *plenus, demum in (10) Milesceveo Coenobio, intra avitas ditiones constituto, terrena sarcina deposita, volavit ad cælos die quartadecima Januarii circa quinquagesimum tertiidecimi sæculi annum.*

& obitus an. 1250.

Vitæ eius fusiori stylo prosequendæ non defuit occasio ex iis monimentis, quæ a solitariis viris Athos incolentibus collecta ad memoriam posteritatis habentur transmissa. Verum cum ea græca fide laborare non ambigamus, utpote posterioribus temporibus conscripta, quibus, extincto latinorum imperio in Græcia, latinæ quoque sinceritatis puritas evanuit, Palaologis regnantibus Principibus, quæ tamen ad nostra tempora sanctitatis ejus comprobandæ admiranda contigere, breviter subtexam. Et quidem præclarum illud, & sanctitate celebriorum virorum proprium, corpusculi nimirum ejus integritas, per trecentos quinquaginta annos, magno peregrinorum concursu celebrata fuit, tanta omnium membrorum consistentia, ut recenter extincti hominis cadaver appareret, inditio absque dubio puritatis ejus angelicæ; cujus sacræ reliquiæ violatio, quanti steterit sacrilegis nostra ætate, admirando successu spectatum

sacrum Sabæ corpus a Turcis combustum.

est. Siquidem Sinanus (11) summus Otto- 11
manicæ Aulæ purpuratus, alter Pompejus, sive Belisarius habitus quippe qui Tunetano Regno in Africa ex Hispanorum manu erepto, Persico regno in Asia ad extremas angustias magnis reportatis victoriis redacto, demum in Europa, capta munitissima urbe Iaurini in Ungaria, Germaniæ, Italiæque, ne dicam Christiani Orbis propugnaculo, cum plurimis aliis magni momenti arcibus, & oppidis per Ungariam, cum post tot victorias, & triumphos accepisset, Christianos jugo Turcico pressos, sancti Sabæ opem implorantes, nonagesimo quinto anno sexti decimi Christiani sæculi, Strigoniensem urbem Ungariæ Metropolim, Vissegradum Pannoniorum olim regum sedem, Vaciam pariter, & Chanadium Episcopales urbes, cum aliis plurimis per Ungariam, Transylvaniam, Slavoniamque, & Croatiam in Christianam libertatem vindicasse, Transylvanorum Principe Sigismundo, & Michaele Valachorum a Turcarum amicitia recedentibus, Bulgarosque, ac Servios, sancti Sabæ imagine militaribus vexillis exornatis, cum præfatis sentire Principibus, & occulta agitare consilia, coacto centum millium militum exercitu, in Serviam irrupit, belloque reliquiis sancti Episcopi indicto, ad Milescevum oppidum, ubi magna veneratione cultæ habebantur, advolat, ac sacrum Corpus tumulo extractum flammis incendit sacrilegis. Constans adhuc fama Turcarum æque, ac Christianorum testimonio roborata perseverat, ubi primum flamma sancti Viri corpus invasit, ab ipso rogo ad cælum usque, magna Barbarorum confusione, mille coloribus speciosam diutius Iridis instar perseverante nubeculam, incertum, cælestis ne tutelæ circa sacras reliquias indicem, an infelicissimæ cladis Turcarum, quæ sacrilegum facinus statim est consequuta, cum ipsius impii Ducis infami post cladem interitu, portentum; a paucis siquidem Ungaris, & Valacchis potentissimi exercitus Imperator, ad illam diem victor ubique, fusus inter præliandum, proprii equi morsibus in paludem dejectus, & in turpem fugam coactus; cum post fugam, instaurato milite, cum Sigismundo Transylvano, longe inferioribus copiis stipato, manu collata, fortunam tentare voluisset, iterum fusus, & fugatus, Byzantium repetens, cujus virtus militaris ex Asia, Africa, Europa triumphos retulerat, ubi semel eadem virtus impio sacrarum reliquiarium afflata est incendio,

Deo,

Digitized by Google

Deo, qui capillos capitis servorum suorum sacrosancto numero vult esse intactos, barbaricum sacrilegium vindicante, perpetuo dedecore, funesto fine vitam conclusit.

Quam porro cultum, & honorem Deus reliquiis servi sui exhibitum gratum habuerit, quibusque beneficentiæ suæ muneribus ejuscemodi cultores cumulaverit, nobile monimentum in familia (12) *Cosaccia, inter patricios Venetos illustrissima, est videre; hæc enim, quamvis beneficio Regum Bosnæ ac Serviæ amplissimum Principatum, ex intimis Dalmatiæ visceribus ad Dardaniam mediterraneam, decem dierum itinerationis in longitudinem obtinuisset, non alio tamen, quam sancti Sabbæ Ducatus nomine illum appellavit, ipsosque Duces regnantes custodes sepulchri sancti Sabbæ dici & esse voluit, adeo ut in ipso stemmatis gentilicii ornamento Leonem clavem attollentem superpositum gestet; hinc licet ante centum annos principatu ab immani hoste occupato vertere solum coacta fuerit, tanti Sancti patrocinio summorum Principum affinitatibui eminentissima, inter Venetos locum Patriciorum retinens, eorumdem proventuum reliquiis vitam traducit, quos olim florentibus eorum rebus Respublica Veneta per Catharensis urbis proprietates Ducibus sancti Sabbæ solvere pacta conditione tenebatur, adeo nulla diuturnitate temporis impensa Dei famulis obsequia benignitate divina destituuntur. Viget Illyricanæ non solum Ecclesiæ, sed ipsis, quorum intolerando jugo maxima ex parte eadem premitur Ecclesia, Turcis nobilis annua celebritate, ad undevigesimum Kalendas Februarii S. Sabæ memoria, quam, fracto tyrannico jugo, ejusdem sancti Patris, ac cæterorum Regiæ fæcunditatis Illyricanæ Sanctorum patrocinio futuram semper faustam speramus. Hæc de sanctissimo Præsule, ab ipsis hodie Christiani nominis hostibus Turcis, & unionis Catholicæ eversoribus Schismaticis ne dum Catholicis nostratibus culto in primis; cujus sacræ Reliquiæ licet ab impuro Sinano fuerint flammis combustæ, manet tamen & sacro loco, & Sancti viri tumulo, in eodem sacro loco, ubi semel quievit, idem honor qui prius, assidua Illyricorum peregrinatione solemniter attestatus.*

NOTÆ.

1 De Simeone vide dicta tomo VII. pag. 27.

2 Montis Athos, vulgo Montis sancti, celebrior est fama, quam ut a nobis queat adaugeri; Schismatici Monachorum greges nunc ea juga incolunt; & inferius ex Milliscichii narratione plura lector cognoscet. Assemanus tom. 5. Kalend. &c. cap. 2. errorem detegit Lequienii tom. 2. Or. Ch. qui Sabbam Constantinopoli in Monasterio Chilantarii aliquanto tempore degisse scribit. Etenim, auctore Joanne Comneno in Proscynecterio sancti montis Atho apud Montfauconium pag. 471. Palæograph. Græcæ, Chilantarium ad Athon pertinet; *Divinum sacrumque monasterium Chilantarii ad littus maris habet pulchrum navale cum turri excelsa, & murorum septo spectabili. Monasterium autem sursum in monte positum est, vere magnum & jucundum aspectu, cujus templum ornatur nomine Deiparæ sanctissima τῶν εἰσοδίων, idest Præsentationis Mariæ V. in templum, totumque plumbo opertum est. Fundatumque fuit sumptibus Stephani Serviæ & Romaniæ regis, qui Romani Romanorum Imperatoris gener erat. Fundatores hujus templi præterea sunt sancti Sabbas & Symeon pater ejus.* Adnotat hic Assemanus, non Neemanem I. sed ejus filium Symeonem duxisse uxorem Eudociam neptim Alexii fratris Isaacii Angeli Imp.; adde nec Romano Argyro, neque Romano Diogeni filias fuisse; hic autem Comnenus nimia liberalitate sanctitatem Symeoni elargitur.

3 Papytius mons dicitur a Niceta in Thracia positus.

4 Theodorum non Serbiensem, sed Sardanensem fuisse Episcopum jam diximus.

5 Erat tum Vulcanus Serbliæ maritimæ rex, Stephanus mediterraneæ seu Rasciæ Megajupanus, uterque Sabbæ frater; horumne opera Sabbas Ecclesiam Serbiensem susceperit regendam, certo nequit affirmari.

6 Initi a Sabba Serbiensis Archiepiscopatus tempus definire non audeo; id effectum crediderim postremis Innocentii III. annis; obiit enim is an. 1216., & longus adhuc exstat Sabbæ Pontificatus ad an. 1250. Causam Archiepiscopalis honoris, quo Ecclesia Serbiensis donata fuit, innuimus superius. Patriarchalis vero dignitas aliquanto post in Serblos invecta est, Sabba vita functo, quem tamen Latinus Patriarcha Constantinopolitanus ob ejus existimationem virtutis ampliori auxerat potestate per alias Illyrici Ecclesias suo juri subjectas, uti Marnavitius asserit. Porro aut Matthæus, qui anno 1220. aut Simon, qui an. 1227. Constantinopolitanus Patriarcha Latinus dictus est, hanc Sabbæ contulit auctoritatem; forte etiam Nicolaus an. 1235. Simoni suffectus; de his v. Chronologicum tractatum Patriarch. Cp. tom. 1. Aug. Boll. Lequienius dubia, uti fatetur, fide fretus Dositheï Hierosolymitani, censet Sabbam Ar-

Latinus

Digitized by Google

Archiepiscopali consecratione fuisse donatum an. 1218. ab Arsenio Patriarcha Constantinopolitano, ac postea in partem Romanæ Ecclesiæ transiisse, Innorentio IV. Pontifice. Verum Arsenius Sedem Constantinopolitanam adeptus est an. 1255. cum Sabbas quinquennio ante obiisset, & eo an. 1218. Theodorus Irenicus cognomine Copas Patriarchatum gerebat Nicææ, ubi Theodoro Lascari imperii coronam imposuit; & uterque Latinis maxime fuit infensus. Quis ideo sibi suadeat post Diocleense Concilium, & pactum unius religionis fœdus cum Innocentio III. a Vulcano & Stephano Serbliæ Dominis an. 1199., Sabbam utrinsque fratrem, & singulari jam tum probitate clarum in eamdem non consensisse sententiam, & a schismatico Antistite, a quo ii secesserant, se inaugurari Archiepiscopum passum esse? nec ignoravit Lequienius Diocleensem Conventum, quem, si typographi mendum abest, in Pontificatum Innocentii IV. false rejecit. Quare instituti & postea suscepti a Sabba Archiepiscopatus Serbiensis assertio nostra nec illinc de sua probabilitate, neque hinc habes de veritate dejicitur.

7 Hujus Concilii historiam habes in Ecclesia nostra Antibarensi tom. 7.

8 Quos Marnavitius Vuksanum & Vencianum appellat, alter est Vulcanus S. Sabbæ frater, alter Vulcani fortasse filius, sed ignotus in Neemanica stirpe. Diximus pag. 27. tom. 7. paternum regnum ita inter se Simeonis filios partitos esse, ut Vulcanus rex esset Dalmatiæ & Diocliæ in Serblia maritima, in mediterranea Stephanus Megajupanus Rasciæ haberetur; qui post obitum Vulcani totius Serbliani regni potitus est, & vita excessit an. 1220. Huic paullo post in regnum successit filius Neemanes II. cognomento Crapulas, vide pag. 34., & a patruo Sabba regia insignia accepit Pristinæ die solemni Paschatis an. circ. 1230. v. Orbinum pag. 251., qui *Patriarcham* unice dicit, cum *Archiepiscopum* nominare debuerat, sed vocabulo utitur, quo Ipekienses Antistites jam suo ævo gloriabantur; ignoravit vero Neemanem a S. Sabba regali diademate coronatum fuisse.

9 In quo scilicet Latini Patriarchæ considebant. Lequienius auctoritate Dosithei lib. 8. de Patriarchis Hierosolymitanis cap. 13. duodecim Episcopos enumerat a S. Sabba delectos, qui in Cœnobiis quidem degerent, & suo nomine Serbiensem diœcesim lustrarent, ubi opus foret. 1. Zalumæ in Monasterio Panagiæ. 2. in terra Diocletiæ in Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli. 3. Tembre in S. Nicolai. 4. Butumliæ in S. Georgii. 5. Barasii in SS. Apostolorum. 6. Rhosnæ in Panagiæ in Studenitza. 7. Prizreni in Panagiæ. 8. Ugracianitzæ in Panagiæ. 9. Utonitzæ in S. Nicolai. 10. Ubranitzebi in S. Nicolai. 11. Belegradi in Panagiæ. 12. Moraviæ in S. Achillei.

10 Unius dici itinere a Novobazario distat in Orientem arx in prærupta ac pœne impervia rupe exstructa, cui nomen Milescevo, seu Miloscevo, ubi rudera magni Monasterii S. Sabbæ, ibique ejusdem sacri cineres. Locus ad Chulmiam pertinet, quæ est regni Serbliani provincia postea a S. Sabba nomen sortita *Ducatus S. Sabbæ*; nunc Herzegovina vulgo appellata; in longitudinem duodecim dierum itinere, in latitudinem quatriduano protenditur; & de illa vide dicta ab Orbino pag. 380. & a nobis tom. 1. in prolegom. & tom. 6. in Ecclesia tum Ragusina, tum Catharensi.

11 Sinani Turcici exercitus Imperatoris in Pannonia res gestas commemorant omnes illius ævi Scriptores, tum Sigismundi Battorii Transylvaniæ, & Michaelis Valachiæ Principum victorias adversus eum relatas. Cætera, quæ Marnavitius narrat, e Majorum monumentis ac tabulis accepta fuisse autumo.

12 Familiæ Cossacciæ genus, egregie facta, & laudes descripsit fuse Orbinus pag. 380.

PREDISLAVUS ARCHIEPISCOPUS SERBIENSIS II.

Ignotus Lequienio, nobis notus ex Orbino pag. 252. Erat filius Stephani Rodoslavi Serbliæ Mœsiacæ & Dalmaticæ regis an. jam 1250. quo S. Sabbas, abdicato Archiepiscopatu, vita decessit. Ante patris obitum, qui accidit an. circ. 1280., videtur hanc Sedem adeptus. Catholicum dogma professus est patris, multoque magis exemplo Helenæ matris e regio Gallorum sanguine ortæ, & virtutibus, ac cum Romana Ecclesia conjunctione illustris. Equidem post ejuratum a Vulcano, ac Stephano S. Sabbæ fratribus Græcorum schisma communio cum Romano Pontifice per annos fere centum integra stetit; ac Predislavi parens æque religione, ac bellicis artibus clarus, Catholicis impense favit. At sæc. XIV. initio, & mortuo Predislavo, Schismaticorum novæ turbæ, novique conatus in præceps impulerunt rem Christianam Serblorum; & Serbiensis Archiepiscopi tum Patriarchæ sibi nomen & jurisdictionem ausi sunt arrogare, de quibus modo agendum.

Pridislavus Archiepisc. Serbiensis ante anno 1280.

Schismaticorum in Serblia turbæ.

PA-

Digitized by Google

PATRIARCHÆ SERBIENSES.

DANIEL PATRIARCHA SERBIENSIS I.

Daniel Patriarcha Serbiensis an. inc.

INnotescit ex mss. Andreæ Zmajevichii Archiep. Antibarensis, quorum apud nos excerpta; nec mirum si a Lequienio omissus. Stephano Duscisno rege, præfuit huic Ecclesiæ; cumque Duscianus regia insignia sumpserit an. 1333. morte vero deposuerit an. 1356. Daniel hoc annorum spatio Serbiæ sedisse videtur; verum ante annum saltem 1350. obiisse illum oportet, ut locus sit Joannicio, qui eodem circ. anno hanc Sedem conscendit. Daniel primus a Dusciano dictus est Patriarcha, Zmajevichio auctore. Stephanus Duscianus is fuit, qui magnis rebus gestis Serblianorum reges omnes antecelluit; imperium in Macedoniam & Thessaliam protulit, seque revera Imperatorem Romaniæ, Sclavoniæ & Albaniæ dici voluit; quin Magistratuum nomina & munera in Serbliæ regimen intulit ad aulæ regalis decus, quæ Constantinopolitanam urbem, & Imperatorum palatium ornabant; atque equestrem Ordinem S. Stephani instituit. Idem porro Schismati Græco addictus Græca fide sæpe apem elusit Romanorum Pontificum, quibus de redintegranda religionis concordia jam dissoluta verba dederat; & pari in sacris ac in civilibus rebus præpotenti ambitione Serbienses Antistites Patriarchali titulo, ac jure donavit ad formam Constantinopolitanæ Ecclesiæ, imitatus Byzantinos illorum temporum Imperatores, qui Ecclesiasticæ administrationi sese immiscere consueverant. Hæc verisimilior origo Patriarchatus Serbiensis; hinc & Danielem schismaticæ factioni adhæsisse non immerito arguimus; cui controversia quædam de confiniis fuit cum Catharensibus, sed ab ipso Dusciano dirempta, lato secundum Catharenses diplomate an. 1351. vide Tom. VI. pag. 449.

Schismaticus.

Cæterum Patriarchale fastigium, quo superbe nimis gloriantur Serbienses Archiepiscopi, quoque in Ecclesiastica administratione abutuntur, Romani Pontificis consensu, cujus unice est potestatis ad subliniores Hierarchiæ gradus attollere Episcopales Ecclesias, nunquam confirmatum fuit, neque ipsi Patriarchæ Constantinopolitani probaverunt; & a Græcis Scriptoribus vulgo Archiepiscopi dicuntur Antistites Serbiæ; in communi tamen sermone, & quadam hujusmodi appellationis inveteratione, tacito etiam veluti permissu, hunc titulum hactenus obtinent apud Latinos. Quare nobis quoque libuit, magis usitatum præferre vocabulum, & Patriarchas inscribere, qui Archiepiscopali tantummodo præstant ac pollent dignitate. Valde porro miratus sum, post sæc. XIV. initia reperiri in tabulis Ecclesiasticis unum Latini ritus Episcopum Serbiensem. Is est Joannes, qui in diplomate plurium Antistitum dato Avenione IX. Kal. Julias anni 1328. pro Ecclesia Heilingestadiensi S. Martini in diœcesi Moguntina inscriptus est *Joannes Serbiensis*; vide Junium Boll. ad diem XVI. in Appendice de S. Aureo; idemque esse videtur, qui in alio diplomate an. 1330. pro Ecclesia Rhecinetensi S. Francisci a Matthæjo prolato in Sardinia sacra, nominatur *Joannes . . . . biensis*, idest *Serbiensis*. Titularis fortasse fuit; quod antiquæ Ecclesiæ Serbiensis in provincia Diocletana veritatem confirmat; aut, cum speraret Pontifex Joannes XXII. fore, ut Serblianorum turbæ adversus Ecclesiam Romanam conquiescerent, Joannem destinaverat animo, qui Serbiensem civitatem ad leges Catholicæ communionis componeret; sed temporum iniquitas obstitit consilio Pontificis.

JOANNICHIUS PATRIARCHA SERBIENSIS II.

Joannichius Patriarcha Serbiensis an. 1353.

Græci schismatis cultor, ad quem litteræ Innocentii IV. quarum hæc inscriptio; *Joannichi Patriarchæ Serviæ* &c. datæ sunt an. XI. Pontificatus idest 1353. easque habea tom. VII. Cum enim Stephanus rex videretur in Romanam Ecclesiam propensus, & de reditu ageret in ejus fidem & clientelam, Innocentius & litteras misit & Legatos, confisus regis pio consilio, & postulationibus; scripsit & Joannichio, eum adhortans, ut, veritate perspecta, ab errore recederet, & suis exemplo debitæ Catholicis dogmatibus subjectionis præesset. Fefellit Stephanus Pontificis omniumque bonorum exspectationem, forte & Joannichio impulsore; tristes adeo gravis & sanctissimi negotii effectus lege in Dominico Archiep. Antibarensi tomo VII. Existimat Lequienius, Joannem Cantacuzenum Constantinopoli profugum, Joannicio teste, fœdus cum Stephano iniisse, ut ejus armis ac potentia imperium recuperaret adversus generum Joannem Palæologum; id vero ante an. 1355. perfectum est; affirmat ipse Cantacuzenus in Comment. suis oportuisse, ut utriusque partis jurejurando præsens adesset *Treballorum*, scilicet Serviorum *Archiepiscopus, cui cum adesset, ad medium atrii obvius Princeps frenum equi apprehendens ad locum duxit ubi descendere so-*

Digitized by Google

lebat ; eumque de more salutans benedictione donatus est ; Archiepiscopus vero Imperatori occurrens intra ades juxta Byzantinorum consuetudinem fausta illi & læta precans nuntiavit, hæc Lequienius verbis Cantacuzeni.

SAVA PATRIARCHA SERBIENSIS III.

Sava Patriar. Serbien. anno 1365.

Nominatus in diplomate Stephani Urošcii Serbliæ regis, & Dusciani filii, quo anno 1365. insulam Melitam ob præclare navatam sibi operam donavit Rascio Baroncello, & Tryphoni Bucchiæ patriciis Ragusinis; ibi enim *patrem suum spiritualem* appellat *Savam Patriarcham ;* vide tom. VI. pag. 135. Hujus æque ac regis improbi omnino sensus & schismatico corrupti veneno Catholicis hostilem in modum adversati sunt, Helena potissimum regina & Uroscii matre instigante; uti in tomo VII. dictum pag. 78.

Regni Serbliani casu.

Inde ad an. 1418. Serbiensium Antistitum memoria periit. Interea regnum Serblianum pessum ibat, dum acrior in Catholicos fervebat Schismaticorum persecutio; & anno 1368. prorsus ruit. Proceres vero ac Dynastæ Serbliani, malo eorum fato, suam sibi quisque partem arripuerunt, minus de religione, quam de dominatu solliciti. Serbliana tamen Ecclesia unius regebatur potestate. Et fortasse continuis cruentisque Serbliæ dissidiis atque factionibus nulli creati sunt Patriarchæ, nisi post an. 1418.

Initia Patriarchatus Ipekiensis.

Ad hoc sæculum puto referri posse exortum nomen Ipechiensis Patriarchatus, quem eumdem esse dicimus cum Serbiensi. Primum, qui nobis innotescat, *Archiepiscopum Pecii* nominat Sylvester Siropulus in hist. Conc. Florentini; & de illo agemus inferius. Fuit is huic Synodo suppar & præsens cum suo Patriarcha Constantinopolitano; & Peciensis Archiepiscopi meminit ante incœptum Concilium an. 1439. haud inanis vero est suspicio huic alium saltem præcessisse. Atque, ut id aperiam, quod coniiciens sentio, cum Serbliani regni jam eversi pleræque urbes concidissent postremis præcipue cum Turca bellis, & illatis ab eo cladibus, reor ego Serbiam, quæ ad Macedoniæ fines propius ea parte patebat hostium incursibus, communem cum cœteris calamitatem esse expertam; & nudatam mœnibus, civibus desertam vix urbis speciem retinuisse. Tum de nova sede, novoque Sedis nomine cogitari cœptum ab Archiepiscopis, etsi plerumque in regum aula, dum Serblanum stetit imperium, versari solerent; & locum nacti tutiorem prope Diocleæ rudera, ubi Ipekia pagus, & regendæ provinciæ commodiorem, ibi consistere decreverunt, unde dicti postea Antistites Ipekienses. Neque enim mihi suadeo titulum Serbiensis Archiepiscopatus a gentis nomine, quasi *Serbliensis*, derivatum fuisse, sed ab urbis vocabulo, quam Serbli ipsi primitus condidere; quamquam haud ignorem Serviorum Archiepiscopatum ab historicis Græcis nuncupatum; sed recte Lequienius animadvertit tomo 2. in Episcopis Serviæ, *Servia* seu *Serbia*, urbis nomen, plurali numero & neutro genere a Græcis adhiberi, perinde ac *urbem Serviorum*, seu *Serblorum* dicerent.

Sane, si a gente Serbliana nomen ac titulum hæc Ecclesia accepit, cur non servari debuit etiam regno extincto? præest enim Archiepiscopus Serblianis universis a Romana Ecclesia sejunctis, & Serbliæ, aliasque finitimas provincias late incolentibus, e quibus una adhuc natio & gens constat. Quapropter ab urbe appellati Archiepiscopi Serbienses, ea amissa, Ipekiensium Antistitum sibi attribui titulum loci mutatione voluere; quod & in aliis Ecclesiis fieri solitum plurima monumenta confirmant; & Ipekiensis Patriarchatus in Serbiensis dignitatem atque jurisdictionem, mea quidem sententia, successit. De quibus disserere securius potuissemus, si in Serblianis tabulariis, & Codicibus ea fas esset perscrutari, quæ necessaria huic historiæ cognoscendæ forent, quæque abditissime latent. Igitur novo titulo de eodem Patriarchatu prosequor commentarium.

PATRIARCHÆ IPEKIENSES.

Ipekii descriptio.

Ipekium, seu Ipechia pagus est novæ Epiri Scodram inter & Antibarim, ubi olim Dioclea, a Pessio diversus; hoc enim a Ptolomæo ponitur trans Istrum in Iazygibus Metanastis, teste Ortelio; nec Mœsiæ Superiori potest a Lequienio adscribi, multoque minus cum Ipekio nostro confundi. Ibi in Cœnobio Monachorum frequentia & opibus florentissimo, quod in summa rupe exstructum & validis septum mœnibus Arcis nomen obtinet, Patriarchæ sedes conspicitur, magnifico dives apparatu pro illius dignitate & ambitiosa potentia. Quam latam vero sibi arroget jurisdictionem, & Turcarum fretus favore ac præsidio quam ingentem in Serblia teneat dominatum, nos docet Chorographia Patriarchatus Ipekiensis a Michaele Millescichio Cæsaris & Magni Hetruriæ Ducis Consule penes Ragusinos olim confecta. Eam huc re-

Digitized by Google

referre utilem rem duco, & lectori oblectamentum allaturam; ex qua non solum locorum cognitionem, quæ Patriarchæ subsunt, sed etiam Serblianorum rituum aliquam hauriat notitiam.

Chorographia Patriarchatus Ipekiensis.

Serviana gentis militari gloria inclytæ Ecclesias referre pergratum fore arbitramur, cum Ecclesiasticæ historiæ Scriptores de ipsis, ut sibi nequaquam notis, plane conticescant. Eas enim idem, qui Græcorum Ecclesias, turbo intercepit, quorum impulsu, atque exemplo, veterem cum Romana Ecclesia conjunctionem diremere, ut jam inde non nisi tristes miserrimi naufragii reliquiæ supersint. Ab Ecclesia ergo Ipekiensi exordium ducam, ceteras prosequuturus, ut ne minuscula quidem alicujus nominis templa, aut cænobia, prætermittam. Atque in hac rerum caligine facem mihi præferent, qui Serviæ regnum, ac circum positas provincias peragrarunt, a quibus nos pæne hæc omnia accepisse non diffitemur.

Apud Ipekiam *Epiri superioris pagum, qui jacet ad septemtrionem inter* Scodram, *atque* Antibarum, *ubi quondam* Dioclea,
1 (1) *celebris Slavorum civitas fuit, antequam Bulgari eam sæculo XI. delerent, suam habet Sedem in cænobio Archiepiscopus, qui sibi Patriarchæ Serviæ, Bulgariæ, Dalmatiæ, Bosniæ, partium maritimarum, & circa Danubium, totiusque Illyrici nomine plaudit, Monachorum frequentia, opibusque florentissimo. Hoc quidem cænobium, quod in rupe est conditum, validisque munitum mænibus, arcis nomen adscivit, cui allabitur fluvius, quem incolæ vocant* Bistrizza. *Templum vero contiguum æque magnificum, atque opulentum est, quod homines Slaviani ritus tamquam primarium omnium suarum sacrarum ædium caput, &*
2 *matricem* (2) *observant, ac venerantur.*
loca & dioeceses Patriarchatus Ipekiensis. *Hinc iter agenti occurrit post duas horas ejusdem nominis alter amnis, prope quem constructum est Monasterium in pago latissimo,* Deciani *nuncupato, cui templum est præaltum ex marmore, quod ædificasse fer-*
3 *tur* Stephanus IV. Uroscius, (3) *Rex Serviæ, ex regia progenie* Nemanich, *Stephani V. genitor, de quo in serie Slavorum regum luculentius egimus, quem regali indutum chlamyde excipit arca, exquisito artificio elaborata ad dexteram Altaris, solemni ejus festivam diem ritu colentibus Servianis XI. Novembris juxta vetus Kalendarium. Stephanus vero ejus filius cum multa bella feliciter contra Græcos, & Turcas gessisset, ac plures Joanni Palæologo occupasset provincias. Imperatoris Romanorum, & Servianorum nomen sumpsit, ita ut non minus a suis Cæsar, quam vir bellicosus appellatus fuerit, vita demum functus anno* 1354. *vel, ut aliis placet,*
1357. (4) *Adhuc tamen incompertum est,* 4
an odii maculas, quibus in Romanam invectus Ecclesiam se infecerat, aliquando eluerit. Nam Sedis Apostolicæ Legatos, nempe Petrum Thomam Pactensem, & Bartholomæum Traguriensem Episcopos, quos Innocentius VI. ad eum miserat, acerbe, indigneque tractavit; quamvis idemmet hanc concordiam expetiverit, dum illi a Ludo-
vico I. (5) *Hungariæ Rege, cui fide, &* 5
clientela erat obstrictus, periculum imminebat. Brevi inde intervallo profluit magnum flumen Drinus, *uti alter fluvius* Istok, *cujus ripæ insidet parvum Monasterium, eodem gaudens nomine, cum sacra æde, nullo nisi vetustatis titulo commendata. Hæc* Metohiæ *planitiem occupant, quam attingit campus Merulæ, vulgo* Kossovo, *bellorum magnitudine, & frequentia ad posteritatis memoriam insignis. Progredienti Scopiam versus ad dexteram obvia sunt tria magnifica templa, quæ nuncupant de* Trepcie, *quorum proximus ager ob argenti fodinas admodum uberes, magnam habet nominis celebritatem. Ad lævam vero post tria milliaria prope* Prisctianam *se offert grande Monasterium de* Graccianizza, *lapidibus perinde, atque opere spectandum, quod florente Serviæ regno cum sacra æde magnificentissime est ædificatum. Intervallo deinde duorum dierum cernere est* Scopiæ *opulentum oppidum advenarum huc atque illuc commeantium frequentia celebre, quod sibi splendorem accersit ex Metropolitana Sede, cui nullum quidem est tantæ digni-*
tati par templum, (6) *nisi unum dumta-* 6
xat vulgare, quod inter bellorum æstus enatavit. Ea enim reliquas Episcopales Sedes afflixit calamitas, ut nisi in aliquo obscuro, ac sordido pæne loco delitescant.

Abeuntem inde quarta die excipit oppidum Samokovo, *Episcopali Sede conspicuum, quod etsi intra Bulgarici regni fines contineatur, obnoxium est tamen Archiepiscopo Ipekiensi, ejusque legibus obtemperat, templum habens priori non absimile. Sed repetendus est campus Merulæ, ut ceteras Serviæ Ecclesias recenseamus. Inter* Prisctinam, & Procopium *surgunt quinque templa, quæ ob lapidum nitorem, quem referunt, incolæ appellant* Biele Zarkve, *suam quoque nacta celebritatem, cum ibi* Geor-
gius *Serviæ* (7) *despota procerissimarum ar-* 7
borum constructa strue viam præcluserit Georgio Castriotto, *cognomento* Schanderbeg, *rerum gestarum fama præclarissimo, qui Hungariæ Regi Uladislao hujus nominis IV.*

(*nobis Hungaris I.*) *adversus Amurathem II. subsidio veniebat, dum bellum inter se gererent, in quo Rex fortiter dimicans, sed multis saucius vulneribus concidit prope Varnam die X. Novembris* 1444. *Idcirco præfatus despota hisce malis artibus extremam sibi, Serviaque regno paravit perniciem. Nam rupto fœdere, quod cum Hungaris pepigerat, Turcis adhæsit, qui occupata tota pene ejus ditione, vix aliqua oppida ei tribuere, quæ post obitum,* Lazaro *juniori ejusdem filio, ac successori fuere erepta, quippe natu majores filii a prædi-*
8 *cto Amurathe fuerant* (8) *excæcati. Ut autem facilius vafri, perfidique senis ingenium quisque possit perspicere, haud premendum silentio colloquium, quod habuit cum eo*
9 S. Joannes de Capistrano, (9) *vitæ sanctitate, doctrina, ac zelo fidei illustris. Huic enim ipsum ad Romanæ Ecclesiæ obsequium, a quo erat alienissimus, inducere adnitenti, respondit, se malle vitam laqueo finire, quam sub ejus exitum traditiones, quas a Majoribus acceperat, abjicere, Quapropter suæ perfidiæ cito pœnas dedit ex amputatione duorum digitorum manus dexteræ, luctando cum* Michaele Szilagyio, *Joannis* Hunyiadis *avunculo, quod sanguis ex trunca manu effluens nullo artis medicamento sisti potuerit.*

At vero illuc, unde divertimus, redeamus. In hoc quidem tractu aliæ sunt præterea parvæ sacræ ædes, quibus hostium furor pepercit, inter quas illa, quæ sita est in edito colle in pago Samodrescde *prope flumen* Lab, *clara est sepulcro* Millosc Kobillovich, *egregii Ducis a Turcis cæsi. Ipse enim, ut* Lazaro *Rasciæ Principi, socero suo fidem, de qua is dubitabat, confirmaret, Amurathem, Turcarum Imperatorem, qui eum ad secretum colloquium admiserat, sua manu interfecit, cujus corpus in præmemorato campo Merulæ est tumulatum, ubi utriusque Duces pro victoria decertaverant. Inde brevi intervallo se offert* Procopium *celebre oppidum, quod fluvius* Toplizza *præterfluit, qui prope* Pristinam *suo sinu excipit amnem* Kossajnizza, *ubi templum est haud ignobile S. Martyri* Procopio *dicatum, in quo fama est, ejus sacra ossa asservari. In proximo vero clivo adhuc moenia, & turres exstant veteris urbis, in qua suam olim Sedem habuerat antefatus Georgius despota, antequam* Irenen *Joannis* Cantacuzeni *neptem duxisset, cum qua* Semendriam *se contulit ad Danubium, ut hæc civitas sui Imperii caput foret. Dum inde post quinque horas via ducit in urbem* Nissæ *bellicis operibus claram, cujus in suburbio sedet Metropolitanus, sacra tamen officia obire solitus in proximo vico* Matthievich, *cum templum, quod ibi habuerat gratia* Osman Topat Passæ *ex Christianis progeniti, Turcæ mox in delubrum impiæ superstitionis converterint post luctuosam deditionem, quam fecerat hujus urbis Præfectus* Doxat *anno* 1737. *Hinc secundo flumine* Morava *Albam Græcam versus milliario quinto supra quadragesimum ad lævam apparent rudera regiæ ædis* Lazari *Principis Serviæ, qui copias eduxerat adversus Turcas, quorum Imperatorem, ut paulo ante diximus, præfatus* Kabillovich *sua manu interfecit. Sed, cum pari felicitate diutius pugnatum non esset-Princeps ipse vulneratus interiit. Eum quidem Serviana Ecclesia, uti virum pium, sacris, humanisque litteris apprime excultum, atque in pauperes liberalem, sanctorum numero adscripsit, cujus solemnis memoria colitur die XV. Junii stylo veteri, convenientibus undequaque magna celebritate suæ gentis hominibus ad ejus lypsana, quæ asservantur in montibus* Fruschæ *prope Petrovaradinum. Medius pagum* Kruscevaz *& urbem* Uscize *interfluit amnis* Moravizu, *cujus apud fontem est Monasterium de* Kobligie, *nullo nomine commendandum. Huic contermina sunt alia parva monasteria, quæ brevi intervallo inter se distant, posita juxta viam, qua ducit Albam Græcam versus quorum unum vergens ad dexteram vocant Monasterinm de* Ariglie, *alterum vero ad sinistram positum nuncupant cænobium de* Uruscenizza.

Inde occasum versus, emenso quadragesimo quinto milliario, acceditur ad urbem Uscie, *Episcopali Sede nobilem, habentem templum in suburbio, formæ, decorisque mediocris. Prosequenti idem iter ad occidentem tertia die occurrit Alba Græca seu* (10) 10
Taurunum, bellorum magnitudine, & fortunæ varietate inclyta, ubi sedet Metropolitanus, cui templum, atque ædes sunt amplissimæ, quas construxere Germani, dum hac urbe potirentur. Recto inde cursu quarta die aditur Serralium *Bosniæ, divitiis, artibus, atque hominum commercio oppidum totius regni primarium, florentissimumque. Habet ibi Metropolitanus templum amplitudine, atque opulentia insigne, quod Mercatores exædificaverunt, cujus exstruendi operis copiam fecit prælaudatus* Osman Topat Passa, *cum olim Proregis munus in hoc regno obiret. Ceterum eo in loco nullum est aliud templum, aut monasterium hujusce ritus, cum Catholicæ religionis cultores soli incoluerint hoc oppidum usque ad bellicam expeditionem invictissimi Principis* Eugenii, *quem Ducem sequuti sunt in reditu ex Catholicis opulentiores, in quorum ditiones subierunt Serviani. Magna autem* se-

Digitized by Google

sequuta est in hac regione Ecclesiæ, & rei Politicæ conversio, ex quo Mahometes II. deleto Græcorum imperio, Bosniæ regnum sui juris fecit, quod fide, & obsequio obstrictum est Hungariæ regibus, quibus de-
11 venit (11) sub S. Ladislao, qui filiam Crescimiri II. vel, ut aliis placet, III. Croatiæ, Dalmatiæ, & Bosniæ regis sine liberis defuncti, sibi desponsaverat. Huic quidem regiæ potestati Bosnenses primum obstitere, donec Joannes Cottromannus eos debellavit, quem Andreas II. Hungarorum Rex Bosniæ Banum, nempe Ducem renunciavit, sub annui census, & fidei obligatione. Operæ tamen pretium est referre, qua calliditate, & ferocia dictus Turcarum Princeps in occupando hujusmodi regno, de quo desperaverat, se gesserit. Suis itaque viribus diffidens Stephanum Thomam regem blanditiis, & vanis promissis demulcere studuit, videlicet, se daturum ei regnum sub pensione tributi, & clientela, si arces, quæ supra septuaginta numerabantur, natura, atque arte munitissimæ, in suam daret potestatem. Itaque voti factus compos, ipsum ad solenne epulum exceptum, vivum excoriari jussit, partim trucidatis Proceribus, qui regem sunt comitati, partim tamquam mancipia essent, in Asiam amandatis, justo quidem Dei judicio, ut Rex vitam cum regno amitteret, qui parricidio se inquinaverat suffocato patre naturali Thoma, in quem Matthias Corvinus Rex Hungariæ summa exarserat indignatione, quod Mahometem II. Monachi veste regnum Bosniæ explorantem, atque ad ipsum deductum, libere dimisisset, & Bosnenses Manichæorum erroribus, & Photiano schismate ab Ecclesia Catholica abalienati, immanissima Turcarum tyrannide premerentur. Uxor autem Regis Thomæ Catharina, fuga abrepta, Romam se contulit, ibique a summo Pontifice Pio II. honorifice habita, post aliquot annos vitam clausit, ejusque sepulchrum in Templo Aræ Cæli visitur, Slavianis, ac latinis litteris inscriptum, scilicet: HIC JACET CATHARINA, FILIA DUCIS STEPHANI, ET UXOR STEPHANI REGIS BOSNIÆ.

Sed unde deflexit, eo revocanda est oratio nostra. Sexta hinc die ad fines campi Merulæ obviam se offert Neopyrgum, vulgo Novi Pazzar, Episcopali Sede clarum, ubi Ragusinorum civium mercaturæ operam dantium celebris est colonia, quæ suum habet Catholicum presbyterum Latini ritus sacra ministrantem. Hujus vero loci Episcopus rem divinam facturus se confert in ædem divo Apostolo Petro sacram, quam, ut memoriæ proditum est, S. Timotheus D. Pauli Apostoli discipulus, Apostolorum coriphæo inauguravit, quæ mille passibus distat Boream versus. Hæc autem regio templis, & monasteriis Serviani ritus multum est frequens, cum ibi suam sedem habuerint Principes ex clarissima progenie Nemanich, qui Serviæ, cæterisque finitimis provinciis imperaverant, cujus præcipuum stipitem Nemaniam suspexere. Nam ex tri-
bus filiis, quos Dessa pater genuerat, (12) 12
videlicet, Miroslaum, Nemaniam, & Constantinum, ille solum natu secundus liberos suscepit, a quo Magni Jupani, vel Servianorum despotæ suarum virium repetunt magnitudinem, suique stemmatis sumunt originem. Insulam Melitæ, quæ inter Corcyram Melanam, atque Elaphitas interjacet, Monachi S. Benedicti, ex quibus sæculo XVI. sub Clemente VII. conflata est congregatio Melitensis, dono accepere a præfato Dessa anno 1151. cum idem, etsi ex consuetudine orientalis Ecclesiæ viveret, vir Catholicus esset, & singulari cultu prædictum Sanctum, veluti Monastici ordinis in occidente Fundatorem, atque eximium in Ecclesia Dei sanctitatis sydus veneraretur. Non procul ab antefato oppido Neopyrgi, in celsis, præruptisque rupibus, quas nuncupant Ghiurghievi stupi, eminet nobile monasterium cum templo, quod prælaudatæ stirpis Principes S. Georgio dicavere, quorum imagines in templi pariete depictæ adhuc inspectantur, videlicet, Simeonis, Stephani IV. Uroscii, Stephani V. ejusque filii Uroscii. Fama est, prædictum Simeonem Nemaniæ filium, qui occupatis omnibus Slavorum Dynastiis, primus regis titulum sumpsit, nempe Serviæ, Rasciæ, Tribuniæ, Zachulmiæ, Dioclææ, & totius Dalmatiæ, ac genitor fuit Stephani I. Vulcani, & Sabbæ, Slavorum Archiepiscopi, hoc monasterium, multaque alia construxisse, quem Serviani tamquam virum pium, & cucullum pro purpura gestantem, singulari prosequuntur veneratione die XIII. Februarii antiquo more. Penes fontem Rasckæ, a quo suum nomen accipiunt Rasciani, æque regiam præseferunt opulentiam cœnobium, ac templum Sopochiani, miræ celsitudinis, cujus parietes egregie depicti, regalis stirpis exhibent imagines. Hujus magnifici operis conditorem fuisse affirmant Stepha-
num, quem vocant Parvum, (13) corruptis 13
moribus famosum, quippe vulgatum est, ipsum explendæ libidinis ergo, sponsas, quæ nuptiali apparatu ad domum viri ducebantur, in regias raptasse ædes, quas, ubi licentius his usus esset, parentibus restituebat. Inde prono flumine progredienti, tertia hora obviam fit magnæ molis templum SS. Martyribus Cosmæ, & Damiano nuncupatum. Post duas deinde horas Raschæ aquas suo sinu excipit fluvius Ibar, cujus ri-

ripam occupat posita in humili colle urbs Maghlich, parva quidem, sed elegans. Trium hinc horarum spacio exstat amplissimum cænobium de Studenizza, quod vergit ad meridiem, Monachis frequens, templum habens eximiæ magnitudinis ex marmore pretioso, cultu, ornatuque insigne. Atque hæc cursim de Serviæ, & Bosniæ Ecclesiis exposuimus, quæ etsi ampliore stylo referri potuerint, nunquam tamen ab instituto opere recessimus, rerum omnium statum, ac vicissitudines quoque temporum prosequuti.

Adeunda est modo S. Sabbæ Dynastia, quæ a Stephano Herzeg, quem Ducis nomine Fridericus III. Romanorum Imperator insignivit 1440. Teutonica Lingua Herzegovina nuncupatur, adversus quem Euge-
14 nius Papa IV. (14) delegationis munus Episcopo Pharensi demandavit, nempe, ut Ecclesiasticis diris eum devoveret, nisi relicta Patarenorum, sive Manichæorum hæresi, Catholicam fidem, quam velle amplecti simulabat, quamprimum profiteretur. Quo tempore idem Pontifex jussit sacro fulmine etiam impeti Joannem Paulovich Vayvodam Montis nigri, qui Manichæa impietate, quam exsecratus fuerat, denuo se inquinaverat. Qua de re ambo in perfidia obstinati cælestem iram in se concitarunt, vita, & Principatibus a præfato Mahomete II. spoliati. Hujus itaque regionis, sive Dynastiæ caput est Plevglie oppidum frequens, atque opulentum, quod æque distat Serralio Bosniæ, & Neopyrgo. Ibi enim residet Episcopus in cænobio SS. Trinitatis, quod conditum est in specu ad septemtrionem, magna Monachorum frequentia celebre, cui annectitur sacra ædes amplitudine, atque Ecclesiastica supellectili multum celebris. Unius autem diei spacio orientem versus sub arce, quæ sita est in prærupta, ac pene impervia rupe, locum appellant Miloscevo, apparent rudera magni monasterii S. Sabbæ, prælaudata regia stirpe clarissimi, quod ipse construxerat, cujus sacra ossa in eadem arce asservari traditum est. Is enim Patris Simeonis exemplum sequutus, primum monasticam vitam amplexus, deinde ad Archiepiscopatum Slavoniæ evectus, in obeundo utroque munere summa cum laude, & sanctimonia se ges-
15 sit, vita functus 1250. (15) cujus festum solemni cultu celebrant Serviani die 14. Januarii veteri stylo, ut supra innuimus, morem gerentes, ejus nomini Catholicis quoque venerationem impendentibus, quamvis a publicis honoribus abstineant, cum Romana Ecclesia eum sanctorum Albo nondum adscripserit. PP. Bollandistæ Societatis Jesu, summæ eruditionis viri, qui Sanctorum vitas lato, suspensoque calamo scribunt, ejus quoque gesta referunt, sacros Januarii Fastos ejusdem Præsulis nomine augentes. Ex Servianis scriptoribus non
defuere, qui Episcopatus (16) Stagnensis 16
in Ragusina ditione eum fundatorem fuisse asserant, dum Stagni urbs, ejusque districtus cum proxima Chersoneso, quæ Hyllis vocatur, sub regum Servianorum fuerat potestate, antequam supra memoratus Stephanus V. ea loca Ragusinis concesserit an. 1333. eorumque possessionem confirmaverit Ludovicus I. Rex Hungariæ suo diplomate sub die 7. Julii 1357. Vivificæ autem Crucis frustum, quod in templo Societatis Je-
su asservatur, (17) a præfato monasterio 17
abductum a Turcis fuerat in bello Viennensi, illudque magno pretio redemptum a pio viro Nicolao Boscovich, ejus filius Natalis dictæ Societati, sui erga illam obsequii, atqae amoris argumentum dono dedit. At vero, ut susceptum iter prosequamur, hinc septem horarum spatio via ducit ad ædem sacram de Brodarevo, illis gentibus haud vilem, quæ ripam occupat fluminis Lim: deinde adverso flumine occurrit pagus, quem vocant Bielo Poglie, ubi est nobile templum, quod incolæ S. Nicolao Myrensi Episcopo dicavere, ministris, ornatuque sacro satis honestatum. Interea trajicitur amnis, & Tarræ subitur mons, cui nomen dedit fluvius, quo alluitur, Tara nuncupatus. Unius diei itinere occasum versus in conspectum se dat monasterium penes ripam dicti fluminis, quod exiguum est, sed arte, atque elegantia multum commendabile. Trajecto inde flumine montes percurrendi sunt Pivæ, atque eo loci, cui imminet altissimus mons ad meridiem, totius Dynastiæ maximus, nomine Dormitor, unius diei intervallo vix superandus, est monasterium ad ripam fluminis Pivæ, a quo suum nomen incolæ accipiunt, amplitudine, & monachorum frequentia Tarransi multo præstantius. Trans flumen æque difficilis alius mons est superandus, quem nuncupant Montem nigrum, cujus accolæ rapto vivere assueti, in finitimas regiones eadem de causa excurrunt. Sunt vero multæ familiæ, cum antiquitate generis, tum majorum gloria illustres, quæ Turcarum tyrannidem aversatæ, ex circumpositis provinciis in secretiores hujus montis recessus olim se recepere, quorum posteri ad belli gloriam, ac utilitatem nati invicto robore hostium impetus sustinuerunt.

Hujus gentis primarium oppidum est Moracevo, suum habens Episcopum, degentem
in cænobio de Zetigna, super Butuam; (18) 18
maritimam urbem in Albania, juris Venetorum, cujus imperio etiam in rebus civili-

libus paret populus ad nutum Præsulis intentus, seu arma, seu pacem sequi. Hinc in Venetam descenditur ditionem penes sinum Rhizonicum, ac unius diei intervallo visitur in suburbio Neocastri monasterium positum in clivo ad orientem, nomine Savina, Archimandritæ sede, & monachorum finitimorum hospitio satis celebre; cui cohæret nobile templum, quod SS. Virgini in cælos Assumptæ est dedicatum. Multas quoque hujusce ritus sacras ædes habet iste terræ tractus, quarum curam gerunt presbyteri sua cum conjuge conjuncti, juxta morem orientalis Ecclesiæ, nullo nomine commendandus, præter illam, quæ exstat in urbe Catharensi D. Lucæ Evangelistæ dicata, formæ, decorisque non mediocris, in qua Canonici Ecclesiæ Cathedralis singulis annis die festo eidem sacro, divina officia solenniter celebrant super altare latini ritus, ex quo infertur, prælibatam sacram ædem olim fuisse de jure ipsiusmet Cathedralis, ac Romanæ communionis. Qua vero patet finitima Ragusina ditio, nulla est alia publica religio, præter Catholicam, Romanam nempe. Monachi namque Patarenorum lue infecti, qui antea Stagnense cœnobium incoluerant, quod modo habitant Patres S. Francisci Minorum de Observantia, in montem Athon migravere, promissione a Ragusinis Proceribus facta annuæ stipis impartiendæ ducatorum 265. quam nunc ejusdem loci accolæ accipiunt. In eo autem altissimo monte tot rupibus, ac salebris horrido, quem Græci Monachi prioribus Ecclesiæ sæculis ad habitandum selegere, ut ab hominum commercio segregati, majori cum animarum profectu monasticam vitam agerent, sunt XXIV. monasteria regularis disciplinæ rigore conspicua, quorum unum S. Martyri Laurentio dicatum incolunt Serviani, Illyrica lingua divina officia persolventes. Monachorum autem turba, quæ ad sex millia Cœnobiticam, vel Eremiticam vitam eo loci agere noscitur, magnam apud Græcos nominis gloriam comparavit, digna quoque omnium laude, nisi divortium cum Romana Ecclesia confoveret.

Sed referendus est gradus, unde paulo divertimus, ut facilius susceptum iter prosequamur. Ab oppido Neocastri brevi spatio rursus Turcarum aditur regio, & post unius diei iter occurrit monasterium Tribuniense, quod situm est in Duscevo ad Aquilonem, suum nomen trahens a Tribunio antiquo, cujus vix aliqua rudera supersunt, urbe vetustate, & Regina Theutæ domicilio inclyta, quo victa confugerat, cum adversus Romanos pro Adriatici maris imperio infeliciter decertasset. Prono inde flumine Trebisctiza, quo frequenter restagnat circumjecta planities, quam vocant Poglie Popoviko, frumento dives, pergitur ad monasterium de Savala, quod constructum est ad occidentem, inter rupes abscissas, atque undique præruptas, specus formam exhibens. Pudet utriusque monasterii meminisse. Hæc quippe sub finem superioris sæculi suos Romam miserant Ablegatos, qui se summo Pontifici submitterent, a quo humaniter excepti, pretiosas vestes, cruces, crateresque ex auro, argentoque cælatos dono accepere. Sed, malo abducta peccandi usu, paulo post in pristinam perfidiam prolapsa sunt. Unum adhuc superest monasterium alicujus nominis apud Turcas in pago Scitomislichi, quod Milloslav, generosus miles, ex optimatibus Hrabrenovich Milloradovich in suo fundo construxit. Id enim ob aeris temperiem, & soli amænitatem satis est celebre, quippe situm est in molli clivo, circumpositam habens perjucundam planitiem, quam interfluit Narentinus fluvius, qui commixtus Hunæ aquis, in Adriaticum mare se exonerat. Inde appellitur ad insulam Phariam, quæ sexaginta millibus passuum distat a Continenti, Præfecti triremium in Adriatico mari pyratas persequentis sede nobilem, ubi
extra urbem ad occasum in edito colle tem- 19
plum est S. Venerandæ (19) nuncupatum, quod commemorandum duxi. Etenim Archiepiscopus Ipekiensis Patriarcham Dalmatiæ se inscribit, & maxima pars, quibus naves cursoriæ Venetorum sunt instructæ, constat ex hominibus Serviani ritus, qui ad hoc templum conveniunt, tametsi duo Monachi, quibus sacri muneris cura demandata est, græca lingua divina officia celebrent, atque Episcopo ritus orientalis Venetiis degenti subdantur, in quo templo præter unum altare, quod juxta orientalis Ecclesiæ consuetudinem constructum est orientem versus, alterum quoque latini ritus reperitur positum ad meridiem. Ex quo perspicuum est, præfatam sacram ædem, ejusque ministros a primæva origine fuisse Catholicæ communionis. Quæ quidem altaria utriusque ritus alibi quoque in templis
Servianorum visuntur, nempe (20) Tragurii 20
Sebenici, ac Jadræ, ubi unus ex Venetis Senatoribus regio pæne apparatu, & summo cum imperio Dalmatiæ provinciam administrat. Supersunt præterea duo templa Serviani ritus in Istria, quorum unum distat ab urbe Pola juris Venetorum octo stadiis; alterum vero constructum est in suburbio Tergestino, quod Regia providentia excitandum permisit, ad confovendam atque augendam emporii celebritatem, ubi divina officia Græca, & Serviana lingua alternis hebdomadis celebrantur.

Scla-

Digitized by Google

Promovendus nunc nobis est gradus in Sclavoniam, ut cætera Ipekiensis Patriarchatus jura prosequamur. Postquam enim hanc suis armis subegit provinciam invictissimus Imperator Leopoldus, eo ingens Servianorum multitudo ex finitima Turcarum regione confluxit, ut ibi coloniam positura sub Austriacæ Domus tutela in pace conquiesceret. In eo itaque tractu, qui Turcas disterminat, montes Fruscka *appellunt, sunt septem, aut octo monasteria, quæ sibi magnam gloriam assumunt ex Sanctorum suorum Lypsanis, quæ ibi religioso cultu asservantur. Nominis præcipue nactum celebritatem cænobium de* Opovo, *quod ossa Principis* Lazari, *de quo supra verba fecimus, & S. Martyris* Theodori *Tyronis suo templo excipiat. Hanc vero, quam impendunt S. Martyri venerationem, in confesso est apud omnes hujus provinciæ Catholicos, dari* S. Joanni de Capistrano, *ex Franciscana familia viro sanctissimo, qui magnis exantlatis laboribus pro defendendo adversus Turcas Hungariæ regno, & Catholica servanda religione extremum diem obiit, prodigiorum gloria præfulgens. In oppido quoque* Carolostadii, *vulgo* Carlovitz, *ubi exeunte sæculo superiori initum est fœdus Cæsarem inter, & Turcorum Principem, suam habet amplitudinem opulentum templum, quod ex Servianis quidam prædives mercator suo ære construxit. Hinc adverso flumine Danubio intenditur iter* Petrovaradinum, *urbem ob victoriam, quam a Turcis reportavit* Eugenius *Princeps die 5. Augusti* 1716. *memorabilem; a qua unius horæ intervallo distat magnificum templum de* Covarizza, *priori nulla re secundum. Interea subitur Hungarici juris Comitatus Bacsiensis, ubi amplissimum est vallum, quod nuncupant* magnum fossatum, *quinquaginta & amplius hominum millibus frequentatum. Ibi enim sunt duo magnifica templa, quorum amplitudinem auget sua sede Antistes, qui se* Szegediensem, Baciensem, & Neoplantensem *ritus orientalis Episcopum inscribit. Virum enim* Bessarionem, *qui non multos ante annos hanc sustinuit dignitatem, mira in agendis rebus solertia, mores integerrimi, exquisita eruditio, cæteraque id genus virtutes egregie commendant. Erudiendæ juventutis ergo Clerique informandi, qui ne prima quidem religionis rudimenta callebat, ipse a fundamentis duo ibidem magnificentissima construxit collegia, conquisitis undequaque suæ gentis hominibus, ingenio atque eruditione clarioribus, qui hoc docendi munus impigre exsequerentur. Hæc quidem tanti Præsulis tam præclara molimina maximam spem excitant promovendæ aliquando concordiæ cum Romana Ecclesia, cui impenso animo quoque favet* Arsenius Ivanovich *Patriarcha (21) Ipekiensis, ob eximiam ejus mo-* 21 *rum suavitatem cum ingenii dexteritate, atque eruditione conjunctam omni laude dignissimus. Hic enim cum* Caroli VI. *Cæsaris partes sustinuisset adversus Turcas proximo bello, quod duo imperia colliserat anno* 1737. *magno suorum comitatu in hanc se provinciam recepit, ubi regia excepitus munificentia* Carolostadii *suam sedem posuit in amplissimo Palatio, pretiosa supellectili exornato, quod Leopoldus Imperator* Arsenio Zarnovich, *ejus Prædecessori magnificentissime exstruxerat. Ad* Ipekiensem *vero Ecclesiam, quasi suo Præsule vacua esset, Turcæ renunciarunt Græcum quemdam, patria Byzantinum, nomine* Joannem Karaggia, *quem cum Serviana gens impotentius ferret, nono sui Exarchatus anno, ingenti illectus pecunia, Patriarchalem dignitatem cessit Metropolitano* Scopiensi; *post cujus mortem Episcopi alium virum elegere, cui ea loca parent, quæ Turcarum juris sunt.*

Eligendi Patriarchæ forma.

Non autem abs re erit, hic perpendere, quæ sit hujus Archiepiscopi, sive Patriarchæ deligendi forma, quave sit ejus potestatis ratio. Canonicis quidem sanctionibus, ac prioris Ecclesiæ ævo ipsius electio convenit. Eo enim obeunte, omnes Episcopi illius sedi subjecti in unum coeunt, ut sibi de novo capite provideant, nisi ea rerum temperies sit, quæ alium sibi Antistitem objiciat, quem Turcarum Imperator intruserit, ut paulo ante animadversum est. Cæterum ejus potestatis in circumpositas provincias summa est amplitudo, cujus exemplum simillimum habemus in tribus antiquis Exarchis, sive Patriarchis minoribus, nempe in Thracia (22) Heracliensi, *in A-* 22 *sia* Ephesino, & Cæsariensi *in Cappadocia, qui fuerunt capita longe plurimarum circa se Ecclesiarum: nam ille in toto ejus latissimo Exarchatu pro suo arbitrio Episcopos instituit, synodos cogit, atque omnium causarum supremus Judex est, a quo nulla interponitur provocatio, cum nullus sit eo major, qui ipsius possit infirmare sententiam, quamvis idemmet Patriarchæ Constantinopolitano assurgat, ejusque præstantiori saltem (23) nomine cedat potestati.* 23 *Præstat etiam aliqua addere de (24) divi-* 24 *nis officiis, ac vitæ monasticæ severitate, quæ adhuc in cænobiis Servianorum vigent, licet monachi assiduis injuriis, & direptionibus exagitati, vix sævientis domestici hostis impetum sustinere possint. Publicæ enim, privataque sacra preces diurno, nocturnoque tempore ab Ecclesiasticis legibus statuto, summa religione persolvuntur, scilicet*

Monachi Serbliani.

licet

Digitized by Google

licet juxta Græcæ Ecclesiæ ritum, sed Illyrica antiqua lingua, quæ aspera, atque obscura est, multumque differt ab ea, quam adhibent in familiaribus colloquiis, cujus singularis est elegantia. Monachorum autem vivendi genus antiquiorem redolet disciplinam. Nam a carnibus perpetuo abstinent, ac tenui victu, & vestitu contenti, quidquid ab orationibus, & brevi somno superest, id totum labori manuum, lectioni, sacræ Scripturæ, atque adolescentibus in litteris, bonisque moribus instituendis impendunt. At vero præter Sanctos, quos superius descripsimus, & quos Serviana Ecclesia Cælitum honore honestavit, sunt alii quoque viri sanctitatis fama celebres, a quibus recensendis abstinemus, quod festum diem non habeant, neque de ipsis Ecclesiastica officia celebrentur, nisi in iis locis, quo populi ad eorum Lypsana religionis ergo confluere, eisque vota nuncupare solent, quorum vitæ sanctimoniam, & prodigia, quæ edidisse ferunt, supremo Romanæ Ecclesiæ omnium Fidelium matris, & magistræ judicio subjicimus.

Ex quo autem Moscorum libri in Serviam deportati sunt, dogmatum, & morum doctrina, atque Ecclesiasticæ Politiæ leges in melius mutatæ sunt. Quæ utinam Catholicis institutis, atque obedientiæ summo Ecclesiæ Capiti debitæ plene consentiant: in qua spe quidem sumus, quod Russorum natio non minus militari, quam omni litterarum gloria illustris, multa hactenus in Romanum Pontificem obsequii sui ediderit argumenta.

Investiganda postremo est dissidii origo, ac tempus, quo Serviana Ecclesia se a Romani Pontificis communione segregavit. Huic tam difficili argumento illustrando diutius immorarer, nisi suscepti operis brevitas extra præscriptos limites exspatiari me cohiberet. Neminem quidem præterit ado-
25 lescentis Ecclesiæ ævo 25 Illyricum totum subjectum fuisse imperio occidentali, antequam Arcadius Imperator illud abstulisset fratri suo Honorio, qui, cum esset ingenio hebeti, atque aliorum regeretur consilio, pro nihilo duxit, hac nobilissima sui parte excidere. Verumtamen intactum jus in utro-
26 que Illyrico remansit 26 Romano Pontifici, tamquam Patriarchæ occidentis, cujus vices sustinuerunt in oriente primum Thessalonicenses, deinde Acridæ, seu Justinianææ primæ Archiepiscopi, Vicarii Apostolici ornati nomine, & potestate, donec Leo Isauricus exasperatus invicta fortitudine Gregorii II. & Gregorii III. ob sacrarum imaginum defensionem, Illyricum orientale a Patriarchatu Romano divulsit, ut simul a fide Catholica facilius divelleret. Quod autem semel juris ab injusto, impioque Cæsare ablatum fuerat, nunquam Romani Pontifices sub Græcis Imperatoribus vindicare potuere, tametsi orientales Ecclesiæ consopitis Photii, & Michaelis Cerularii dissidiis sæpius ad eorum communionem redierint, confirmata sacri Principatus supra omnes orbis Ecclesias dignitate, eique annexis prærogativis, appellationis nempe ad Papam, ac in sacris diptychis ejus nominis commemoratione. Idcirco factum est, ut Daciæ, ac utriusque Mysiæ provinciæ, (27) 27
quæ intra Illyrici orientalis fines continebantur, atque ab Ecclesia Constantinopolitana sacris Ministris prima Christianæ religionis acceperant rudimenta, ejus sequutæ sint exempla, sive Græci nova concordiæ cum Romano Pontifice inirent fœdera, sive prioribus excitatis odiis, acerbius cum ipso decertarent. Sed ab hac alternante fœderum, & rixarum vicissitudine, excipienda sunt aliqua brevissima temporum intervalla, quando regium decus, ac robur assequuti, nempe Simeon, Petrus, Samuel, & Calojoannes Bulgarorum, &
28 Blachorum Reges, Dessa, (28) Vulcanus, Stephanus I. Stephanus III. Stephanus IV. & Stephanus V. Servianorum despotæ in Apostolicæ sedis obsequia pronissimos se præstitere; a cujus obedientia nisi aliqui ex ipsis, vel eorum successores turpiter descivissent, non Ecclesiis tantum, verum etiam eisdem Principibus, dum truculentissimi Christiani nominis hostes in præmemoratas provincias desævirent, summo ea fuisset præsidio, & firmamento.

Jam vero tempus est, ut ab hoc longiori diverticulo in viam redeamus. Contra Carolostadium in agro Bacsiensi ad lævam Danubii situm est penes ripam vetus monasterium de Kobiglie, cui nomen imposuit pagus ipso nomine inscriptus, omni commeatuum genere abundans. Hinc autem sexta hora ad orientem trajicitur flumen Tibiscus, & comitatus subitur Temesiensis. Unius vero diei itinere prono flumine Danubio se offert oppidum Pancevo, in cujus proximo vico alterum est monasterium vetustate clarum, ubi fluvius Temes in Danubium se effundit. Tum pari pene intervallo Septemtrionem versus pervenitur ad cœnobium, priore amplius, Monachorumque numero frequentius, quod quatuor stadiis abest a pago, quem vocant Ciakovo, nundinarum celebritate, atque hominum concursu, nobili, qui a jugo montis ad ripam usque fluminis Temes longe, lateque porrigitur. Inde quatuor post horas ad aquilonem extollitur Temesvaria, urbs natura, atque arte munitissima, quæ dum in Cæsaris potestatem transivit anno 1716. ma-

gna Servianorum eo se transtulit multitudo, ubi suam habet sedem Metropolitanus, non solum templi, atque Episcopalium ædium amplitudine, sed etiam utriusque Cleri numero, ac proventuum opulentia nulli secundus.

Hic institutæ peregrinationis nostræ imponendus est finis, Servianæque Ecclesiæ horrendum in modum labefactatæ condolendum. Nam ex illa barbarorum inundatione, quæ tot urbes florentissimas evertit, prostravitque, vix pauca templa, ac cænobia suum excidium evasere, ipsa quidem de sua sorte semper sollicita, ne aliquando hostium furore conterantur. Verumenimvero Serviana Ecclesia, quæ tot gravissimis tempestatibus diutissime agitata, pæne submersa est, ingenti se solatur spe, brevi e tot periculis emersuram, ac pristinam tranquillitatem recuperaturam, dum potentissimi, invictissimique JOSEPHUS, & MARIA THERESIA, Augusti clavum moderantur Hungarici regni, in quos, tamquam Dominos Beneficiarios, exstinctis jam diu suis Principibus, finitimarum provinciarum jura sunt devoluta. Cui sane spei nos quoque delectat indulgere, quatenus Serviana Ecclesia Barbarorum servitute libera, ac supremo Catholicæ communionis vertici copulata ad priorem gloriam se transferat, atque de hostibus trophæa erigat præclarissima, immortale quidem pactæ cum Romana Ecclesia concordiæ monumentum.

NOTÆ.

1 Cum urbs utraque Scodra & Antibaris, de quibus in tomo 7., ad novam Epirum pertineant, & Ipeckia in eadem provincia sit oportet, multoque magis, quod Diocleæ veteris metropolis Epiri jam dictæ locum teneat. Quare corrigenda, quæ in Tom. 4. dicta sunt pag. 69. ubi Rasciæ attribuitur; nam Drilo albus e Scardis jugis erumpit, qua parte mons Epiri novæ regionem respicit; & verius Ipekia sita est ad fontem amnis Bistrizzæ, qui eam alluit, & inde non brevi cursu sese Driloni immiscet. Magis certe fidendum esse video huic Chorographiæ, quam Milliscichius a Ragusinis mercatoribus procul dubio excepit locorum in Bosna, Serblia & Bulgaria peritissimis, ac nesciis fallere. Hinc nota etiam in Tom. I. errorem tabulæ Geographicæ, qua Dalmatia sub imperio Romanorum describitur; Ipekia enim non ad Drini fontem locanda est, qui trans Scardum in Savum influit.

2 Serbliani potius schismatici ritus *matricem* dicerem quo cœteri postea Slavi in Bosna & Chrobatia usi sunt, & utuntur adhuc in hodierna Dalmatia Ipekiensi Patriarchæ subjecti.

3 De Stephano Uroscio plura diximus pag. 66. tom. 7. ubi ejus sanctitatem in dubium merito revocamus.

4 Et de hoc pag. 71. tomi ejusdem, ac superius in Daniele Patriarcha Serbiensi I. Bandurius tom. 2. de Numism. Impp. illius obitum affigit an. 1356. in urbe Thraciæ Deaboli.

5 Vide tom. 7. ubi hæc habes fuse tractata.

6 Catholicis Scopiensibus nulla in urbe sacra ædes, qui in pagis Jacoviensi, Jaicvensi & Prisnensi Christianis sacris dant operam.

7 De hisce, quæ opus erant, attigimus tom. 7. in Ecclesiis Crojensi & Sirmiensi.

8 Georgii fata vide & hic in Ecclesia Semandriensi, cujus duo filii Georgius & Stephanus ille in Hungariam, hic in Albaniam profugerunt incolumes, nulla affecti oculorum pœna.

9 Joannis de Capistrano acta quædam retulimus in Ecclesiam Sirmiensem, præcipue de ejus sepulchro & cultu.

10 Differt ab Alba Græca vetus Taurunum, uti in Ecclesia Singidunensi probavimus tom. 7. & hic in Ecclesia Belgradensi confirmatur.

11 Aliter a nobis hac de re scriptum est in tomo IV. ubi de Episcopis Bosnensibus.

12 Neemaniorum Serbliæ regum seriem sparsim texuimus tom. 7. in Ecclesia Antibarensi.

13 Quisnam hic Stephanus cognomento *Parvus* sit intelligendus, nescire me sincere fateor.

14 Thomas hic est Pharensis pluribus in Bosnia legationibus clarus; hæ vero, de quibus Milliscichius, nunc primum nobis innotescunt.

15 Vitam S. Sabbæ dedimus superius e Marnavitio exscriptam.

16 Stagnensis Episcopatus initia ignota diximus in Tom. 6.

17 Avus fortasse Nicolaus fuit celeberrimi Rogerii Boscovichii, de quo in Tom. 6. ubi de Scriptoribus Ragusinis.

18 Quæ hic de Serbliani ritus cultoribus narrat in Dalmatia Veneta & Epiro, & a nobis inferius enarranda erunt.

19 S. Venerandæ cultus in Dalmatia & Serblia viget; sed Phariensis ædes sacra ejus nomine Farlato ignota in Ecclesia Phariensi tom. 4.

20 De hisce templis fides sit penes Millescichium. Jaderæ nullus degit Serblianus Episcopus, nec Tragurii; sed plures in his diœcesibus, tum in Nonensi & Spalatensi schis-

schismaticæ parœciæ; Sibenici vero sedet etiam Antistes Græci ritus seu Serbliani, & a Romano alienus.

21 De Arsenio utroque postea suo loco.

22 Si Ephesinum excipias, longe amplior, quam olim Heracleensis & Cæsareensis, est Ipekiensis Patriarchæ potestas & jurisdictio, violenta quamvis, & ambitione comparata. Si vero hodierna inspicitur Græcarum Ecclesiarum nunquam firma dispositio, Milliscichio assentior.

23 Neque potestati solum cedit veluti præstantiori Patriarchæ Constantinopolitani, sed annuum etiam tributum pendit duum nummorum millium; si vulgo fides; neque enim id certum asserimus.

24 De Liturgia Serbliana exstitit contentio Nicolai Papadopoli eruditi sane viri in Lycæo Patavino cum Vincentio Zmajevichio Archiepiscopo Antibarensi; hic Græcam fuisse olim asserit, sed nunc a Græca degenerem; ille vere Græcam & nunc defendit. Nostrum non est, nec nostra interest, hanc litem componere.

25 Hec Milliscichii judicium conferas oportet cum iis quæ diximus tom. I. part. I. proleg. toto cap. V.

26 Et de hac Milliscichii sententia, quam nemo in dubium revocat, plura quidem habes sparsim in tom. 2. & 3. etsi Thracica diœcesis videatur nonnullis etiam ante Leonem Isauricum paruisse Constantinopolitano Patriarchæ.

27 Si Milliscichius id intelligit, Daciam ac Mœsias Christianis sacris imbutas a Constantinopolitanis sacerdotibus post Slavorum ac Bulgarorum in imperium irruptiones haud omnino verum est; vide tom. III. de harum gentium conversione & baptismate; si ante barbarorum alluviem, certum est, eas provincias ab Apostolis, vel Apostolicis viris Christianam fidem fuisse edoctas; vide Tom. I.

28 Passim de Serblianis regibus actum est post tom. 3. in iis, qui consequuntur; de Bulgaria in hoc disserimus.

Ecclesiæ Patriarchatui Serbliano subjectæ. P. Lequienius testimonio fretus Chrysanthi Patriarchæ Hierosolymitani has diœceses subdit Ipekiensi Patriarchatui; sub Turcico imperio sunt Metropolitæ Scopiorum, Prisrenæ, Ursicii, Stariblachæ sive Raseæ, Bosnæ Saragii, Beligradii, Timisvarii, Balisti; Archiepiscopi Salocabii, Centestilii; Nyssæ, Sebetii; & Episcopus Tzetinæ; sub Austriaca dominatione, Metropolitæ Buntumii, & Carlowitzæ & Stremii; Archiepiscopus Batzinæ; Episcopi Enobi & Junopolis, Giulæ & Lipobi, Pozieræ. Franciscus de Leonardis Archiepiscopus Antibarensis in litteris ad Sacr. Congreg. hos enumerat rerum Serblianarum peritissimus Episcopos, qui sæc. XVII. parebant in Serblia occidentali Patriarchis Ipekiensibus, *Prisrensis*, *Scopiensis*, *Rascianus*, qui *Novobazarii* sedet; qui *Belgradi*, *Moloscevi*, *Spinderobi*, *Temisvarii*, queque *Bescheretiæ*, *Possegæ*, *Zvornichio*, *Paglievæ*, *Zentæ* præsunt, *Montis nigri*, *Herzegovinæ*, *Tribunii*, *Bosnæ*, *Bagnaluchæ*, & *Lichæ* Antistites; additque aut novos Episcopatus institui, aut veteres aboleri ad formam Turcici regiminis, ut eo in loco sit Episcopus, ubi Turca Præfectus, quem *Sangiacco* vocant; Præfectura sublata, eadem Episcopatus sors.

Narrat Nicolaus Papadopolus in sua Apologia de ritu Serbliano adversus Vincentium Zmajevichium, Serblianos inter subditos numerari Patriarchæ Constantinopolitani in Catalogo hujus Ecclesiæ, & Ipekiensem Patriarcham esse unum e sex hoc titulo ornatis qui Sedi Constantinopolitanæ parent; ipsum vero Patriarchatum a Constantinopolitano Antistite fuisse institutum ac traditam eidem potestatem in Serbliani idiomatis, provincias intra Illyrici fines comprehensas? Sed Patriarchalis Serbiensis dignitas, unde Ipekiensis, erigi cœpit, auctore Stephano Dusciano Serbliæ rege, & Græcorum hoste infensissimo, dimidio circ. sæc. XIV. nec credere facile queo, Patriarchas Constanstinopolitanos Joannem XIV. Isidorum I. Callistum I. qui eo tempore vix suam retinuere Sedem atque potestatem, quidquam de Serblia cogitasse, multoque minus ecclesiasticis illos auxisse honoribus, qui Græco adversabantur imperio, eique Imperatori Joanni Cantacuzeno, cujus unice voluntate ac potentia creati fuerant, ejusque jussu e Sede ejecti; quod Joanni contigit & Callisto. Neque sibi constat Papadopolus, qui Patriarchæ huic jus ait tributum in Serblos Valachiæ incolas extra Illyricum, cum dixisset antea Illyrico solummodo esse illigatum; & Valachia nullo unquam tempore habita est provincia Illyrici. Si vero in catalogo Ecclesiarum magnæ Sedis Constantinopolitanæ & Serblia ei subjicitur, id sibi quidem arrogent Constantinopolitani Antistites, dum Serbli eorum detrectant imperium moribus, doctrinis, cultuque a cæteris Græcis longe diversi, una tantum re concordes, ut a Romana Ecclesia hostiliter abhorreant.

De impiis Serblianorum dogmatibus & institutis plura retulimus in Tomo VII. ex litteris Francisci de Leonardis Archiepiscopi Antibarensis dimidio circ. sæc. XVII. eosque nihilo meliores effectos esse docent aliæ litteræ Vincentii Zmajevichii Antibarensis item Serblianorum dogmata.

Digitized by Google

Antistitis ad exitum sæc. ejusdem, & Matthæi Caramani Jadrensis Archiepiscopi an. 1746. commentarii, ex quibus nonnulla innuimus tom v. in ejus actis. Ex utrinsque testimonio plane patet, hujus gentis presbyteros, horumque magistros Caloceros, e quorum Cœnobiis plerumque Serbliani Episcopi creantur, in summa versari sacrarum rerum ignorantia, ut non sit, cur miremur errorum, atque hæreseon fœdam illuviem, quæ ab hisce doctoribus scatet in vulgus universam; odium præcipue in Latinos fovent, & augent cum feritate admixtum, sacraque omnia Latinorum exsecrabilia prædicant; ingentique audacia ac fastu sese efferunt æque, ac dolis, fraudibus, & incredibili versutia in Catholicorum diœceses irrumpere & perversas doctrinas disseminare pertentant freti vel maxime Turcarum præsidio, qui eodem cum Serblianis & Græcis inimicitiæ æstu in Latinos fervent atque immane abripiuntur. Neque abs re aut injucundum fore censeo, si hic subtexam Busbequii narratiunculam de superstitiosis Serblianorum funeribus, quam is testis e visu retulit in epistolam primam de suo itinere Constantinopolitano an. 1554. *Transgressi*, inquit, *fluvium ab incolis Moravam dictum devenimus in pagum Servianorum Jagodnam, ubi ejus gentis ritus funebres vidimus multum a nostris abhorrentem. Erat cadaver in templo positum detecta facie; juxta erant apposita edulia panis & caro & vini cantharus; adstabant conjux & filia melioribus ornata vestibus; filiæ galerus erat ex plumis pavonis, supremum munus, quo maritum jam conclamatum uxor donavit, pileolum fuit purpureum, cujusmodi virgines nobiles illic gestare solent. Inde lessum audivimus & nænias lamentabilesque voces, quibus mortuum percunctabantur; quid de eo tantum meruissent, quæ res, quod obsequium, quod solatium ei defuisset? cur se solas, & miseras relinqueret? & hujus generis alia. Sacerdotes funeri præerant religionis Græcæ. Erant in cæmeterio erectæ in palos aut longurios pleræque cervorum, hinnulorum, & similium ferarum de ligno dedolatæ effigies; eumque caussam quæreremus, ajebant maritos vel patres eo monumento voluisse testari conjugum aut filiarum in obeundis domesticis officiis celeritatem & diligentiam. Erant item ad plura sepulchra appensæ comæ, quas mulieres aut puellæ in funere necessariorum luctus indicium posuerant. Morem quoque esse in ea regione audiebamus, ut postquam inter majores de nuptiis juvenis & puellæ convenerat, sponsi puellas raperent; neque enim decorum videri, consentire in primos concubitus virginem*. Hactenus Busbequius; Sed redeamus ad Ipekienses Patriarchas.

N. PATRIARCHA IPEKIENSIS I.

Anonymus est apud Lequienium, & intra Martini V. Pontificatum ab an. nimirum 1418. ad an. 1430. videtur Serbliis præfuisse. Sylvester Siropulus in historia Concilii Florentini an. 1439. prodit memoriæ, Constantinopolitanum Patriarcham, cum antea Græci serio de concordia cum Ecclesia Romana cogitarent, in ea fuisse sententia, Concilium iccirco celebrandum in vicina Illyrici regione, quo Græci Præsules grandem afferrent pecuniæ vim regio ærario profuturam, cujusmodi erant ditissimi Photius Russiæ metropolita, Catholicus Archiepiscopus Iberiæ; *Pecii* vero *Præsul* viginti saltem millia Asprorum muneraturus. Verba Siropuli aliquem indicant hoc tempore Ipecii Antistitem; cujus nomen silet; nec in actis Concilii legitur. Cætera, quæ scribit, indigna videntur Josepho II. Patriarcha Constantinopolitano, qui anno 1416. Sedem obtinuit, & auctor optatæ cum Romano Pontifice conjunctionis ad Concilium venit, & Florentiæ Latinorum dogmata etiam scripto professus vita decessit an. 1439. Huic. & Concilio Florentino perfide obstitit Siropulus, qui Synodo præsens nunquam adduci voluit, ut illius decretis subscriberet, & historiam ejusdem adeo calumniis ac mendaciis, immo, & convitiis refertam confecit, ut insanam hominis impudentiam ferre quisquam legendo nequeat; vide Allatium in libr. adversus Creyghtonum pro Concilio Florentino, & Cuperum in hist. Chronol. Patriarch. Constantinopolitani tom. I. Augusti Boll.

N. Patriarcha Ipekiensis an. inc.

TEOPHANES PATRIARCHA IPEKIENSIS II.

Inscriptus *Teophano*, forte *Teophane*, *Dioclea sive Pecchina Patriarcha regni nostri Rasciæ ritus Grecani præsente* &c. in actis Conventus an. 1446. Coigniiii in Bosna habiti a Stephano Thoma Bosnæ Rasciæque rege; eaque habes edita in Tom. IV. pag. 68. Diocleæ nimirum Patriarcha Græco fastu nominatur, quia hæc civitas olim nobilissima prædita fuerat Archiepiscopali dignitate, in eaque priores Serbliæ reges videntur sedem habuisse; sed tum excisa quovis carebat decore & civili & ecclesiastico; Rascia pars Serbliæ erat in veteri Dardania eaque Bosnenses armis fuerant potiti. Hujus Conventus, cui Pontificius aderat Legatus Thomas Phariæ Episcopus, nec Rainaldus meminit in Annal.

Theophanes Patriarcha Ipekiensis an. 1446.

Digitized by Google

Annal. nec Labbeus in Conciliorum Collectione, immo nec Waddingus in Annal. Ord. Minorum., quibus ex Romanis & Franciscanis tabulariis innotescere debuisset; præsertim cum celebratus fuerit coram Legato Eugenii IV. & Stephanus rex de Franciscanis in Bosna Patribus benemereri studeret. Neque in dubium iccirco revocamus acta Conventus, fortasse non genuina; Farlatus ea erudite explicat & ingeniose; in apographo tamen continentur Foinizæ in Franciscano Cœnobio reperta, unde ad Farlatum missa. Certe Maximus Metropolita Serviæ, cujus nomen Theophani subjicitur, locum hic non habet. Qui Serviæ Patriarcha, idem & regni Serbliani Metropolita; neque hoc titulo ullus Mettopolita subest Patriarchæ Serbliensi, ut vulgo scribi solet, & quem nos ab urbe Serbia putamus Serbiæ Patriarcham, seu Serbiensem, nunc Ipekiensem, nominandum. Suspicor Maximum alio titulo Metropolitam fuisse. Nam post Teophanem Maximus quidem hunc Patriarchatum est adeptus, qui an. 1446. erat ætate impar huic dignitati; atque de illo dicam postea; neque duo Maximi sunt effingendi, qui Teophani successerint. Quamdiu is vitam produxerit, nos latet; & cum Farlato sentimus, fuisse illum Romanæ communionis participem; vide Tom. IV. laudatum.

forte Catholicus.

MAXIMUS PATRIARCHA IPEKIENSIS III.

Maximus Patriarcha Ipekiensis an. inc.

Filius Stephani e Serbliæ Dynastis, cujus frater Lazarus materna cæde infamis præpropera morte justas a Deo tulit criminis pœnas. Matrem habuit Theodoram Arianitis Topiæ Golemi filiam, cujus summa erat in nova Epiro potestas, & sororem Marinæ, quæ an. 1451. nupserat Georgio Scanderbego Crojensi Dynastæ, & bellica virtute illustri præ cæteris sui ævi ducibus militari gloria claris, de quo tom. VII. actum. Fuit igitur Maximus cognatione Georgio junctus, qua majorem a tanto patruo adeptus nominis existimationem; & hinc de tempore suscepti Ecclesiastici regiminis aliqua nobis lux oboritur. Si mater Theodora præcessit Marinam ætate & conjugio, cum hæc anno 1451. uxor ducta est a Georgio, etiamsi illius connubium rejicias ante annos vel decem, aut plures, quod aliquando contingit in nuptiis sororum, ac fratrum, Maximus multo post an. 1451. immo & 1460. Patriarchalem dignitatem capessivit; at tempus longius protrahas necesse est, si Marina Theodoram matrimonio præivit. Quapropter ferme sub exitum sæc. XV. videtur Serbiensi Ecclesiæ præpositus; cujus Patriarchatus unus meminit Luccarus lib. 3. Ann. Ragus. qui & ejus stirpem indicat, & eum Archiepiscopum appellat. An vero patrui Georgii religionem & exemplum secutus cum Romana Ecclesia consenserit, vel schismatica lue pollutus vitam egerit, ac finiverit, omnino paret incertum.

MACARIUS PATRIARCHA IPEKIENSIS IV.

Macarius Patriarcha Ipekiensis an. 1565.

Hunc habemus a Lequienio, qui Theophanem & Maximum omisit. Cum Joasaphus regiæ urbis Patriarcha an. 1565. simoniæ crimine e sede depulsus fuisset, Damascenus Episcopus Rendinæ in eum sententiam tulit etiam pro Archiepiscopo Serviorum, quem Macarium appellat idem Joasaph in epistola ad Theodorum magnæ Ecclesiæ *rethorem ac notarium*, inquit Lequienius, a quo Joasaphi damnatio affigitur an. 1565., sed a Cupero alias laudato consignatur tutius anno post ineunte. Lequienii sensus obscurus videtur; qui enim Joasaphus in ea epistola appellare potuit Macarium Pecii Archiepiscopum, cujus judicio per Rendinæ Antistitem fuerat ejectus? fortasse Macarius Rendinensis suffragium suo latum nomine improbaverat; & Joasaphus eum provocavit, & Anselmum Achridensem metropolitam; quo tamen modo *ante destitutionem suam* horum postulat judicium adversus condemnationis sententiam? uti Lequienius innuit; an *destitutionis* vocabulo ab Patriarchatus ædibus, & ab urbe discessionem intelligit, vel legitimum exautorandi actum.

Post Macarium non habeo, quos proferam Ipekienses Antistites usque ad sæc. XVII., quo nondum dimidio unum ex his commemorat Lequienius; est hic

GABRIEL PATRIARCHA IPEKIENSIS V.

Gabriel Patriarcha Ipekiensis an. inc.

Qui in Moscoviam profectus, & a Maximo quodam Patriarchatus cupido reus perduellionis actus ad supremum Turcarum Vizirium, hujus jussu Prusæ laqueo extinctus est; ajunt, tentatum primum fuisse a satellitibus, sed frustra, illius religionis constantiam.

MAXIMUS II. PATRIARCHA IPEKIENSIS VI. INTRUSUS.

Maximus II. Patr. Ipekiensis Intrusus.

Sedem invasit, Gabriele absente, ejus necis auctor. Per hæc vero tempora in provincia Ipekiensis Patriarchatus mira facta

Schis-

Schismaticorum ad Latinos conversio, e quibus Episcopi tres, pluresque Parochi Romano Pontifici se subdidere; vide Tom. 7. in Francisco & Josepho Maria Archiepiscopis Antibarensibus. Nec multo post

ATHANASIUS PATRIARCHA IPEKIENSIS VII.

Athanasius Patriarcha Ipekiensis anno 1611. forteCatholicus.

Dicitur in nostris schedis cæteros imitatus an. 1611. sed tutiora desunt monumenta, quæ illustre factum testentur. Tum in iis locis degebat P. Paullus monachus Basilianus Catholici ritus, qui plurimum in revocandis ab errore, & schismate Serblianis fructu non modico diu adlaboravit.

CALLINICUS PATRIARCHA IPEKIENSIS VIII.

Callinicus Patriarcha Ipekiensis an. inc.

Solo nomine nobis notus ex Lequienio, qui illum reperit in opere Chrysanthi Hierosolymitani Patriarchæ de Officiis Ecclesiæ Græcæ. Dum hic præfuit, Serbliani Bosnenses Episcopos, eorumque validissimos adjutores Patres Franciscanos inique lacesserunt. Concilium etiam Nationale habitum ferunt Ipekii an. 1663. cui interesse noluerunt, licet invitati, Scopiensis Archiepiscopus, & Episcopus Scodrensis, nequid dignitati indecorum offenderent, neque Patriarchæ manus exosculari cogerentur. Quotannis in Concilium conveniunt cum Patriarcha Episcopi Serbliani, Paschatis diebus; & cum adfuisset aliquando metropolita Achridensis Latini ritus, occurit illi Patriarcha cum Episcopis, & honorifice excepit, testatus se revereri Romani Pontificis personam, qua is præseferre sibi videbatur.

ARSENIUS PATRIARCHA IPEKIENSIS IX.

Arsenius Patriarcha Ipekiensis an. inc.

Quem nominat Milliscichius in Chorographia superius allata; post Callinicum videtur Patriarchatum adeptus, cui cognomen Zarnovichio. Fervebat tum bellum Turcicum adversus Leopoldum I. Imp. quo res Christiana in summum discrimen adducta est. Soluta an. 1683. Viennensi obsidione, & insigni Christianorum victoria partim cæsis, partim in fugam actis hostilibus copiis, diu tamen ad exitum hujus sæculi vario marte utrinque pugnatum est. Quare tum Catholici tum Schismatici, qui Serbliam incolebant, Turcarum cædibus, ac rapinis, queis in Christianum nomen sæviebant, perterriti effugium sibi certatim quæsierunt, & salutem in Leopoldi ditione, præsertim in Chrobatia; quo & Arsenius recessit, & Carolostadii constitit in palatio pii Imperatoriis jussu exstructo, & magnifica supellectile ornato, ubi sedem tuto ac libere figeret; hic victa functus est, ineunte sæculo XVII., cui successit

MOYSES PATRIARCHA IPEKIENSIS X.

Moyses Patriarcha Ipekiensis an. 1717.

Cujus meminit Lequienius ex laudato opere Chrysanthi; uterque tamen Arsenium ignoravit. Moyses an. 1717. Patriarchatum gerebat; ipseque profecto est, qui anno 1719. in Zupam regionem Catharum inter & Budnam positam advenit turbas in Latinos Episcopos moliturus. Incolæ Castri novi ad Sinum Rhizonicum Serblianum ritum profitentur; & a Senatu Veneto, cujus erant ditionis, postulaverant, ut sacras ædes reficere sibi liceret, & Antistiti Græco Herzegovinæ parere, qui revera nullus erat; Herzegovina enim in plures divisa diœceses plurium Episcoporum Latini in Dalmatia dogmatis jurisdictioni est obnoxia; verum subdola petitio eo spectabat, ut Senatus permissu Patriarcha Ipekiensis intra Venetos fines potestatem exerceret, unde & Turca jus quoddam in ea loca obtinuisset; utpote qui Patriarchæ auctoritatem tuebatur. Annuere Veneti, ut instaurarentur templa; negarunt alterum de Herzegovinæ Episcopo datis litteris anno 1718. Nihilo secius audax Moyses in Venetam ditionem anno post ingressus est, comite & adjutore Turca administro, quem Chiaus vocant; & hujus ope fretus tres creavit Episcopos, e quibus unum Dalmatiæ metropolitam dixit, Stephanum nimirum Gliubibratichium. Sed cum is sua deque vertisset omnia rapinis, simoniaco quæstu, & disseminatis quaquaversum suæ sectæ erroribus, jussu Senatus an. 1620. quævis illi jurisdictio interdicta est in omnes Reipublicæ diœceses, ac post biennium vetitum quoque fuit, ne quo munere Episcopali fungeretur in Dalmaticis Venetorum provinciis. Moyses an. 1727. erat vita superstes; quod docent litteræ Chrysanthi ad Lequienium; eoque anno novi commoti tumultus cessere tamen irriti.

Latinis infensus.

ARSENIUS II. PATRIARCHA IPEKIENSIS XI.

ArseniusII. Patriarcha Ipekiensis an. inc.

Hunc nobis suppeditat citatus sæpe Milliscichius. Erat illi cognomen Ivanovichio, vir eximiæ morum suavitatis cum ingenii dexteritate & eruditione conjunctæ. Is fautor Cæsarianæ partis in bello a Carolo VI. contra Turcas gesto anno 1737. in Chrobatiam venit magno suorum comi-

Digitized by Google

mitatu, eique ædes Carolostadii attributæ, quas Leopoldus Augustus alteri Arsenio ædificaverat; hinc & obitum Moysis evenisse conjicio eodem anno 1727. aut paullo serius, & Arsenium illi fuisse statim suffectum. Dum vero Milliscichius Chorographiam Ipekiensem in Commentarium referebat post an. 1737. vitam agebat Arsenius, quem ait, *promovendæ concordiæ cum Romana Ecclesia impense animo favere;* & hanc spem *Catholicæ communionis* injectam a Bessarione Izegediensi, Bacsiensi, & Neoplantensi Episcopo Græci ritus, quem summis laudibus exornat. Cæterum Milliscichii opus scriptum videtur post an. 1740. & Arsenius nec Patriarchatu nec vita adhuc decesserat; qui an Romani Pontificis potestatem debito subjectionis obsequio confessus fuerit, necne, incompertum nobis omnino est. Cumque moram Carolostadii protraheret, nihil de reditu in Serbliam sollicitus,

In Latinos propensus.

JOANNES PATRIARCHA IPEKIENSIS XII. INTRUSUS.

Joannes Patriarcha Ipekiensis an. inc.

Cognomento Karaggia, patria Byzantinus, a Turca Imperatore, vel principe aliquo Serbliæ Præfecto in hanc sedem immissus est. Intra vero hunc annorum cursum agitati sæpe a Serblianis Episcopi Veneti Dominatus graves pertulere molestias. Nam a Moscovitico itinere regressus Calogerus quidam Castri novi accola cognomine Abranovichius, ope etiam adjutus mercatorum Græcanici ritus, qui Venetiis degebant, Apostolicum sibi munus tribuebat instruendi rudes atque imperitos hæreticis doctrinis, libros distribuens & munera ostentans, quæ Moschi Serblianæ Ecclesiæ fuerant elargiti. Tum anno 1742. Calogerus alter Zacharias Ivanovichius, & Archimandrita Zagus appellatus in Latinos per Dalmaticas diœceses debacchari ausus est. Nec minus impudens, & effrænis Sabatia Episcopus moliri omnia, tentare omnia adnisus est, ut in diœceses Latinorum jurisdictionem sibi vindicaret. Horum tamen conatus pietas, vigilantia, & jussa Senatus Veneti repressere illico, seditiosis exilio, aut carcere, aut triremi mulctatis. Quæ e commentariis Caramani jam laudatis haud piguit in hunc locum exscribere, non servato integre temporis ordine.

Serblianorum adversus Catholicos audacia.

Joannes post nonum Patriarchatus annum suis invisus, & ingenti illectus pecunia dignitatem vendidit metropolitæ Scopiensi.

N. PATRIARCHA IPEKIENSIS XIII.

E Scopiensi metropoli Græci dogmatis Patriarchatum aucupatus; cui mortuo

N. PATRIARCHA IPEKIENSIS XIV.

Ab Episcopis Serblianis suffectus est. Hæc ex Milliscichio, quæ ante an. cir. 1770. contigisse certum est, cum is Chorographiam jam edidisset, qui præterea subjicit Ipekiensium Præsulum potestatem nunc intra Turcicos fines solummodo contineri.

Post hunc Anonymum Patriarcham, qui Ipekiensem & Serblianam rexerint, & regant hactenus Ecclesiam scire non licuit. Sed de his satis; & quæ vel ex editis libris vel e mss. aut affirmando, aut conjectando descripsimus, aliorum subsint judicio, qui peritiores rerum Serblianarum errata a nobis libere arguant, atque emendent.

EC-

Digitized by Google

ECCLESIA
SARDICENSIS
ET SOPHIENSIS.

EPISCOPI SARDICENSES.

Sardicæ situs.

IN ea Daciæ Aureliani mediterraneæ parte, quæ propius montem Hæmum spectat, inter Mœsiæ utriusque fines sita olim Sardica fuit urbs nobilissima, & ab Ischari, Ciabro ab antiquis dicto, flumine alluitur; ac media est non modico intervallo distans hinc Naisso, illinc Philippopoli, illa Mœsiæ primæ, hac Thraciæ urbe. Marnavitius de visu testis in opere de Principibus Nissiensibus alibi laudatus, *Bustum*, ait, *vastæ olim urbis Sardicæ, quam aliqui Ulpianam Ptolemæi suspicantur,* sed falso, *Sophia hodie dictæ orientali agro* Naissi adjacere. Latet ejus origo; a Sardis Thraciæ populis conditam nonnulli autumant; vide Dionem Cassium lib. 51. *Sardicam* & *Serdicam* cum in nummis, tum a probatis Scriptoribus appellatam invenio; quare Ortelius duas esse urbes distinguendas putat, *Sardicam* in Dacia ab Istri ripa quam longissime dissitam contra atque alii sensere, & *Serdicam* in Thracia. *Sardica* quidem *Thraciæ* legitur lib. 3. cap. Ptolemæi; sed mendum irrepsisse videtur in *Thraciæ* vocabulum pro *Daciæ;* & advertere juvat, Mœsiarum & Daciæ urbes nonnullas quandoque Thraciæ attribui, quippe quæ cum suis provinciis supremo suberant ejusdem magistratui; qua de re Pancirolus in Notitia Imperii utriusque; frustraque nititur Gisbertus Cuperus Sardicam Thraciæ vindicare in notis Lactantii lib. subjectis de mort. persec. etenim tum Græcorum tum Latinorum testimonio, qui vel historica vel geographica scripsere, Theodoreti præcipue lib. 2. hist. cap. 4. omnino constat Sardicam principem, ac metropoleos honore claruisse præ cæteris Daciæ civitatibus. Accidit librarii culpa, si Ammianus Marcellinus lib. 31. cap. 16. visus est in Macedonia Sardicam collocasse, *pars*, inquit, militum *per nemorosa & devia trans Philippopolim exindeque Sardicam, aliam Macedoniæ urbem* &c. quæ corrupte exscripta ita emendat rectissime Valesius in notis; *pars per nemorosa & devia trans Philippopolim exindeque Sardicam, pars ad aliam Macedoniæ urbem* &c.

Reipublicæ & Imperii Romanorum tempore nihil est de Sardica memoria dignum penes Scriptores; ab Ulpio tamen Trajano Imp. seu e vetustate restituta fuit, seu magnificentius aucta, teste aureo nummo Caracallæ apud Ortelium, cui inscriptio hæc inest, *Ulpia Sardica*. Haud longe ab urbe natum ferunt Galerium Valerium Maximianum Imp. cognomine *Armentarium*, quia vili e genere satus puer armenta pascebat. Militari virtute clarus Cæsar dictus est a Diocletiano an. 292. deinde Imperator renuntiatus an. 305. Immani crudelitate in Christianos desæviit, cujus sero pœnituit, cum horrenda tabe totus in putredinem dissolutus impiam animam evomuit an. 311. prope Sardicam in natali loco, quem a matre sua Romula, fœmina in Dacia Trajani orta, voluit *Romulianum* appellari, & palatio ejusdem habitationi magnifice exstructo ornavit. Usque ad imperium Justiniani Sardica eas vices experta est, quæ barbaricis irruptionibus in Illyricas provincias illatæ sunt; quare jam semiruta ab ipso ad pristinum statum revocata fuit, teste Procopio lib 4. de ædif., ac deinceps Sophia vocari cœpit ab celeberrimo templo divinæ Sapientiæ sacro, quod ad similitudinem Sophianæ Basilicæ in urbe regia perhibent Justinianum condidisse; hinc obsoleto Sardicæ nomine Sophia hactenus nuncupatur. Sæculi IX. initio Bulgari Duce Crumno Mœsiam primam aggressi, ut inde in Thraciam irrumperent, Romanos ad Sardicam debellarunt, sex militum millibus interfectis cum ingenti prætera hominum multitudine; capta postea urbs ab hoste, & a Nicephoro Imp. recepta, refe-

Fuit patria Galerii Maximiani.

post varias vices.

Digitized by Google

refectaque; at rursum amissa Bulgaris paruit usque ad dimidium sæc. XI. Horum regno imminuto, ac pœne everso, Græcorum subiit potestatem; atque crebris bellis lacessita cum Serblorum jugum tulisset uno alterove sæculo, demum in Turcarum incidit servitutem inito circiter sæc. XV., a quibus miserrime premitur, *Triaditza*, Bulgarico inquiunt vocabulo, nunc vulgi sermone nominata.

nunc Turcarum subest imperio.

Christiana fide imbuitur an. Ch. circiter 77.

Auctor vitæ S. Clementis I. laudatus a Farlato tom. I. pag. 256. narrat Clementem S. Petri comitem præter cæteras orbis partes etiam Illyrici provincias lustrasse Evangelium Christi circumferentem; atque urbibus Episcopos dedisse, veluti *Sardicenses* tabulæ fidem faciunt; unde putandum, Christianæ fidei lumen Sardicæ opera Clementis esse exortum; quod penes eundem Farlatum testatur Hesychius, *Sardicensem* in Dacia fundatam Ecclesiam, & conditam, immo aliquo tempore administratum a Clemente Episcopatum; idque, auctore Farlato pag. 257., contigit anno Ch. 77. post abdicatam ab illo Romanam Sedem cum & Mursam in Pannonia, & Singidunensem in Mœsia prima Ecclesias instituit. Et hasce quidem origines prudens nemo in dubium revocat; at illud tuto affirmare licet, & ex Apostolis, & ex eorum discipulis fuisse, qui primi iis in locis Christianam religionem uberrimo cum fructu disseminarunt.

Metropolis erat Daciæ mediterraneæ

Sæculo itaque primo Sardica Christiana erat, & Episcopali honore insignita; sed mirari equidem quis queat, nullos in Ecclesiastica historia reperiri martyres Sardicenses, quos nihilominus fuisse plurimos non ambigo in ea urbe, quæ civilis, & sacra Metropolis habita semper fuit, dum vicinæ regiones Christianorum effuso sanguine redundabant. Qui vero exstiterunt gloriosi fidei pugiles, posterorum memoriæ abstulit injuria temporum. Metropoliticum Sardicæ decus agnoscunt Scriptores omnes, & ab ipso susceptæ religionis exordio, cujus jurisdictio haud latis finibus continebatur. In tomo VII., ubi de Ecclesia Sirmiensi, Salagii viri miræ eruditionis, & æqui in discernendis vetustis Ecclesiarum monumentis judicii sententiam secuti sumus, quæ Sirmiensi Metropolitæ Daciam ripensem, & Mœsiam primam vindicat contra atque disserit in Geographia sacra Carolus a S. Paullo; vide, quæ Salagio duce, ibidem a nobis tractata sunt. Hinc sola Dacia Mediterranea restat, quæ Sardicensi metropoli paruerit, duæque in illa urbes Episcopales Pautalia & Remessiana; Naissus, auctore Lequienio, & Carolo ipso, suberat Scupis in Dardania, quod superius probavimus in Ecclesia Scopiensi, quamvis aliter visum Holstenio, & urbs illa inter Dacienses censebatur. Fortasse alii fuerunt Episcopatus Sardicæ subjecti, quorum nomina oblivione perierint; neque in Thraciam aut secundam Mœsiam, aut Dardaniam jus suum unquam protulere Antistites Sardicenses; iidem vero Justinianæ primæ Primati obtemperare quidem jussi fuerunt a Justiniano Imp., quin tamen metropolitica jura in Daciam amitterent; & S. Gregorius M. monet Felicem Episcopum Sardicensem, ut subsit Joanni primæ Justinianæ Antistiti, veluti qui Primas esset, & vices ageret in iis provinciis Romani Pontificis, uti diserte docet Carolus a S. Paullo.

Primus Sardicæ Episcopus dicitur S. Clemens Pontifex, posteaquam Romanam Sedem dimiserat an. Ch. 77. hæc opinio nec Farlato placet, nec a quopiam probatur. Effingunt alii Clementem unum e 72. Christi discipulis primum huic Ecclesiæ præfuisse, sed nullis suadent argumentis. Propterea ignoramus, quinam Episcopatum Sardicensem gesserint ad initium usque sæc. IV. unde & nos cum Lequienio eorum seriem exordimur.

cujus primi Episcopi ignoti.

Episcopi Sardicenses.

I. Protogenes an. 316.
II. Julianus an. 431.
III. Zosimus an. 457.
IV. Domnio an. 516.
V. Basiliscus an. inc.
VI. Felix an. 595.

PROTOGENES EP. SARDICENSIS I.

Anno 316. huic præerat Ecclesiæ, cum Constantinus legem ad illum scripsit de his qui in Ecclesia manumittuntur, dat. VI. Id. Jan. Sabino & Ruffino Coss. est autem prima Codicis Justinianei; nimirum. *Jamdudum placuit, ut in Ecclesia Catholica libertatem domini suis famulis præstare possint, si sub aspectu plebis, assistentibus Christianorum Antistibus, id faciant; ut propter facti memoriam vice actorum interponatur qualiscumque scriptura, in qua ipsi vice testium signent. Unde a vobis quoque ipsis non immerito dandæ & relinquendæ sunt libertates, quo quisque vestrum pacto voluerit, dummodo vestræ voluntatis evidens appareat testimonium. Dat. VI. Idus Jan., Sabino & Ruffino Coss.* qua lege factum est, ut, quæ in servis manumittendis juris olim civilis erant, deinceps Episcoporum agerentur testimonio, eorumque valerent auctoritate; de ritu manumissionis vide rer. Roman.

Protogenes Ep. Sardic. an. 316.

 Seri-

Digitized by Google

Scriptores. Indicto Nicæno Concilio adversus Arium an. 325. unus & is fuit e tercentis, decem & octo sanctissimis Patribus, qui impium hæreticum, & illius dogmata anathemate confixerunt; & in eorum catalogo nominatur *Provincia Daciæ*, *Protogenes Sardicensis*, in Cod. Labbeano *Europes*, *Protogenes Sardicæ*, & ab Athanasio orat. 1. cont. Arianos, *Protogenes e Dacia*; *Europa* vero, de qua Codex Labbei, appellata olim fuit provincia Thraciæ, cujus regimini utraque Mœsia paruit cum Dacia Aureliani, hinc & Sardica, quam ob rem Protogenes Europæ adscribitur. Gelasius Cyzicenus in hist. Conc. Nicæni cap. XVII. Protogenem virum *admirabilem* appellat, eique ait munus datum a Patribus, ut Fidem Nicænam in plures provincias promulgaret; *Protogenes ille admirabilis Sardicæ civitatis, sanctis Dei Ecclesiis in Dacia, Calauria, Dardania & provinciis vicinis*. Post annos fere duos supra viginti Protogenes, qui Nicænam fidem constantissime in sua provincia tuebatur, & Arianorum subierat odium, novo certamine adversarios compressit in Concilio Sardicæ coacto an. 347., quod Œcumenicæ Synodi obtinet auctoritatem, & quædam veluti appendix censetur Nicæni Concilii. Cum enim Ariani nova in dies impietatis ac seditionum excitarent incendia, eorumque furor in Athanasium vehementius exardesceret, ut e medio tolleretur, S. Pontifex Julius Constantis præcipue Imperatoris ope jussit Episcopos ex Occidente & Oriente Sardicam convenire, quorum auctoritate caussa Athanasii imprimis cognita adversariorum confringeretur audacia, & Ecclesia firmiori pace conquiesceret. Duceuti & octoginta quatuor interfuere Episcopi cum Julii Legatis principe Osio Cordubensi. Urbem & sacrum conventum nobilitarunt viri sanctitate conspicui, Paphnutius ex Ægypto, Spiridion e Cypro, Severus Ravennæ, Maximinus Trevirorum Episcopi, aliique plures cum ipso Athanasio, quo teste Apol. 2. primas tenuere Osius ac Protogenes in gerendis rebus concilii. Interea & Arianæ factionis Antistites Sardicam advenerant dolis fraudibusque armati numero sexaginta, qui citati a Patribus, ut se coram sisterent, veriti Athanasii præsentiam, quem in Concilio esse noverant, clam Philippopolim aufugerunt, & coitione facta novam fidei formulam Nicænæ prorsus contrariam edi voluere; tum non Athanasium solum, sed Julium etiam Pontificem, Osium ejus legatum, aliosque anathemate percelli; postea ementito Concilii Sardicensis nomine Synodicam miserunt epistolam ad Donatum Episcopum Carthaginensem virum a recta fide alienum, & schismatis Donatistarum parentem, a quibus eorum dogmata probarentur & sententiæ. At Sardicenses illorum perfidia nihil commoti Athanasium insontem, omnique culpa vacuum suæ sedi reddendum decreverant cunctis suffragiis; Marcellus etiam Ancyranus, & Asclepas Gazensis Episcopi, quos Ariani e loco pulsos inique damnaverant, in Catholicam communionem recepti suisque Ecclesiis restituti sunt; acta etiam illorum caussa, qui Philippopoli in Concilium conjuraverant eosque anathemati devovere, ex his Gregorium Alexandrinum, Valentem Mursensem, Ursacium Singidunensem antesignanos; Canones quoque sanctissimi promulgati, & appellandi Romani Pontificis jus Episcopis confirmatum, de quo Pagius perstringit Petrum de Marca in Crit. Bar. ad an. 347. demum scitæ de gestis Concilii litteræ ad Julium Pontificem, ad Episcopos universos, & ad Ecclesiam Alexandrinam pro Athanasii ad suam Ecclesiam reditu. Hisce actis subscripsit *Protogenes a Dacia de Sardica*, & epistolæ ad omnes Episcopos *Protogenes Sardicæ* primus post legatos Julii. Cæterum, quæ de Protogene scribunt Ariani in litteris ad Donatum Carthaginensem, satis indicant, qua in Concilio polleret auctoritate, quamque illum execrati sunt ob constantiam in tuenda fide Nicæna; nefarie autem comminiscuntur illius cum Joanne Thessalonicensi probrosam contentionem, quippe hic *multa probra, criminaque Protogeni*, objecisset, *quod diceret illum concubas habuisse & habere, cui communicare nunquam voluit*; & Joannes quidem jam obierat, quem mortuum quasi testem innuunt, eique Ætius successerat in Ecclesia Thessalonicensi, qui Sardicæ Synodo interfuit, subscripsit, & Protogenem ne auspicione quidem maligna est aversatus. Si vero Marcellum Ancyranum non rejecit, imo in Catholicorum admisit communionem, quem, inquiunt, pluries antem damnaverat, non est cur hoc illi in crimen vertant. Marcellus sæpe hæreseos accusatus suam causam egregie defendit apud Julium Pontificem; ambigui tamen animi ac sensus videtur fuisse; quare Epiphanius hær. 72., *a quibusdam*, ait, *lacessitur ex parte tanquam qui Sabellianorum nugas habuerit; quidem vero pro ipso rationem reddiderunt, non sic rem habere, sed recte ipsum vixisse, & recte ipsum quoque scripsisse affirmarunt; quare multa de hoc quæstio fuit, & occulta quidem mentis Deo nota sunt*. Esto igitur; Marcellum subdole egisse in Synodo Sardicensi; num negotium Protogeni ac Patribus faciendum, sub-

Marginal notes: & primas agit in Concilii Sardicensi. — Arianorum in eum calumniæ.

subdit Baronius an. 347. num. 58. si quod impie credidisset occultavit vel post dimissum conventum impie deliravit; equidem nec adscribendum est Nicæno Concilio, cum Arium & Arianos hæresim occultantes & Catholicam fidem profitentes susceperit.

Protogenes grandævus obiit post absolutum Concilium; quo anno ignotum. Huic Lequienius Bonosum suffecit in Episcopis Sardicensibus; sed a nobis Ecclesiæ Naissitanæ tribuitur in provincia Dardaniæ. Quamobrem ad dimidium fere sæc. v. nulli innotescunt Episcopi Sardicenses, quo in lucem prodit.

JULIANUS EP. SARDICENSIS II.

Julianus Ep. Sardicensis an. 431. Qui in Concilio Ephesino Nestorianis turbis sese prave immiscuit adversus S. Cyrillum, & Orientalium Schismaticorum partem secutus est. Ac primum subscripsit epistolæ, qua Nestorii fautores Cyrillum monebant ante præstolandum Joannis Antiocheni cum suis adventum, quam de Nestorio quidquam definiretur; *Julianus* hæreticus Nestorianus, *Episcopus Sardicæ Daciensis subscripsi*; tum alteri Nestorii ad Imperatorem Theodosium post latam in eum damnationis sententiam act. I. Concilii; *Julianus episcopus Sardicensis Metropolitanus subscripsi*. Rursum inito jam Conciliabulo contra gesta Cyrilli *Julianus episcopus Sardicæ Metropolitanus* probavit litteras Joannis Antiocheni ad Hierapolitanos Euphratesiæ de iniqua in Nestorium sententia. *Julianus Episcopus Sardicæ* legitur quoque subscriptus aliis Schismaticorum litteris ad suos qui Constantinopolim missi fuerant pro Nestoriana causa tuenda coram Theodosio. Hæc ex Synodico adversus Tragædiam Irenei. In actis pseudosynodi Ephesinæ edita est & epistola Orientalium Antistitum, qui Constantinopoli negotium Nestorianum agebant, ad Rufum Episcopum Thessalonicensem, ut illum in suas partes attraherent; ibique commemorant scripsisse Rufum Juliano, ne a Nicæna fide se sineret divelli in hac religionis procella, quod inquiunt a Juliano constanter effectum fuisse; jactabant enim dogmate Nestorii minime lædi dogma Nicænum; id porro falsissimum esse convincitur; in duas enim personas Christum dissolvebat impius hæreticus, quem in una Verbi divini persona, seu hypostasi subsistentem, Deum verum, verumque fatentur, & esse docent Patres Nicæni; *ex litteris, quas pietas tua ad Julianum piissimum, sanctissimumque Eridicæ episcopum perscripsit, quid sanctitas tua spectet cognovimus. Monebant enim litteræ piissimum illum episcopum ne fidei, quam beati patres Nicæni exposuerunt, defensionem ulla ratione detrectaret, neve permittat, ut infractis illis verbis reprehensio vel labes aliqua irrepat, ut quæ sola & ad veritatem ostendendam & ad falsitatem revincendam sint satis. Et hæc quidem sanctitas tua recte & pie & juste admonuit, atque is, qui accepit litteras, litterarum consilium secutus est.* Hactenus Orientalium epistola; in qua pro vocabulo *Eridicæ* corrigendum est *Sardicæ*; quamvis Græci Codices nomen præferant Εριδίκης. Julianus in tuendo Nestorio pertinax & anathematis a Concilio, & exilii ab Imperatore pœna multatus misere periit; de quo hæc cap. 90. Synodici laudati. moritur in exilio. *Julianus metropolitanus Sardicensis, qui & ipse se insontem a fraterna* Nestorii *punitione servans ad multa millia periculorum, pervenire meruit*.

ZOSIMUS EP. SARDICENSIS III.

Unus e Mettopolitis, ad quos jussu Leonis Imp. missæ sunt an. 457. litteræ encyclicæ de nece S. Proterii Episcopi Alexandrini, & de flagitiis Timothei Æluri. Zosimus Ep. Sardicensis an. 457. *Zozimo Episcopo Sardicensi*. Synodica illius responsio temporis injuria intercidit, e qua certo nosceremus quot & quæ huic metropoli subjiciebantur Episcopales Ecclesiæ.

DOMNIO EP. SARDICENSIS IV.

Pro Chalcedonensis Synodi defensione Domnio Ep. Sardicensis an. 516. multa gravia perpessus ab Anastasio Imp. Eutychiano, a quo citatus cum aliis Episcopis Constantinopolim venit, ac parum abfuit, quin in exilium pelleretur; sed *ob metum Illyricani catholici militis ad propriam Sedem extemplo remissus est*, inquit Marcellinus in Chron. ad an. 516.

BASILISCUS EP. SARDICENSIS V.

Cum de tribus Capitulis acrior ferveret Basiliscus Ep. Sardicensis an. inc. contentio post Synodum v. Œcumenicam Constantinopoli habitam an. 553., & illorum condemnationem, Illyricæ provinciæ pro iis diu dimicarunt, quamvis & Sedes Romana illius Synodi sententias probasset. Quo tempore Basiliscus Sardicensis metropolita cæteris assensus est Illyricianis Episcopis, & ad obitum usque illorum judicio adhæsit. Id testatur Facundus Hermianensis Capitulorum patronus in lib. contra Mocianum Scholasticum. Hic enim Episcopos, præcipue Aphricanos redarguerat, qui ab Ecclesiæ communione

sejungi maluerunt, quam Capitulorum deserere patrocinium, eosque *in gehennam* dilabi sentiebat. Quare Facundus in Mocianum vehementissime invehitur, ac in libri fine, *cui præjudicio*, oppugnandi scilicet tria Capitula, & Synodo Chalcedonensi injurio, *communicare timuerunt beatæ memoriæ Marianus Doracenus, & Basiliscus Serdicensis Episcopi* &c. *in gehennam eos abiisse dicebat*. Erat exsul Facundus jussu Justiniani Imp. cum hæc scriberet, fortasse ante mortem ejusdem, quæ an. 565. vulgo affigitur; tum vero Basiliscus vita excesserat, quem arbitramur ante hujus controversiæ exortum, vel ea incœpta injisse Episcopatum; vide quæ de rebus Capitulis fuisse disserit Farlatus tom. 2.

FELIX EP. SARDICENSIS VI.

Felix Ep. Sardicensis an. 595.

Anno 595., quem S. Gregorius M. per epistolam monuit, obtemperandum illi esse Joanni primæ Justinianæ Episcopo, & Sedis Romanæ Vicario, si secus ageret, certó sciat canonicis pœnis se fore obnoxium.

Gregorius Felici episcopo Sardicæ

ad eum epistola S. Gregorii M.

Qualiter obedientia, vel sit reverentia præpositis exhibenda, ex tuis quoque subjectis ipse non ambigis. In qua re valde est utile, si id, quod disciplinæ vigor imponit, nullo cogente, humilitas laudanda servaverit. Pervenit itaque ad nos, quod fraternitas tua Joanni fratri nostro primæ Justinianæ episcopo secundum morem parere despiciat, & nec decreto ejus, nec relationi, quam ad nos direxit, juxta consuetudinem voluisse subscribere. Quod si ita est, contristamur, quia superbiæ de te manifestum præbes indicium. Quod quam sit præcipue in sacerdote culpabile, divina clamant admonitionis eloquia. Propterea hortamur, ut mentis tumore deposito ordinatori tuo antedicto fratri & coepiscopo nostro humilem te exhibere, ac parere non desinas; quatenus & Deus gaudeat in fraternitatis vestræ concordia, & alii de te sumant bonitatis exemplum. Nam si quod non credimus, te in superbia permanere contigerit, districtam canonicamque disciplinæ correctionem contumaciæ tuæ nos scito ulciscentes imponere. Bene ergo facis talem te sponte salubri consideratione præbere, qualis esse canonica correctione exigente compelleris. Nam nec tibi denuo post nostram admonitionem licebit ad tuæ voluntatis arbitrium contra morem majoribus tuis inobedientem existere, nec tantæ nos indisciplinationis ecclesiasticam cognoscas dissimulare vel differre vindictam. Indict. XIII. an. nempe 595.

Interrupta series Epp. Sardicensium

Post Felicem nulli Latini dogmatis ac ritus memorantur Episcopi Sardicenses, nisi post restitutam Sophiæ titulo Ecclesiam sæculo XVII. Lequienius, enumeratis Græcis Episcopis, qui Sardicam, seu Sophiam, aut Triaditzam administrarunt, seriem eorum protrahit ad initium sæc. XVIII. hi Schismatici omnes a nobis rejecti. Interea qui status fuerit hujus Ecclesiæ ducentis ferme ante Bulgarorum adventum annis, & ante illatam in hæc loca Photianam labem, nullis constat monumentis; nec habeo quid affirmem.

Certum tamen est schisma Photianum in has regiones late sæc. IX. irrupisse, indictoque Romanæ Ecclesiæ exsecrabili bello, Bulgaros, quorum imperium per Mœsias & Dacias patere cœperat, dolose a Latinis sacris ad Græca Photianorum opera fuisse abductos, uti tom. 3. dictum est pag. 72. & quamvis sæculo XI. Sardica in Romanorum potestatem rediisset, ac a principibus e regia urbe viris Ducis titulo regeretur, quorum unum nominat Curopalates Romanum Diogenem postea Imperatorem, eæ tamen provinciæ schismaticis implexæ factionibus erroribusque maxime abhorrebant a Latinorum dogmatibus. Quare, siqui etiam missi a Romano Pontifice Sardicæ Episcopi, eos Ecclesiæ aditu ac regimine prohibitos a Græcis existimo, Verum non defuit unquam Romanorum Pontificum pastoralis cura erga infectam hanc Christiani ovilis partem; & quamvis monumenta desint rerum vel per finitimos Episcopos vel per Evangelicos operarios gestarum, ut eæ gentes in communionem Romanæ Ecclesiæ reverterentur, nulla tamen dubitandi adest ratio, quin e crebris Pontificum legationibus ad Bulgaros reges & Serblianos, eorumque ad sanam Fidem identidem conversionem aliquid adjumenti in salutem Sardicensis regionis promanaverit, præcipue autem ferventi Reipublicæ Ragusinæ, suorumque civium studio Catholicæ religionis servandæ per ea loca atque tuendæ. Cum enim Serbliam, atque Bulgariam ab antiquo peragrare soleant Ragusini mercaturæ causa, & colonias eo deducere, primi post occupatum a Turcis regnum utrumque duo templa Sophiæ condiderunt alterum Deiparæ Virgini, alterum D. Blasio sacrum; passim vero & sacella exstructa, & sacerdotes constituti, proventus etiam iis alendis, procurati, ubicumque degunt Turcarum patrocinio tuti ac favore. Urbanus Cerrius in sua Instruct. de statu Catholicæ religionis per Orbem &c. quæ commoda illi attulerint

Digitized by Google

riut Ragusini, cum laude enarrat, inprimis Belogradi, Butichii, Silistriæ, Provati, Hadrianopoli, Sophiæ, Præcopiæ, Novibazarii, ubi apud illos cultus divinus publice peragitur, Turcarum concessu; omnesque Catholici intersunt sacris mysteriis; qui eorum ope multis levantur tributis, & Antistitum ac sacerdotum Schismaticorum molestiis.

Præterea plurimum allatum est adjumenti atque solatii Sophiensi Ecclesiæ ab Apostolicis expeditionibus & excursibus, queis Patres Franciscani ab ipso pœne Ordinis exordio ad hæc usque tempora invisere ea loca, ac peragrare, & continuis laboribus, effusoque sæpe sanguine excolere ad catholicæ religionis formam nunquam destiterunt. P. Arturus in martyrologio Franciscano duos celebrat insignes pietate viros, Joannem a Baxtorfio, & alterum ejusdem nominis ac cognominis, qui Daciam diu perlustrarunt, ac uberrimos retulere ex iis populis conversionum fructus ad sanam frugem, & ad vera Christianæ fidei dogmata; alterius memoria XV. Kal. Junias, alterius III. non. Novembres inscribitur in fastis Franciscanis; quo claruerint tempore, non indicat Arturus, de iis silet Waddingus; neque iccirco Arturi fidem oppugnamus, sed dubitare licet propter nominis, cognominisque similitudinem, duo ne revera, an unus tantum idemque sit Joannes, qui bis ab Arturo memoratur; tum quæri potest, de qua Dacia an Aureliani mediterranea, ubi Sardica stetit, an de Dacia Trajani sermo hic sit; quæ Aureliani Bulgariæ partem, quæ Trajani Transylvaniam, Valachiam, Moldaviam complectitur; in utraque Franciscani Cœnobia habuere & exiguas mansiones; sed fatendum, nomine Daciæ vulgo Trajanam indicari a recentioribus, ac præsertim medii ævi Scriptoribus. Atque hic Ecclesiæ hujus status, sane ærumnosus ad sæculum usque XVII. quo reviviscere, & respirare aliquantum visa est, pristinum vero splendorem suæ dignitatis auctoritatisque nunquam recuperavit. Ejus tamen Antistites, quorum interruptam tot sæculis seriem hic persequimur, Sophienses dici cœpere a Sophiæ oppido seu urbe, uti initio exposuimus, quorum hæc series. *sec. XVII. continuatur.*

EPISCOPI SOPHIENSES.

I. Petrus an. 1600.
II. Elias an. 1623.

ARCHIEPISCOPI SOPHIENSES.

I. Petrus II. an. 1642.
II. Paullus an. 1675.
III. Stephanus an. 1677.
IV. Paullus II. an. 1715.
V. Marcus an. 1723.
VI. Nicolaus an. 1743.
VII. Benedictus an. 1753.

VICARII APOSTOLICI SOPHIENSES.

I. Joseph an. 1758.
II. Georgius an. 1767.
III. Paullus an. 1771.
IV. Petrus an. 1777.
V. Nicolaus an. 1796.
VI. Andreas an. 1817.

EPISCOPI SOPHIENSES.

PETRUS EP. SOPHIENSIS.

Cognomine Salinates, natione ac patria Bosnensis, & Ordinis Franciscani alumnus, quem Clemens VIII. primum selegit Episcopum restitutæ Ecclesiæ Sardicensis. *Petrus Ep. Sophiensis an. 1600.* Hunc Pontifex an. 1595. in Bulgariam miserat ad hosce populos Apostolica auctoritate invisendos, ut in Romana sacrorum communione confirmaret, sanisque imbueret doctrinis, devios vero errantesque in rectum religionis tramitem a Græcanico schismate revocaret. Petrus suo munere egregie perfunctus est; ac quinquennio post Romam rediit; Sophienses vero Catholici, quorum benevolentiam affabili dexteritate, & existimationem sibi acquisierat probitate morum, & doctrinæ splendore, statim, ut ipsis Episcopus præficeretur, enixe postularunt. Quare Pontifex nihil occasionem moratus restituendæ nobilissimæ æque ac antiquissimæ Ecclesiæ Petrum Sardicensem seu Sophiense Antistitem renuntiavit an. 1600. utque ejus dignitati simul & indigentiæ satis esset provisum, aureos nummos tercentos eidem pendi jussit quotannis e certis in Hispania ecclesiasticis proventibus. Statum Sophiensis provinciæ ante Petri adventum hisce describit Petrus Adeodatus tertius post hunc Sophiensis Antistes litteris ad Sacr. Congreg. datis anno 1667. *antequam Catholici Episcopum habere cape-*

perunt proprium, magna .... sibi parochos sive saeculares sive regulares procurabant, & decedente, vel recedente aliquo eorum, magno tempore carebant Parocho, vel aliquando inter Catholicos unus tantum reperiebatur. Vix solemnioribus diebus sacrum audiebant. Ubi vero Petrus Sophiam se contulit, *tanquam angelus de cælo lapsus receptus est*, atque Chiprovacii considit, in oppido Catholicorum frequentia olim totius provinciæ nobilissimo. Est autem Chiprovatium vasto & fertili territorio dives, ejusque fructus regio jure pertinent ad matrem Turcici Imperatoris, dum is regnat; quæ incolas peculiari cura fovet, & ab insultibus Turcarum protegit, multisque ornat, ut ipsi supplices expetunt, privilegiis. Catholicorum fere quatuor millia locum incoluere. Petrus ibi prope Ecclesiam ædem sibi exstruxit, & Patribus Franciscanis, quos secum in Bulgariam duxerat, hospitium. Potior Petri cura Episcopalis fuit augendi operarios Evangelicos, quorum ministerio in excolenda diœcesi, & regendis parœciis uteretur; eumque e Clero deessent, qui animarum procurationem iis in loci sane laboriosam, nullisque vitæ commodis lucrisve præditam libenter susciperent, totum onus Bulgaricæ hujus administrationis sui Ordinis Fratribus imposuit. Itaque, ait Adeodatus, cujus verba præstat exscribere, *Copilovatii, & Xeleznæ iisdem religiosis Ecclesias parochiales inhabitandas, & administrandas tradidit. Ad religionem quoque nonnullos juvenes ejusdem loci, & ex convicinis admisit, quos instruebat, & ad sacerdotium suo tempore promovebat; ipsemet Episcopus, dum vixit, Fratres, quos in dies augebat, & alios, quos aliunde advocabat, non modo ut Parochos sed etiam ut Regulares regebat; ipse cum eis in communi vivebat, contributiones parochiales, omnesque alias eleemosinas recipiebat, fratresque subditos alebat, eisque necessaria ministrabat.* Qua quidem animorum concordia, & in commune bonum consensione prorsus singulari res Christiana Sophiensis plurimum profecit; utque erat Petrus Turcis gratiosissimus integritate morum atque suavitate nullum unquam ab iis passus est sui muneria impedimentum, & liberrime per Bulgariam universam, cui Apostolici Vicarii potestate præerat, tum per Hungariam Turcicam, & diœcesim Samandriensem, quæ loca etiam ei regenda commiserat Pontifex, vel ipse crebris excursibus, vel suorum ope Catholicam religionem, ejusque cultum, atque disciplinam mirifice juvit auxitque. Sed erga hæreticos Paulianistas seu Paulicianos, quorum ingens in ea regione numerus, maxime enituit Petri sollicitudo. Hi a Paullo quodam Samosateno Manicheæ mulieris Callinices nomine filio originem traxere; uti ferunt Cedrenus in epitome hist. Balsamon ad Canonem Nicænum XIX. & Matthæus Blastares in Synopsi, a quibus *Pauliciani* rectius appellantur. Manetis impia dogmata omnino secuti, deinde errores professi, de quibus laudato in loco Cedrenus, e Syria in Armeniam hæreticum virus intulere, ubi impia secta viribus increbuit, & diu lateque pervagata est; nam anno 653. nefaria opera cujusdam Constantini alte per ea loca radices egerat, auctore Baronio ad hunc annum; & quamvis an. 685. Justinianus II. Imp. nisu omni Paulicianos ejicii exterminarique jussisset, postea succrevere audacius & ex Asia in Europam irruperunt, cum Constantinus Copronimus Syros & Armenos hac peste infectos in Thraciam evocavit an. 755., teste Teophane. Hic integro pœne sæculo pestifera lues adeo, & in finitimas provincias propagata est, ut Theodora Augusta uxor Michaelis III. Imp. an. 845. non e religione solum, sed e republica etiam esse duxerit huic malo mederi quam citissime; cupiebat quidem pia Imperatrix, leniter primum attrectari morbum, fore sperans, ut hæretici charitate ac bonitate eorum, quibus cura commissa erat, illecti facilius resipiscerent; at hi minis pœnisque, dein suppliciis crudeliter usi millia hominum fere centum e medio sustulerunt; irrito tamen conatu; quippe tanta e cæde superstes hæresis rebellionem adjunctis sibi aliis imperii hostibus molita est, ac annos amplius triginta imperium per eas regiones exagitavit. Armis demum domiti victique quievere quidem a bellicis ac seditiosis tumultibus, sed in hæretica insania obstinatiores nunquam flexerunt animum ad impietatem ejurandam. Anno 870. Bulgariam spectabant, ibi hæresim disseminaturi, uti Petrus Siculus narrat apud Baronium eo anno; sed Episcoporum vigilantia repulsi sunt. Labente autem, ac deleto Constantinopolitano imperio, Pauliciani nihil detrimenti sensere; immo Turcicam Europam liberius pervadentes, eas provinciae, Bulgariam præsertim frequentissimi incolunt, non remisso, quoad fieri possit, sectæ propagandæ studio.

Hos igitur Petrus, qua erat ornatus, humanitate in eorum pagis invisit primum, in suas etiam ædes peramanter excepit; tum paullatim de religione verba miscens in familiari alloquio, ac serena sermones ita sibi eorum animos devinxit, ut libenter attenteque ejus audirent doctrinas & ca-

ejus acta, | præcipue erga hæreticos Paulicianos.

catholicæ fidei dogmata. Permoti demum vi, ac suavitate eloquentiæ Antistitis plurimi, abdicatis ejuratisque erroribus, Romanæ Ecclesiæ, ejusque divinis legibus sese dediderunt; ac Petrus successu lætissimus publici in una e Paulicianis villa sacra mysteria peregit; ingenti cum Catholicorum gaudio, qui multum operæ in rem tanti momenti ferventissime contulerant. Anno 1610, cum Marinus Rizzius Archiepiscopus Antibarensis Pontificii Vicarii nomine ac munere provinciam lustraret, Petrus honoris obsequiique causa Præcopiam ad illum adiit, litterasque obsignavit testes rerum a Petro per ea loca gestarum; quas habes in Ecclesia Antibarensi pag. 118. Tres supra viginti annos Sophiensem Ecclesiam sancte fructuoseque, quam qui maxime, administravit, nullis parcens laboribus, nullis incommodis, nullisque sumptibus, ut omnium utilitati, atque æternæ prospiceret saluti. Demum anno 1623., cum e Bosna Chiprovacium rediret, in itinere extremo morbo correptus e vita decessit.

obiit anno 1623.

ELIAS EPISC. SOPHIENSIS II.

Elias Episc. Sophiensis an. 1623.

Chiprovatii in Bulgaria natus est e nobili familia Marinia. Adolescens liberalibus disciplinis Romæ excultus in Collegio Clementino postea nomen dedit Ordini Franciscano, in quo mirifice eluxit virtute, doctrina, & apostolicis sui Instituti muneribus, dignusque habitus ab Urbano VIII., qui Sophiensem Ecclesiam gubernaret. Eo anno itaque 1623. Episcopalia sumpsit insignia, & Petri vestigia sequens Chiprovacii domicilium fixit, accitisque, unde potuit, novis religiosorum hominum subsidiis, eorum ministerio usus est in procuranda diœcesi ac provincia. His præibat ipse exemplo, quo opus erat, excurrens, potissimum ad Paulianistas, quos peculiari benevolentia complectebatur, ex iisque non paucos ad Catholicam partem adduxit, & nequid a Turcis pateretur incommodi aut impedimenti, effusa pecuniæ largitione eorum sibi patrocinium comparabat. Diu Franciscanis Fratribus præfuit Petrum imitatus; verum, ut liberius suo muneri vacaret, præfecturam dimisit; &, cum numero excrevissent plurimum, auctor fuit, ut in duas provincias, *Custodias* appellant, Bulgariæ alteram, alteram Valachiæ sejungerentur. Facti narrationem ex laudatis Petri Adeodati Archiepisc. litteris hic subjicio. *Hic consensu populi fecit erigere Custodiam Bulgariæ & Valachiæ sub Urbano VIII. piæ memoriæ; & an.* 1625. *&* 1626. *primum creat Custodem, & Officiales juxta eorum regulam & constitutiones; & usque ad hoc tempus prædicti Episcopi*, Petrus scilicet & Elias, *regebant religiosos, atque ad habitum & professionem admittebant; contributiones, & omnes eleemosinas parochialium Ecclesiarum recipiebant, victumque & vestitum regularibus providebant, ut dictum est; & post aliquos annos erectionis Custodiæ Episcopus renuntiavit omnia in manibus prædictorum Fratrum, nihil sibi ex Parochialibus reservans præter mensam communem, quam cum eis in Monasterio habebat; resignationemque in scriptis prædictis Religiosis dedit; quæ litteris Cyrillianis fuit scripta, & postea Italice translata, cujus tenor talis est;* nos latinas exhibemus.

qua ab eo gesta.

Ejus litteræ ad Patres Franciscanos.

F. Elias Marinius divina & S. Sedis Apostolicæ gratia Episcopus Sophiensis & Protector omnium Fratrum Observ. Bulgariæ, & Quæsitor S. Officii in Bulgaria & Valachia omnibus filiis nostris in Christo Fratribus Observ. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Cum nostra, & hujus populi Christiani voluntate statuerimus, vobis liberam permittere vestri regiminis curam, & eleemosynas, piasque largitiones accipiendi potestatem, tum Fratres huc illuc ablegandi, ut vestri nostrique Ordinis poscit utilitas, Pater ego vester, & Christianorum, quibus fausta omnia ad commune decus precamur, in vos quidquid nostri erat juris transferimus, vobisque fideique vestræ quæcumque tradimus nostræ administrationi commissa. In posterum nullum nobis de iis negotium esto; procuret omnia Custos vester; quantum vero ad nos attinet, non deero in re ulla commodis vestris pro Divino augendo honore; vestrique muneris sit nos Patrem vestrum colere, & victui cultuique necessaria nobis tribuere. Dei, Deiparæ Virginis & S. Francisci adsit vobis favor & gratia, vestrisque ad Deum precibus nos commendamus. Dat. Chiprovacii XII. Kal. Augusti an. 1630.

Fr. Elias Marinius Ep. Sophiensis.

Anno 1635. scholam instituit Chiprovatii in Franciscano Cœnobio juventuti Christianis legibus, & humanis litteris imbuendæ, cui præerat sacerdos Ecclesiæ Cathedralis; ac fere triennio post summa jam senectute ac laboribus pœne confectus Adjutorem sibi postulavit ab Urbano VIII. Fr. Petrum Adeodatum Bulgaricæ Franciscanæ provinciæ Præsidem, & Episcopum titulo Callipolitanum, qui postea in ejus Sedem succederet. Quatuor ferme annos Elias vita superfuit, Divinis rebus, animæque saluti unice vacans, atque an. 1642. piissimam mortem oblivit.

& obitus

AR-

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPI SOPHIENSES.

PETRUS II. ARCHIEPISCOPUS SOPHIENSIS I.

Petrus II. Archiepisc. Sophien. an. 1642.

NAtione Bulgarus, Chiprovatii infimo genere ortus, e familia Adeodata, ac vitæ instituto Franciscanus in locum Eliæ, cui, uti diximus, adjutor fuerat, dimisso titulo Episcopi Callipolitani, paucis post diebus quam obierat, Sophiensem Ecclesiam regendam suscepit, lato jam Urbani VIII. concessu; quæ Petrus ipse affirmat in suis ad Sacr. Congreg. litteris an. 1663. & 1667. sibique a Pontifice annuam pensionem attributam ait nummûm ex argento bis centum. Itaque ad lustrandam primum diœcesim animum appulit, eamque præsens adivit nullis detentus incommodis, tum Synodum coegit, qua pie prudenterque sui gregis saluti remedia provisa & præsidia. Anno 1643. Romam profectus est, &, quæ gesserat, Pontifici coram exposuit, ejusque retulit approbationem. Cum vero Petrus metropoliticum Sardicensis Ecclesiæ decus, & Archiepiscopalem dignitatem atque jurisdictionem renovari in Sophiensi cuperet, Pontifex Urbanus, quo majus Catholicæ religioni accederet ornamentum, majorque auctoritas muneri Episcopali in ea provincia, ubi Græcus Archiepiscopus magna suis potestate præest, ultro assensus est, & Petrum Archiepiscopum Sophiensem esse edixit, & Pallii ornatum insigni in Bulgariam alacriorem ad rem Christianam utilius gerendam remisit, injuncta etiam Ecclesiæ Semandriensis cura. Quæ Episcopales Ecclesiæ Sophiensi Metropolitæ attributæ fuerint, nulla Sacr. Congreg. monumenta produnt; existimo autem Petrum hoc honore auctum fuisse, ut latius liberiusque Archiepiscopali uteretur potestate, si quando opus esset, etiam in finitimas provincias ad Pontificis mandata; veteris tandem Sardicensis metropolis jurisdictio in Dacicas Ecclesias diu jam antiquatas, de quibus suo loco agemus, ei videtur reservata, si forte contingeret, ut, excusso Turcicæ servitutis jugo, Sardicensis provincia pristinum splendorem, & Christianam libertatem recuperaret. Id intelligi facile potest ex litteris compositionis inter Sophiensem Archiepiscopum & Marcianopolitanum, quas mox subjicio. Ante siquidem an. 1643. cum Marcus Bandinus electus fuisset ab Urbano VIII. Archiepiscopus Marcianopolitanus, eidem tradita fuit & administratio metropoleon quarumdam, quæ suo carebant Antistite, cum Ecclesiis iisdem subjectis, jussusque est Bachoviæ sedem figere, collata illi potestate Vicarii Apostolici; Petrus vero Daciæ ripensis, quam Bulgaria inferior complectitur, & Thraciæ, quæ Romania dicitur, Ecclesias procurandas susceperat Pontificis jussu. Hinc orta inter utramque de finibus jurisdictionis contentio; Marcus enim Tomos usque & in parvam Scythiam, quæ Thraciæ adhæret, tum per Valachiam & Moldaviam, quæ Bulgariæ inferiori finitimæ sunt, Pontificalia munera protendebat.

diœcesim & provinciam lustrat

fit Archiepiscopus Sophiensis.

ejus contentio de finibus adversus Archiepiscopum Marcianop. composita,

Delata itaque ad Cardinales Sacr. Congreg. Præsides controversia est, qui ob perspectam utriusque Archiepiscopi probitatem atque prudentiam iisdem liberam fecere componendi discriminis potestatem; ac re mature, & æquo jure perpensa, hisce demum in unam sententiam conventum.

Archiepiscopus Sardicæ, quæ Sophia appellatur suam sibi Ecclesiam habeat, cæterasque huic subjectas cum Thraciæ, Daciæ ripensis & Valachiæ administratione. Marcianopolitanus vero Antistes suam & is Ecclesiam cum aliis, quæ eidem subsunt, tum Tomitanam provinciam Marcianopolitanæ confinem & Moldaviam teneat, ubi libere ei liceat commorari. Dacia ripensis ab jurisdictione Marcianopolitani Archiepiscopi, interjecto medio flumine Ischario, quod prope Nicopolim in Danubium influit, Sardicensis & Thracica provincia Hæmimontis interpositu sejunctæ sint; Moldaviam autem a Valachia Seretus amnis dividat. Pacifici hujus conventus testes hasce litteras damus manu nostra, notrisque sigillis obsignatas. Chiprovatii in Cœnobio Deiparæ Virginis in cælum Assumptæ die VI. Februarii an. 1644.

Fr. Petrus Deodatus Archiep. Sardicensis m. p.

Fr. Marcus Bandinus Electus Marcianopolitanus m. p.

Anno tamen 1618. Achridanus Antistes perturbare quidem Dacicam Petri administrationem molitus est; sed frustra. Ut vero regiminis adeo ampli molem facilius posset sustinere, Alexander VII. liberrimam illi potestatem impertiit an. 1660. eligendi, quos idoneos nosceret, parochos e Franciscanis Patribus, qui etiam vicario munere pro Episcopis fungerentur, eoque ipso anno jussus est a Pontifice componere dissidia nescio quæ inter illos suborta, adscitis in judicium Scopiensi & Achridano Archiepiscopo.

Cum Paulianistarum, qui Catholicæ Ecclesiæ nomen dabant, ingens in dies numerus augeretur, ac plerique longius abessent, quam Petrus vigilem, sedulamque eo-

Digitized by Google

eorum curam gerere posset, hanc provinciam sui Ordinis Fratribus commendavit, præsertim remotioribus in locis Sagoviæ & Bobrucicæ. Ipse vero in reliquas suæ diœcesis aliarumque regionum partes, quæ ei concreditæ fuerant, omnem cogitationem convertit, nihilque ab eo unquam prætermissum, quod religionis amplificatio, divini cultus decus, morum disciplina, animarum salus exposcerent; quamvis pluribus ærumnis exagitatus aut Turcarum crudelitate, aut Schismaticorum perfidia sæpe carcerem tulerit, & supellectilis direptionem; nec se suaque, nisi multa pecunia, redimendi data libertas. Alacri tamen ferventique animo Valachiæ & Thraciæ Apostolicam lustrationem suscepit perfecitque; ac de rebus a se gestis earumque Ecclesiarum statu commonuit Sacram Congregationem litteris jam laudatis anni 1663. & 1667. ex quibus nonnulla excerpere, & hic libet describere, quæ rem Christianam hujus Ecclesiæ illustrant. Ac in priori epistola, cum de Sardicensis Ecclesiæ antiquitate plura scripsisset, ejusque per Pontificem Urbanum VIII. in pristinum statum uti tempora sinunt, restitutione, *posterioribus temporibus*, inquit, urbs *mutavit nomen a templo nomine Sophiæ nuncupato, quod in ea exstruxit Justinianus in honorem D. Sapientiæ. Hanc civitatem inter alias Bulgari funditus everterunt, templum duntaxat integrum relinquentes, circa quod postea oppidum amplum & commodum tam incolis, quam peregrinis extructum est. Vestigia antiqua & rudera murorum hinc inde multis in locis apparent. Litteræ quoque latinæ in marmoribus & columnis confractis conspiciuntur; quas quis legere audet? Metropolitanum hujus civitatis templum in Mesquitam Turcæ converterunt, sicut & alias sacras ædes. Sophiæ modo nil catholicum, nisi parvam capellam; habent Schismatici duas ecclesias, ubi eorum metropolita, & alii Sacerdotes divina absolvunt. Sophiæ sunt mercatores Ragusei, habentque parochum apud parvam capellam Purificatæ Virgini dicatam, quam ægre Archiepiscopus visitat; hic nec residentiam, nec ullos proventus habet.* In altera vero hæc narrat; *duo millia fere Catholicorum multa ferventum pietate degunt Chiprovatii. Divinæ liturgiæ ritus latinus est; in qua tamen Epistola & Evangelium lingua Slavonica leguntur. In templo Cathedrali imago Mariæ Virginis in cælum assumptæ insigni colitur veneratione, frequentissimo populi concursu, qui ejus opem publicis etiam supplicationibus, largisque cereorum luminum muneribus sæpe deposcit. Ecclesia hæc habet aliqua bona stabilia, molendinos scilicet, prata, vineas, hortum, ac in platea aliquot officinas partim a benefactoribus donata, partim vero ab ipsis meis religiosis acquisitu. Parochialia vero ipsimet Regulares de Observantia Custodiæ Bulgariæ administrant, & Archiepiscopo in functionibus Pontificalibus adsistunt; nullum enim habet Archiepiscopus Clerum sæcularem, nisi Minoritas de Observantia. Templi Chiprovatiani, quod his diebus corruit, nulla extat memoria, quo tempore fuerit ædificatum. Traditum tamen est, hic olim Romani ritus Catholicos extitisse. Multi hic commorantur Ragusini mercatores. Vulgo Epirotica lingua utuntur omnes. Est Chiprovatii pars oppidi, seu regio, quæ etiam hodie appellatur regio Saxonum, & in privilegiis Turcicis, præcipue in privilegio pro reparatione portici Ecclesiæ concesso, conceditur Saxonibus renovare partem templi a vento dejectam; unde argumentatur, hos Catholicos penetrasse in has partes propter fodinas auri & argenti ex illis Saxonibus, quos olim Carolus M. in Transylvaniam venire fecerat, ex quibus multi in Valachiam & Moldaviam intravere, quorum reliquiæ hic reperiuntur, ut supra dictum est. Reliquum Bulgariæ Schismaticis plenum est, habentque in maximo numero Metropolitas, Episcopos, Archimandritas, monachos presbyteros, ex quorum moribus nihil nisi pessimum audiunt. Unde compertum habetur, Catholicos, de quibus est sermo, non esse ex illa generatione, differunt enim nostri ab eis non religione tantum, verum etiam moribus, habitu & dialecto.*

& litteræ ad Sacr. Congreg. de statu Ecclesiæ Sophiensis.

Ecclesia hæc, quæ prostrata jacet, in hisce partibus est matrix omnium Ecclesiarum, quæ per Bulgariam reperiuntur, est cardo, super quem volvitur universa moles fidelium. Si hæc scintilla Fidei catholicæ deficeret, quod absit, procul dubio deficeret ubique in locis adjacentibus, quorum caput in illa residet & conservatur. In oppido Copilovaz exstat ecclesia parochialis SS. Ap. Petri & Paulli satis ampla, lapidea, concamerata, depicta more græco partim, partim dealbata; habet alia altaria præter summum Apostolorum, videlicet S. Michaelis, S. Stephani Protomartyris, Francisci ab Assisio, Antonii de Padua, ubi asservatur Fons baptismalis, & venerabile Sacramentum in decenti tabernaculo. Sacramenta administrant Minoritæ, docent litteras pueros, Christianam doctrinam publice. Abundat sacra suppellex; animæ Catholicorum plus minus 1600. Schismatici paucissimi hoc in loco, ipsique advenæ & sine sacerdote. Ecclesia habet immobilia a fidelibus legata, prata, vineas.

Xelezna est alia parochialis S. Antonii Ab., supellex non ita copiosa; penes hanc hospitium Fratrum Minorum de Observantia, habet ecclesia unum molendinum, aliquot prata, nonnullas vineas & hortum a Fidelibus relicta. Templum minatur ruinam. Animæ Catholicorum ultra 400. *sunt fere omnes venatores.*

Ecclesia parochialis S. Michaelis in pago Klisuræ. Apud eandem Minoritæ eleemosynis ædificarunt hospitium. Est parva, sed sufficit populo; non asservatur sacramentum, ut in aliis, ob inopiam incolarum; supellex modica & vulgaris. Archiepiscopus præsens eam visitavit; non fuit opus Sacramentum chrismatis hic conferre. Hæc Ecclesia non habet quidquam præter hortulum, & vineam parvam. Catholici non excedunt 140.

Monasteria monachorum, seu monialium nulla apud Catholicos; quia nec clausuram Turca pateretur. Apud Schismaticos reperiuntur moniales, sed raro; & illæ, quæ aliquando juventutem mundo consecrarunt, deinde senectutem consecrant Deo; nulla earum scit legere, neque preces horarias recitare, nisi globulos vertere, & Kyrie eleison proferre. Solæ, vel in propriis domibus habitant; per Valachiam habent in aliquibus locis hospitia, & habitant duæ vel tres simul; tota tamen die videntur cursitare hinc inde per vicos & plateas, nec pudet illas aliquando in publicas tabernas intrare, & bibere cum nebulonibus.

Et quod ad Saxones attinet, quos hic Petrus commemorat, videntur ii huc e Transylvania migrasse, quo tamen tempore, & quam ob causam scitu est difficile. Certum vero comperio, hanc gentem a Carolo M. domitam atque devictam in varias deinde provincias ejus jussu dispersam fuisse, atque amandatam, ne, quod sæpe fuerat expertus, novis coitionibus rebellaret; & partem magnam abegit in Daciam Trajani, ubi agrorum, qui colonia deserti erant, cultura sibi victam compararent. Bonbardius in Topographia Hungarica eum Daciæ tractum, quæ nunc Transylvania dicitur, in Transylvaniam Siculam dividit, & Saxonicam; in hac Cibinium primaria civitas, in qua Præsides & Judices Saxonicæ nationis *annue ad D. Catharinæ sacrum diem popularium lites dirempturi in unum coeunt*. Nonnullorum opinio est, Saxones, qui in Pannonia essent, a Geysa II. Hungariæ rege in Transylvaniam fuisse invectos, ut bellicosa gens Tartarorum impetus ab Hungaria arceret atque repelleret; hinc nobiliora ab illis oppida tenentur, & deductæ in Valachiam coloniæ; in Ecclesia Campolongi hæc legebatur olim sepulchralis epigraphe.

Hic requiescit in pace Generosus Dominus Johannes P.... hujus Saxonicalis Ecclesiæ Custos qui obiit MCCCLXXIII.

Quæ paucis attigimus, ne mirum cuipiam videatur in Bulgaria quoque Saxonum coloniam hactenus stetisse.

Per hæc tempora Meletius quidam Triadítzæ seu Sophiæ Archiepiscopus Græcus, cum a Byzantina Sede, quam petebat, fuisset rejectus, Romam venit benigne ab Urbano VIII. exceptus, & ejurato Schismate Catholicæ communioni sese adjunxit, teste Leone Allatio lib. 3. de consens. Eccl. utriusque cap. XI. num. 7. Huc etiam pertinet, quod in nostris schedis deprehendi, Archiepiscopum Achridanum ritus Græcanici male habitum a Turcis profugisse Chiprovacium an. 1666. ubi ut ne sisteret, tum Petrus, tum Sacra Congregatio plurimum sategit, cum aut ejus præsentia rei Catholicæ aliquid detrimenti afferre, aut a Turcis periculum ob receptum sibi invisum hominem posset impendere. Constitit tamen Præsidum permissu, invitis tamen Patribus Franciscanis; & forte is est Meletius, quem inter Achridanos Antistites commemorat Lequienius tom. 2.

Petrus non ultra an. circ. 1670. Archiepiscopatum & vitam protraxisse videtur, cum duos annos supra viginti Ecclesiam Sardicensem optime rexisset, dignus profecto, qui apud posteros multa rerum ab eo gestarum commendatione memoretur. obit anno circ. 1670

PAULLUS ARCHIPISCOPUS SOPHIENSIS II.

Hunc cognomento Cojescichium habeo ex Viridario Seraphico, Seraphici eundem idest Franciscani Instituti alumnum. Præerat huic Ecclesiæ Chiprovatii an. 1675., sed biennio post seu morte seu voluntaria abdicatione illam dimisit. Paullus Archiepiscop. Sophiensis anno circ. 1675.

STEPHANUS ARCHIEPISCOPUS SOPHIENSIS III.

Quem in nostris schedis modo Cnezerih cognominatum, modo Cuezrvichium, quandoque de Comitopulis, vulgo de Comitibus reperio. In Franciscanum Ordinem adscitus post probatissima virtutis, doctrinæ & Apostolicæ vitæ experimenta ad hanc Sedem evectus est ab Innocentio XI. idibus Aprilis anni 1677. Sed difficillima illi tempora obtigere, & periculis plena, atque angustiis, fervente jam Hungarorum adversus Leopoldum I. Imp. bello, quos Tur- Stephanus Archiepisc. Sophiensis an. 1677.

Digitized by Google

Turca ingenti armorum vi acrius in ejus perniciem fovebat; cumque Turcicis copiis provincia Sophiensis esset infesta, vix Stephano tuto esse licuit, parumque illi concessum Catholici gregis utilitati ac saluti prospicere. Anno autem circ. 1688. res accidit, quæ Christianæ in Bulgaria religioni ingens attulit detrimentum, ac summum fere exitium; nam, cum Cæsariani pars exercitus Tekelium rebellantium Hungarorum Ducem Bulgariam versus insequeretur, Catholici, qui per ea loca degebant, in primis Chiprovatienses clam consilio, & collecta militum manu Cæsarianis opem tulere, ut ex insidiis hostis interciperetur. Verum detecta a Turcis improvida molitione, sævitum illico in omnes etiam innocuos, deleti funditus pagi, incensa templa, Chiprovatium flammis absumptum est; qui cædi superfuerunt, ejecti, extorres alio profugere præsertim in Transylvaniam, quo & Stephanus Archiepiscopus, pluresque e Franciscanis, vix vita incolumi, sese recipere coacti sunt. Doluit vehementer Stephanus tantam suorum calamitatem, & religionis per Bulgariam interitum pœne universum; ac mœrore demum confectus Cibini, quæ urbs est Transylvaniæ ad fluvium cognominem, piissime obiit post an. 1691. & ante sæculi XVIII. exordium. In viridario Seraphico Daniel quidam Aretinus dicitur Sophiensis Antistes post Stephanum; sed abest is a catalogo Sacræ Congregationis; neque verisimile est, rebus Bulgaricis nondum quietis, quidquam de novo creando Archiepiscopo cogitatum fuisse. Fortasse Daniel unus fuit, qui aliqua præditus a Romano Pontifice auctoritate Catholicorum tenues reliquias, quoad fieri poterat, piis, ac necessariis adjumentis curavit ad an. 1707., quo electus est IV. Kal. Decembris

Ecclesiæ Sophien. clades,

& Stephani obitus.

PAULLUS II. ARCHIEPISCOPUS SOPHIENSIS IV.

Paullus II. Archiep. Sophiensis an. 1707.

E familia Iosichia, apostolica laude præclarus, & in ferenda Turcarum sævitie animo invictissimus. Mitigata aliquantum barbarorum feritate, res Christiana respirare visa est; Catholicis ad sua redire permissum, qui hoc tempore quattuor fere mille numerati sunt per territorium Chiprovatiense; Chiprovatii etiam princeps templum restitutum, Franciscanis id enixe petentibus, & favore reginæ matris Turcici imperatoris, cujus regio victui attribui solent annuatim Chiprovatiensia tributa, illiusque agri redditus sane copiosi; ipsa vero incolis & patrocinium impertit, & opem adversus insolescentium Turcarum molestias atque insultus. Verum Paullus Chiprovatium nunquam adiisse videtur, & an. 1715. Pontificii legati munere in Valachiam & Transylvaniam profectus est, duplici diplomate a Clemente XI. instructus, altero, quo potestas ei collata invisendi Apostolica auctoritate Cœnobia & Parœcias Franciscanorum, quod ii tamen abnuerunt, altero, quo eidem mandatum, ut Archiepiscopale officium per eas regiones libere exerceret, omnemque curam ac sollicitudinem in animarum salutem impenderet. Medio circiter Quadragesimæ tempore Bucarestum venit principem Valachiæ urbem, & summo honore, ac incredibili lætitia exceptus est a Catholicis; Stephanus ipse Cantacuzenus regionis Dynasta Paullum perhonorifice habuit, iisque, quæ victui necessaria erant, large donavit. In hebdomade sancta Chrismatis consecratio peracta est solemni apparatu, eoque plurimi inuncti festis Paschatis diebus; hoc enim Sacramento diutissime caruerant eæ gentes. Bucaresto digressus per alia loca impigre, fortiterque suam legationem obivit; nec dictu facile est, quam lætos atque uberes fructus inde retulerit, amplificato catholicæ religionis cultu, ac restituta, auctaque morum disciplina. Post triennium vero, quod illi otiosum non fuit, neque curis vacuum pro suæ Ecclesiæ utilitate, supremo morbo extinctus est an. 1719. quem longiori vita superstitem boni omnes optaverant.

et Legatus Apostolicus in Valachia ac Transilvania.

MARCUS ARCHIEPISCOPUS SOPHIENSIS V.

Ex honesta familia Andriascia natus, es post excultam litteris scientiisque primam ætatem, pluraque ordinis sacerdotalis munera cum laude expleta Nicopolitanæ Ecclesiæ in Bulgaria Episcopus creatus est sub metropolita Marcianopolitano, Cum vero Sophiensis provincia fere quadriennium suo Archiepiscopo caruisset, Marcus ad eam regendam, dimissa sede Nicopolitana, migrare jussus est a Benedicto XIII. anno 1723. XIII. Kal. Januarias. Viginti prope annos huic præfuit Ecclesiæ haud quieto regimine; etenim plura a Græcis mala & gravia tum ipse, tum Latini sacerdotes diu sunt perpessi, nulla tamen de illius gestis, deque obitu nobis innotescunt monumenta.

Marcus Archiep. Sophien. anno 1723.

NICOLAUS ARCHIEPISCOPUS SOPHIENSIS VI.

Nicolaus Archiep. Sophien. an. 1740.

De quo nihil habeo, quod proferam, præter familiæ Radovanæ cognomen, ex

Digitized by Google

qua in Epiro seu Albania ortus est, & tempus, quo præesse cœpit IX. Kal. Octobris an. 1743. Post decem fere annos ejus in locum suffectus est

BENEDICTUS ARCHIEP. SOPHIENSIS VII. ET POSTREMUS.

Benedictus Archiepisc. Sophiensis an. 1753. Patria Ragusinus, nobili Zuzzeriorum genere natus, quem virtus & doctrina ad hanc Sedem extulit an. 1753. XIX. Kal. Februarias. Cum Sophienses Archiepiscopi post Chiprovatii calamitates domicilium jam Philippopoli in Thracia quæsivissent, unde non adeo foret incommodum diœcesis bono, ac defensioni prospicere, Benedictus in eadem urbe plerumque ad tres annos commoratus est, sedulo provinciæ regendæ advigilans, eamque quandoque invisens; hinc an. 1755. VI. id. Martii litteras scripsit ad Sacram Congregationem, quibus miserrimum Ecclesiæ Sophiensis statum exponit ob sacerdotum defectum, adeo ut Catholici in exitiali rerum divinarum ignoratione versentur, nec vel prima noscant religionis dogmata, nec morum ac disciplinæ præcepta; de se vero testatur, sibi quotidianum ferme imminere periculum, cum Turcico diplomate careat, quo libere ac tuto queat vel Sophiæ vel Philippopoli consistere; id si odorentur Schismatici in Latinorum perniciem vigilantissimi, de Sophiensi Ecclesia omnino actum esse. Tum iisdem litteris petiit, ut sibi liceret Adrianopolim secedere, ibique, ut in aliena diœcesi, Pontificales, siquando opus esset, functiones obire, & sacri Chrismatis tribuere Catholicis sacramentum. Annuit Pontifex; verum brevis admodum Adrianopolitana Benedicti commoratio fuit; auctis in illum Schismaticorum inquisitionibus, sibi metuens Smyrnam primum, inde Ragusium profectus est; ubi cum esset, actorum suorum rationem per litteras ostendit sacræ Congregationi. Probavit illa Benedicti sensa, monuitque etiam satius fore, si suam Ecclesiam voluntaria abdicatione dimitteret, ut de servanda religione in provincia Sophiensi magis opportunum, magisque salubre consilium caperetur. Itaque an. 1758. sponte, conceptaque juris formula Sophiensem Archiepiscopatum deposuit. Hic series horum Antistitum desinit, & antiquissimæ ac nobilissimæ Sardicensis, postea Sophiensis Ecclesiæ dignitas, quæ ne prorsus rueret, electi deinde fuere a Romano Pontifice Vicarii Apostolici Sophienses, quibus ecclesiastica illius regionis procuratio, & necessaria animarum commodo, ac incolumitati jurisdictio hactenus mandatur. Horum nomina hic subjicio.

(Margin notes: post varias vices; hanc Ecclesiam dimittit.)

VICARII APOSTOLICI SOPHIENSIS.

ANno 1758. III. idus Decembris electus est Joseph Roveranius Baptistinus; ac per hæc fere tempora, vel paullo ante duo in hac diœcesi Operarii Evangelici Michael Dobromirius, & Nicolaus Andreascius Marci Archiepiscopi, uti ferunt, nepos, uterque sacerdos, Nicolaus vero Vicarius generalis, a Turcis comprehensi ob invictam in Fide constantiam capite plexi sunt Adrianopoli; & corpora in flumen projecta reperire nusquam potuere Catholici, præter minimum, nescio quo casu, Michaelis digitum; hæc testibus juratis ac rite probata Romæ servantur in tabulis descripta penes Sacram Congregationem de Propag. Fide. Anno vero 1766. Schismatici Episcopi, diplomate freti Imperatoris Turcæ, ausi sunt in Catholicos jurisdictionem protendere; hinc Latini presbyteri vel pulsi, vel detrusi in carcerem omnes; nec preces valuerunt ullæ, ut regia jussa revocarentur. Demum post tres menses sapientum virorum consilio & opera libertas Catholicis & quies reddita est.

Anno 1767. pridie Kal. Majas Georgius Radovanus Episcopus Alexiensis. Hoc Vicario exortum a Russis in Turcas bellum, tum Itali sacerdotes & Evangelii præcones, ne in suspicionem venirent moliendæ rebellionis, e provincia discessere, quo res Christiana, & Catholici indigenæ nihil detrimenti caperent. Idem Georgius clam, & multis septus difficultatibus suum munus vix potuit obire ad an. 1771. quo ab Alexiensi ad Scodrensem Ecclesiam transivit.

An. 1771. prid. Kal. Augusti Paullus Dovaulia.

An. 1777. III. non. Octobris Petrus Fabri.

An. 1796. III. Kal. Majas Nicolaus Zilve.

An. 1817. prid. non. Junias Andreas Tunus.

EPI-

Digitized by Google

EPISCOPI PAUTALIOTÆ.

PAntalia urbs olim Daciæ apud Hieroclem, prope a Thracia dissita, & ad ejus introitum ut habet Malchus in Excerpt. Legat. cujus regio Pætalia a Stephano dicta in lib. de urbibus, & Thraciæ attributæ; Thraciam vero intellige, qua late Hæmimontem, Mœsiam inferiorem, aliasque provincias complectebatur, de quibus in Notitia dignitatum imperii utriusque, eatque Daciæ mediterraneæ confinis. Sed nomen in Hierocle, Stephano, & Procopio lib. 4 de ædif. cap. 1. & Malcho laudato corrigendum recte censent Holstenius ad Geograph. Caroli a S. Paulo, & Vesselingius ad Hieroclem, scribendumque Pantaliam, quod præferunt veteres nummi *Ulpia Pautalia*, & in tabula Pentingeriana *Peutalia* legitur. De hac urbe nihil memoria dignum produnt Scriptores; Sardica aberat m. p. XXVIII., ejusque muros pœne dirutos refecit Justinianus Imp. teste Procopio. Dignitate tamen Episcopali ornata fuit; & metropoli Sardicensi subjecta, uti Lequienius putat, tom. 2. Orient. Christ. a Carolo vero a S. Paulo Metropolitæ Dardanorum tribuitur. Verisimilior Lequienii opinio; nam & a Hierocle ponitur in civili provincia Sardicensi. Verum suorum Antistitum nomina & acta penitus interciderunt, uno dempto, nimirum

EVANGELUS EP. PAUTALIOTA
UNICUS.

Floruit sub initio sæc. VI. pietate clarus, & catholicæ religionis defensor constantissimus adversus hæreticum Imper. Anastasium, a quo jussus est, Constantinopoli sisti, eo consilio, ut invictam Evangeli fortitudinem exsilio, vel carcere, aut etiam morte mulctaret. Sed veritus Anastasius, ne Illyrici milites, qui Pantaliæ castra habebant, suumque Episcopum summo honore prosequebantur fidei ortodoxæ addictissimi seditionem facerent, Evangelum Pantaliam remisit; hæc ex Marcellino in Chron. ad an. 516. *Laurentium Lychnidensem, Domnionem Sardicensem .... Evangelum Pautaliensem suis Anastasius præsentari jussit obtutibus.... Domnione & Evangelo ad sedes proprias ob metum Illyriciani Catholici militis extemplo remissis.*

EPISCOPI REMESSIANENSES.

Remessianæ urbis positio.

IN Dacia Aureliani mediterranea Remessiana urbs inter Naissum & Sardicam ponitur ab antiquis Scriptoribus, *Remisiana* ab Antonino, *Rumisiana* a Procopio, *Romatiana*, *Romansiana*, & *Romessiana* vulgo a Latinis appellata. Auctor itiner. Hierosolym. non urbis, sed *Mansionis* nomine eam distinguit, quo vocabulo loca significantur amplis instructa ædificiis, ubi, qui publico cursu iter agebant, commode possent consistere; falluntur vero & Baronius, qui Romatianam cum Aquileja permiscet in martyrol. ad diem Julii 22. de quo disserendum inferius in S. Niceta Episcopo Remessianensi, & Ortelius, cum Romatianam eamdem esse autumat ac portum Romatinum in Venetorum ditione. Ab urbe nomen regioni inditum, quam Procopius *regionem Remesianensium* vocat lib. 4. de ædif. cap. 4. ubi plura castella ab Imp. Justiniano exstructa fuisse memorat, & cap. 1. Remessianam ipsam denuo ædificatam, quippe quæ diruta crebris barbarorum in ea loca excursibus; nunc *Piros* dici nonnulli putant, quod exiguum oppidum ad fines Bulgariæ in occidentem solem. Nihil tamen celebre de Remessianensibus veteres prodidere; certum est urbem Episcopatus honore fuisse præditam, & æque incertum, quo tempore illum fuerit adepta; cujus siqui fuere Episcopi ante IV. æræ Christianæ sæculum, omnino ignorantur. Duo solummodo in historia Ecclesiastica supersunt Antistites Remessianenses, alter hoc sæculo IV., alter sæculo V., e quibus

S. NICETAS EP. REMESSIANENSIS I.

Hujus sanctissimi Episcopi, & apostolici viri acta servata debemus S. Paullino Episcopo Nolano, quocum fuit hospitio, & amicitia familiariter junctus, licet Paullinus poetico numero & modo ea celebret, non ut historicus narret. Primus Nicetæ gesta in aliquem ordinem redegit Baronius ad an. 396. & 397. tum Bollandus commentario illustravit tom. 1. die VII. Ja- S. Nicetas Ep. Remessianensis an. 398.

rum, qui mortuorum quondam inferiis homines immolabant, stridorem in dulce Christi fregerunt melos. Equidem sæc. v., & Niceta jam vita functo, mire enituit ardor Bessorum in cultu Christianæ religionis, ejusque virtutum perfectione assequenda; plurimi ex iis prope Hierosolymam disciplinæ sanctissimi Cœnobiarchæ Theodosii Cappadocis sese tradiderant, ac e quatuor turmis, in quas diversarum nationum monachos ad sacra ministeria obeunda diviserat, secunda erat Bessorum, *qui sua voce communi Domino fundebant preces*, ut est in vita S. Theodosii cap. 9. apud Bollandum tom. 1. Januar. P. Heribertus Rosweidus in notis ad opera S. Paullini innuit inscriptionem Marcellini presbyteri natione Bessi, quam in suo Thes. Inscript. edidit Gruterus inter Christianas pag. 1169., sed, ubinam exstet, non indicat; videtur tamen sita Vercellis; eamque hic lubet afferre.

Quisquis post mundum ætherias conscendere plagas
Posse putat justos, Mascellinum quoque credat
Presbyterum cæli sedes habitare quietas.
Nam rectis castum gessit sub moribus ævum
Religione pius, Bessorum in partibus ortus,
Et gemina vitam felix ætate peregit.

Marcellinus *Sanctus* dicitur a Rosweido; cum vero plures in martyrologiis Marcellini legantur, in nullo hunc comperi e Confessorum numero presbyterum præter Marcellinum Daventriensem a nostro distinguendum. Ætas tum Marcellini, tum inscriptionis laudatæ ad v. sæc. aut vi. potest referri.

Primum iter Italicum an. 398.

Dum Nicetas tot tantisque laboribus Christi fidem impiger per eas provincias disseminabat, novisque auctos victoriis ejus imperii dilatabat fines, iter in Italiam aggressus est anno 398., quod Pagii auctoritate inferius comprobabo. Caussa itineris relligio & pietas, ut scilicet S. Felicis martyris Nolani, cujus cultus opera studiisque ferventissimis S. Paullini ejus urbis Antistitis tum erat per Europam celeberrimus, veneraretur exuvias, ipsumque Paullinum sanctitatis & doctrinæ fama insignem coram cognosceret. Hac occasione intima utriusque juncta est familiaritas & amicitia, pari in utroque animorum ac virtutum consensione, quo effectum est provido Dei consilio, ut Nicetæ merita & acta posterorum memoriæ reservarentur ab ardenti in Nicetam Paullini affectu, quorum profecto memoria omnis intercedisset. Baronius recte censet, S. Antistitem hac occasione Nola Romam profectum esse, ut cum S. Anastasio Romano Pontifice res a se gestas conferret, ejusque consilio & auctoritate in obeundis Apostolicis muneribus regeretur; quo spectant fortasse illa Paullini verba de Niceta, quem ait *merito Romanis admirandum*. Eodem anno Nicetas Remesianam revertit, eique abeunti prosperum iter faustumque ominatur Paullinus poemate 17. ex quo viæ rationem a Niceta peragratæ lubet excerpere, cum id neque inutile cognoscendis iis locis atque itineribus, neque injucundum fore putamus. Ait itaque,

In Datiam reditus.

Ibis Arctoos procul usque Dacos,
Ibis Epiro gemina videndus,
Et per Ægees penetrabis æstus
Thessalonicen.
Apulis sed nunc via prima terris
Te vehet longo spatiosa plano,
Qua Canusino medicata flagrant
Vellera fuco.
At ubi paulum via proferretur,
Det, precor, mites tibi Christus æstus,
Et levis spiret sine nube siccis
Aura Calabris.
Te per Hydruntum, Lupiasque vectum
Innubæ fratrum simul & sororum
Ambient uno Dominum canentes
Ore catervæ.

paullo post

Jam terris subeunte ponto,
Adriæ stratus sinus obsequetur,
Unde procumbet zephyroque leni
Vela tumescent.

demum

Tu Philippæos Macedum per agros,
Per Tomitanam gradieris urbem;
Ibis & Scupos patriæ propinquos
Dardanus hospes.

Igitur Nola digrediens Nicetas primum Canusium profectus est Apuliæ Peucetiæ celebre oppidum, inde Lupias in Calabria, mox Hydruntum, queis in locis multa erat Nicetæ existimatio, & ejus fama virtutum. Hydrunto solvens, unde brevior, tutiorque in Epirum trajectus, per sinum Adriaticum Aulonam appulit; quæ erat Romanis communis & statuta navigatio; ita enim in Itiner. Antonini; *a Brundisio de Calabria, sive ab Hydrunte Aulone stadia m.*, tum utramque Epirum percurrens terrestri itinere iterum navim conscendit, & per Ægæum mare Thessalonicam venit; at falli certe Pagius mihi videtur, aut obscure confuseque loqui, cum ait, *Thessalonicam a Canusio Nicetam fuisse advectum, pertransitis utraque Epiro, aliisque locis a Paullino memoratis;* duplex enim iter terrestre Paullinus commemorat; alterum Nola Hydruntum usque, alterum per Epirum; & duplex maritimum, primum

mum Hydrunto in Epirum Adriatico, alterum ab Epiro Thessalonicam, Ægæo mari trajecto; nec opus fuit Nicetæ, ex Epiro in Macedoniam progredi, uti censet Bollandus, antequam Thessalonicam perveniret; nam peragrata Epiro utraque brevior erat per Thessaliæ fines via ad oram maritimam; & opportunior navigatio ad sinum Thermaicum, & ad portum Thessalonicensem, præterea in ea parte Macedoniæ, quæ Epiro & Thesialiæ finitima est, nulla exstitit navium statio. Thessalonicam advectus iter terrestre denuo arripuit Nicetas, & Macedoniam pertransiit; quod perspicue indicat Paullinus iis versibus

Tu Philippaos Macedum per agros
Per Tomitanam gradieris urbem,

Si enim urbem Philippos unice intelligas, uti Bollandus indicat, Nicetas e via aberrasset Constantinopolim versus, quo via Romana ducebat tum in Itiner. Antonini, tum in tabula Peutingeriana. At cur e Macedonia Tomos in Scythiam Nicetas pergeret, ut longissimum remetitus iter demum Scupos, & Remessianam adiret? Bollandus hujus migrationis causam fuisse dicit cupiditatem, qua flagrabat Nicetas, invisendi populos a se ad Christiana sacra adductos eosque in suscepta religione confirmandi, perficiendique; Lebrunus in vita S. Paulini cap. 2. hunc nimia licentia arguit inscitiæ in re Geographica; quæ interpretatio stare non potest, uti Pagius advertit, Paullinus enim *urbes per quas Nicetas transiturus erat, nonnisi ab ipsomet ediscere potuit*, & poema hocce *ante Nicetæ Nola discessum scriptum fuit;* præterea quis æquæ mentis suspicetur, Paullinum litteris scientiisque ornatissimum nescisse publica Romani imperii itinera, eaque præcipue, quæ propter utriusque Imperii Orientalis & Occidentalis mutua negotia erant ex Italia in eas provincias vulgo frequentata? Pagius denique mendum inesse autumat vocabulo *Tomitanam*, pro quo *Stobitanam* sit legendum; Stobis quippe celebri Macedoniæ urbe commodior erat Scupos profectio; & versus Paullini aptius cohærent; verum antiqui Codices operum Paullini *Tomitanam* exhibent, & Pagii opinio ejus solummodo ingenio innititur ac judicio; hinc Bollandum potius sequamur licet & Tomitanum iter inexplebili Nicetæ ardori propagandæ Christianæ fidei, & animarum operandæ salutis liberum sinamus.

Is in patriam regressus, vix dici potest, qua charitate suam Ecclesiam reviserit, & amantissime complexus sit; cujus commodis cum impensius advigilaret, quadriennio post in Italiam rediit ad Paullinum; uti hic testatur poemate 9. de S. Felicis laudibus. *Iter in Italiam secundum anno 402.*

Venisti tandem quarto mihi redditus anno;
Sed grates Christo, quia te vel sero revexit.
Quam metui, ne te mediis regionibus hostis
Disclusum opposita bellorum nube teneret!
Sed desideriis superantibus, obvia nobis
Vincula rupisti; nec te mare, nec labor ullus,
Nec Gothici tenuere metus, nec frigora longis
Dura viis &c.

Eadem itineris causa fuit & cultus erga S. Felicem, & arctissima cum Paullino sanctæ amicitiæ conjunctio; quare Paullinus in laudato poemate sæpe eum alloquitur, plurima extollit laude, incredibili gestit lætitia ob ejus adventum, quo diem natalem S. Martyris celebriorem sibi esse canit, atque jucundiorem. Baronius & Bollandus cum primam Nicetæ in Italiam profectionem illigaverint an. 397., consequitur alteram in an. 401. incidisse; sed optime Pagius animadvertit, Paullinum in hoc carmine bellum respicere in Italia gestum inter Romanos & Gothos an. 402., cum antea pacata omnia Italis essent, ac tranquilla; quapropter primum iter in annum 398. rejiciendum esse patet, secundum in an. 402., si Nicetas *quarto anno* ad Paullinum rediit, nec *Gothici metus* illum jam adventurum in Dacia retinuere; quæ certior hosce annos computandi ratio videtur, quam si eos subduces ex ordine, quo Paullinus decem poemata annis decem continuis S. Martyri Felici dicavit; nam de primo, quo innititur Baronii, Bollandique ac Rosweidi opinio, controversia est anno ne 393. an. 394. fuerit a Paullino compositum; proinde si illum conferas in an. 393., uti hi auctores existimant, quintum poema & Nicetæ primus adventus ad an. 397. pertinet, quod iidem contendunt, & poema nonum ac alter sancti viri adventus cum an. 401. conjungetur; idque ex ipso poemate, falsum esse Pagius convincit; & si primum poema ad an. refers 394. quæ aliorum est & Pagii sententia, annorum ac poematum series in an. 393. ac 402. rectissime deducitur, & cum historia hujus temporis apte convenit.

Nicetas, persolutis religionis & amicitiæ officiis, Nola discessit, eodemque, quo prius, itinere Remessianam perrexit; nec de reliquo ejus vitæ cursu quidquam suppeditant veterum monumenta; ac locus, & tempus mortis omnino latent. Ejus memoria in omnibus Latinis martyrologiis coli- *ejus cultus.*

litur x. Kal. Julias, præterquam in Romano, in quo nomen Nicetæ inscriptum est vi. idus Januarias hisce verbis. *In Dacia S. Nicetæ Episcopi, qui feras ac barbaras gentes Evangelii prædicatione mites reddidit ac mansuetas;* in reliquis, præsertim in vetustissimo Adonis, *ipso die* 22. Junii *depositio Beati Nicetæ Romatianæ civitatis episcopi*. Eundem diei utriusque Nicetam esse superius probavimus; & ad diem Junii 22. referenda sunt, quæ Baronius subjicit in notis ad diem 7. Januarii; uti monet Holstenius in animadversionibus ad Romanum martyrologium, in quo Nicetas hac die insertus est postremis hisce sæculis. Sed cur hæc dies Junii 22. a cæteris martyrologis Nicetæ cultui tribuatur, cum de die obitus nihil compertum sit cuiquam, caussa unica affertur, ut diximus communis scilicet cum S. Paullino, cui dies idem sacer est, honor sanctitatis, quocum tanta illi intercesserat amicitiæ charitas, & morum similitudo; quamvis Papebrochius facile nimis, & contra gravissimam martyrologiorum auctoritatem cedere non recuset Nicææ seu potius Nicetæ, Aquilejensi Episcopo illam Junii diem, qua is ab Aquilejensibus colitur, & Nicetam nostrum die vii. Januarii retinere; nihil autem repugnat, quominus uterque uno die Divorum cultu afficiatur; præterquam quod Gennadius auctor sæc. v. in lib. de Scriptor. illustr. Nicetam nostrum hac die tradit obiisse; *quievit autem in Domino x. Kal. Julii*.


Et libri ab eo scripti. Nunc & de Nicetæ operibus breviter inquiramus. Eruditissimus æque ac doctissimus Bernardus de Rubeis Ord. Prædicat. in monum. Aquilejensis Ecclesiæ cap. 17. pag. 154. Nicetæ nostro revera attribuit libros plures, quos inferius ex Gennadio profero. *Antistiti* inquit *tanta*, uti scribit S. Paullinus, *doctrinæ luce præfulgenti optime conveniunt illustria ingenii monumenta, quæ Gennadius Niceæ Episcopo Romatianæ adtribuit*. Gennadius itaque in libro de viris illustribus, *Nicæas*, ait, *Episcopus Romatianæ civitatis, sanctitate & morum honestate compositus ac doctrina sublimis, & facundia praclarus apparuit. Qui sex, ad baptismum venientes competentibus instructionibus informans, libellos edidit. Quorum primus continet quid agere debeant, qui ad baptismi gratiam venire cupiunt. Secundus de Gentilitatis erroribus. Tertius de fide unicæ Majestatis. Quartus adversus Genealogiam. Quintus de Symbolo. Sextus de Agni Paschalis victima. Ad lapsam etiam virginem libellum emendationis, omnibus insignem laudibus misit. Quievit autem in Domino x. Kalendas Julii*. Caveus in hist. litter. & Oudinus tom. 1. de Scriptor. Eccles. Nicæam Romatiæ Episcopum eundem ac Aquilejensem dicunt cum Baronio, & librorum, quos Gennadius enumerat, scriptorem. Horum opinio iisdem, quibus Baroniana, rationibus rejicitur. Mitto insana dictoria Oudini & blasphema, queis assolet sæpe Romanæ Ecclesiæ in hoc opere irridere; & hic, cum Nicæam Novatianæ sectæ addictum asserat, mirum ait non esse, si ejus nomen in martyrologio Romano insertum legatur; *priscis enim martyrologis nondum data infallibilitas, quæ eis novissimo tempore accessit;* & jure excessit ab auctoritate Romanorum Pontificum in decernendo Divorum cultu, & in eorum virtutibus ac meritis toto dignoscendis, probandisque certo judicio, & nulli errori obnoxio. Sed, cur impudens hic auctor Nicæam, seu melius Nicetam nostrum Novatianæ hæresis accuset, ejusque sanctitatem despiciat, causa est epistola ad lapsam virginem omnibus insignis laudibus, ait Gennadius, & de qua breviter dissero. Hæc epistola cum operibus modo D. Hieronymi, modo D. Ambrosii, Augustini etiam edita est; negant vero Bellarminus in lib. de Script. Eccles. & Possevinus in Appar. Sacr. & Cotelerius in notis ad lib. 2. Constit. Apost. iis esse adscribendam; præsertim cum Novatianum sapiat; quare Patres Benedictini, qui opera S. Ambrosii edenda sollertissime curarunt, hanc illi abjudicant epistolam, quamvis omnes Codices ab iis inspecti nomen Ambrosii exhibeant, uno excepto, in quo S. Joannes Chrysostomus inscriptus est; neque huic tamen, latinum quoque stylum pure sonans, tribuitur. Superest igitur, ut, Gennadio auctore, epistola ab uno Niceta scripta fuerit; num propterea cum Novatiano emandabimus? num, quæ exstat, eadem Nicetæ, & genuina epistola? forsitan cum cæteris ejus libris periit; & si ipsa est, nonne ab aliquo Novatiana labe infecto infici eadem potuit? nonne idem Possevinus fatetur, *plura in reliquis capitibus hujus tractatus*, seu epistolæ, *esse, quæ stimulum peccantibus addere possunt, ut resipiscant, quæque cunctis usui esse queant, si orthodoxe exponantur*? & scelus est Oudino dignum vel in dubium vocare orthodoxam Nicetæ religionem, quem S. Paullinus summis cumulat elogiis pietatis ac doctrinæ, quemque Catholica Ecclesia continuo honore in Divorum numero retinuit, & constantissime venerata est.

Post Nicetam nullius Episcopi Remesianen-

nensis memoria superest in historia ecclesiastica usque ad annum 449., quo

DIOGENIANUS EPISCOPUS REMESSIANENSIS II.

Interfuit Conciliabulo Ephesino a fautoribus Eutychis coacto adversus S. Flavianum Episcopum Constantinopolitanum, qui impium hæresiarcham damnaverat in Concilio Constantinopolitano. Hujus nefarii conventus acta inserta sunt in actione prima Concilii Chalcedonensis, in quibus primum nomen Diogeniani legitur cum aliis Episcopis, *Diogeniano Remessianensi Daciæ;* deinde ejus pro Eutyche sententia recitatur; *Diogenianus episcopus Remessianensium dixit; Secundum consensum Patrum Eutyches presbyter habeat communionem & sacerdotium & habitaculum proprii monasterii;* demum in damnationem Flaviani consensit hisce verbis, *Diogenianus episcopus Remessianensis Daciæ mediterraneæ definiens subscripsi.* An resipuerit, latet; abfuit certe a Concilio Chalcedonensi, a quo post biennium acta Conciliabuli rescissa sunt.



EC.

Digitized by Google

ECCLESIA MARCIANOPOLITANA.

ARCHIEPISCOPI MARCIANOPOLITANI.

Situs & origo urbis describitur.

IN eo Mœsiæ secundæ tractu, qui ab urbe Dorostoro, & a ripa Danubii Odessum usque & ad Euxinum procurrit, mediam ferme Martianopolim, sed Odesso propiorem collocat Antoninus in Itinerario; hinc error Ortelii, & Panciroli in Notit., a quibus maritima Ponti urbs dicitur, cum in mediterranea regione adhuc suam sedem retineat; & Ortelium jure corrigit Janningus tom. VI. Junii Bollandiani in actis S. Martyris Sebastianæ. Cæterum errat & Bombardus in Topograph. Hung. v. *Marcianopolis*, qui affirmat, urbem ab Antonino, quocum tamen convenit & tabula Pentingeriana, ad oram Euxini positam fuisse. Hanc Trajanus Imp. Marciæ vel Marcianæ sororis nomine voluit appellari, teste Ammiano Marcellino lib. 21. cap. 9., quam etiam a fundamentis erexit, uti auctor est Jornandes lib. de rebus Geticis, caussamque novæ urbis condendæ hisce enarrat; *Martianopolim urbem famosam, & Metropolim Trajanus Imp. hanc ob caussam ædificavit, ut fertur, eo quod Martiæ sororis suæ puella, dum lavat in flumine illo, quod nimiæ limpiditatis saporisque in media urbe oritur, Potami cognomento, exindeque vellet aquam haurire, casu vas aureum, quod ferebatur, in profundum cecidit metalli pondere gravatum; & longe post emersit, quod certum non erat usitatum, sed vacuum sorberi, aut certe semel voratum undis respuentibus renatare. His Trajanus sub admiratione compertis, fontique numinis quiddam inesse credens, conditam civitatem germanæ suæ nomine Martianopolim nominavit*. Ejusdem Marcianæ nomine exstitit olim Romæ in regione nona Basilica, quam auctor libri de XIV. regionibus urbis Romæ editi a Pancirolo appellat *Basilicam Matidii & Marciani*. Sed in Breviario Sexti Rufi melius legitur, *Matidiæ & Marcianæ*; & vetus inscriptio Anconitani perspicue indicat Marcianam Trajani sororem fuisse, *Plotinæ. Aug. Conjugi. Aug. Divæ Martianæ. Aug. Sorori. Aug.* Censent nonnulli Matidiam Martianæ filiam haberi, & utramque hanc Basilicam condidisse. Hisce veluti auspiciis crevit deinde civitas ædificiorum splendore, frequentia incolarum & opibus; ibi Romani Imperatores scutorum armorumque officinas publico ære instituerant; in loco scilicet opportuno, unde præsidiariis militibus armaturæ suppeditari facile possent per Mœsiæ & Thraciæ provincias; Mœsia vero secunda in civili regimine suberat Vicario Thraciæ, quamobrem Zosimus lib. 4. ait Marcianopolim maximam fuisse urbium Thraciæ; & merito totius certe Mœsiæ provinciæ metropolis habita est. Trebellius Pollio memoriæ prodidit, multa iis in locis præclare gesta a Claudio Cæsare adversus Gothos; *pugnatum est apud Mæsias, & multa prælia fuerunt apud Marcianopolim; multi naufragio perierunt; plerique capti reges, captæ diversarum gentium nobiles foeminæ; impletæ barbaris urbes, senibusque cultoribus Romanæ provinciæ factus miles barbarus & colonus ex Gotho*. In Codice Theodos. plures leges exhibentur a Valente Imp. latæ Martianopoli, qua in urbe anno integro commoratus est, nempe an. 368. altero belli Gothici ab eo suscepti. Equidem Martianopoli, etsi diu ejus fortuna salva steterit, sæpe tamen periclitata est tum Gothorum, tum aliarum gentium bellicis motibus; cum Barbari Istrum transgressi pœne omnes in Mœsiam secundam primum irruere conarentur, unde ad cæteras imperii provincias iis patebat aditus, quas crebris elati victoriis ferro & igne postea miserrime depopulati sunt. In Mœsia tamen secunda sedem fixere Bulgari sæc. circ. VIII. qui postea Thracis, Macedonia & Dardania occupata regnum sane potentissimum sibi constituerunt; ineunte vero sæculo XI. & an-

Margin notes: ejusdem decora. — & vices.

Digitized by Google

& anno ejusdem decimo octavo, a Basilio II. Imp., cui Bulgaroctono cognomen fuit, multis cladibus attriti, & inde expulsi in Mœsia inferiori & parte aliqua Thraciæ finitimæ constitere victoris permissu; ac regia denuo potestate regiisque insignibus sumptis regnum Bulgaricum restituere aggressi sunt iis in locis, quæ deinde Bulgariæ nomen accepere, & retinent hactenus, licet extincto Bulgarorum dominatu. Tum urbis splendor imminui paullatim cæpit; nam Bulgari Ternobum in Mœsiæ ac Thraciæ finibus ceu tutiorem regni arcem delegerunt, quo metropolitica jura & ornamenta translata sunt; & Marcianopolim nova appellatione Preslabam dixere, idest *illustrem urbem*, sed titulo tenus, & ob antiquam loci nobilitatem, ac magnificentiam hanc in duas veluti urbes dividit Zonaras lib. 3. *magnam* & *parvam* scilicet, cum ait Nicephorum Phocam Bulgaris devictis utramque cepisse. Sæculo XIV. deleta Bulgarorum gente, modo Russis, modo Hungaris paruit, qui de Mœsiæ seu Bulgariæ possessione pluries inter se vario Marte decertarunt; ac demum Hungaris cessit. Postea cum Turcis bellatum est, infaustis plerumque ominibus; & anno quidem 1444. ad Varnam, deinde an. 1448. profligatis altero prælio Hungarorum copiis ab Amurathe rege, Marcianopolis cum Bulgaria universa Turcici imperii jugo subacta est; & hoc etiam tempore premitur. Urbis tamen, ac civium status non ita decidit, ut veterem amplitudinem prorsus amiserint; & mercaturis faciendis satis sibi commodi cives comparant & cultus civilis, præcipue e quæstuoso cum Serblis & Ragusinis commercio.

Preslaba etiam appellata.

nunc Turcis subest.

Christianæ religionis in ea exordium.

Martianopoli idem ac urbis initum fuit Christianæ religionis sæc. II. quo Trajanus ab an. Christi 97. in annum decimum septimum supra centesimum rempublicam administravit. Aliqua tamen ante jam Fidei indicia eo in loco, ubi postea Marcianopolim Trajanus ædificavit, ex actis S. Sebastianæ martyris in lucem emissis a Conrado Janningo tom. 6. part. 1. Jun. Bolland. possunt recte deprehendi. Hæc, Domitiano Imp., qui Trajanum præcessit, & annos circiter XVI. crudelissimum in omnes nedum Christianos exercuit imperium, Marcianopoli, quo advenerat Heraclea Thraciæ urbe, a satellitibus in carcerem abrepta est, & coram Præside in quæstionem adducta, & pluries torta; eodemque tempore *inquirebatur in heredes Christi & coheredes Apostolorum*, inquiunt acta. Erant igitur Christiani iis in vicis & oppidis; qui, cum intellexissent, Sebastianam morti addictam fuisse a Præside, *convenerunt dolentes, quia virginalis cœtus magistra erat, multosque in fide confirmabat;* ex iisdem actis cap. 3. Inde vero non sequitur, Sebastianam martyribus Marcianopolitanis esse adnumerandam. Heracleæ in Thracia orta est, uti autumat Janningus, Christum edocta a S. Paullo Apostolo Diaconissæ munere fungebatur, & puellis instituendis Christiana religione vacabat, quo sensu explicat Janningus vocem *Hegumena* in actis adhibitam. Marcianopolim venit; caussa itineris latet; ibi in judicium de fide pertrahitur; tormenta subiit, & inde Heracleam perducta est, ut in sua patria capitali sententià plecteretur. Habet tamen Marcianopolis, unde glorietur, ab hac sanctissima fœmina & martyre plurima in incolas collata fuisse Christianæ vitæ & disciplinæ beneficia; quos, si in fide confirmabat, cur non liceat conjicere, jam tum fuisse, qui fortiter usque ad necem pro Christo dimicaverint? Sed cum Janningo advertamus, actorum Scriptorem paullo ante Metaphrastem floruisse, nisi is ipse forte sit Metaphrastes, qui sæc. X. vixit; & in colligendis Sebastianæ gestis ea loca nominibus designavit, quæ suo tempore nata vulgo erant; ut mirum non sit Martianopolim in actis legi, quæ nondum sub Domitiani imperio condita fuerat. Ordinatæ hujus Ecclesiæ tempus statui nequit; etenim nullus ante sæc. IV. Episcopus Martianopolitanus in fastis Ecclesiasticis memoratur. Sed vix orta religio alte radices egit; & martyrum sanguine irrigata plurimos edidit fructus sanctitatis. Dimidio sæculo ipso secundo S. virgo Melitina prima, uti videtur, patriam ornavit gemino virginitatis & martyrii decore, cujus cultui dicata est dies Septembris decimaquinta in martyrologio Romano & in Basiliano; in Sirletiano vero, Synaxario ms. Sirmondi, & in Menæis ejus memoria affigitur diei insequenti; immo & IV. Kal. Novembris ab iisdem Menæis, quæ cum Martyrologio Sirleti Melitinam celebrant III. etiam Kalend. Novembris; fortasse, putat Stiltingius ad hanc diem XV. Septembris Bolland., quia Græci pluries in anno ejus nomen celebrarent. In Menologio Basiliano dicitur martyrium subiisse, *Antonino Romanorum Cæsare*, qui eodem an. 138. & Cæsar & Collega imperii renuntiatus est ab Imp. Trajano; & an. 148. Christianos insectari jam cæperat; Stiltingius vero dubitat, sit ne is Antoninus cognomento Pius, an alius ex Antoninis, qui post illum & II. & III. sæc. imperarunt; ego quidem in Pium opinione feror. Locus certaminis Marciano-

martyres Martianopolitani; & S. Melitinæ V. gesta.

po-

Digitized by Google

polis fuit, de quo consentiunt Hagiologi; & Thraciæ attribuitur a nonnullis, quia, uti superius dictum, Vicarius Thraciæ Mœsiæ inferioris provinciam moderabatur. Acta martyrii periere; pro quibus satis erit, elogium Melitinæ a Menologio Basiliano hic exscribere.

Melitina martyr, Antonino Romanorum Cæsare, ex Martianopoli Thraciæ urbe fuit. Cum autem Christum prædicaret, comprehensa ab Antiocho ejusdem urbis Præside, confessaque se Christianam esse, gravissime cæditur; deinde pertracta in idolorum templum, ut immolaret, fusis ad Deum precibus effecit, ut idola conciderent, & contererentur; ex quo factum est, ut Græcorum multi una cum Præsidis uxore in Christum crederent. Quare flagris iterum cæsa in carcerem detruditur. Deinde educta, nudataque suspenditur, & in lateribus scalpitur; rursumque in alterum idolorum fanum, ut sacrificaret, ducta Deum precatur, statimque collapsa idola in frusta conteruntur. Quamobrem, lata in eam sententia, gladio caput ei amputatum fuit. Sequitur deinde de corporis translatione brevis narratio, quam accuratiorem ex Menæis subjicio. *Cum post resectum caput ipsius pretiosum corpus jaceret insepultum, Acacius quidam Macedo tendens in patriam suam corpus postulavit. Præses vero nihil de illo suspicatus petenti annuit. Hic igitur corpus accipiens, & in loculo recondens festinavit in patriam suam. Verum in mari ægritudine correptus excessit e vita. Navis interim ad promontorium quoddam Lemni insulæ appulsa ibidem sanctum Martyris corpus deposuit; ac prope illud Martyrum amator Acacius sepultus est.* In hoc Acacii itinere Stiltingius nihil veri dissimile deprehendit; expeditior enim erat navigatio a Ponto Euxino, unde Martianopolis haud longe distabat, per Hellespontum in Macedoniam, quam via terrestris aspera & montosa; Lemnos autem nautis ante occurrebat, quam littora Macedoniæ. Sed præter morem navigantium est, eorum, qui occumbunt, corpora servari, quæ in mare solent projicii; quod de Acacio effectum non fuit, & credere oportet, Christianum aliquem virum illi adfuisse itineris comitem, cui nota essent sacra Melitinæ lipsana Marcianopoli abducta & loculo inclusa.

SS. Maximus & socii. Cum vero teterrima in Christianos Diocletiani & Maximiani persecutio sæviret, non defuere Marcianopoli, qui Christi religionem, suamque patriam illustri certamine nobilitarent. Tres hi celebriores, quorum meminit ecclesiastica historia, Maximus ac Theodotus, & Asclepiodote, seu Asclepiodora illustris fœmina; cum in Menologio Basiliano, in Synaxario ms. Sirmondi, in Menæis editis, & apud Maximum Cytheræum fœminino nomine appelletur, præcipue in actis martyrii. De his Baronius in annalibus ad an. 311., & in Martyrologio XVI. Kal. Octobris cum laudatis Hagiologiis præter Cytheræum, & Sirletum, qui postridie eorum martyrium commemorant. Galesinius vero Asclepiodotam omisit. Cives ii Marcianopolitani dicuntur in Menologio Basiliano, & in Actis; ignoto tamen in vico inter Hadrianopolim & Philippopolim capitalem sententiam subiere, cum Galerius Maximianus imperium regeret, illud adeptus an. 305. quod morte finivit an. 311., & hoc temporis spatio statuendum est cum Stiltingio martyres fuisse interemptos. Farlatus tom. 2. in catalogo Martyrum Illyricorum eos Thraciæ adscribit, martyrium an. circ. 310. Supervacaneum duco, elogia huc referre, quæ in Martyrologiis leguntur, cum extent acta ipsa Græca, quæ ex Cod. Medicæo regis Francorum in latinum sermonem vertit ac primus edidit Stiltingus hac die Septembris XV., eaque scripta existimat vel eodem martyrii anno vel paulo post, dignaque proinde, cui eruditi fidem adhibeant; etsi prolixiores in iisdem collocutiones auctæ pareant e Scriptoris ingenio ac facundia, quæ tamen gestorum veritatem nec adimunt, nec imminuunt; & sunt hujusmodi.

ACTA SS. MAXIMI, THEODOTI ET ASCLEPIODOTÆ.

Acta martirii.

CAPUT I.

Maximiano Christianos persequente, capiuntur Maximus & Asclepiodota.

IMpiissimo Maximiano Romanum imperium tenente; per omnem terram Romanis tributariam litteræ missæ sunt, blasphemis labiis, blasphemis verbis, manibusque Deo repugnantibus exaratæ; nam adorantes Crucifixum, & nolentes simulacris sacrificare, per omnia ductos suppliсia, e vita excedere amara morte jubebant. Mysiorum autem metropolis erat Marcianopolis; hanc etiam vigens persecutio pressit, Christianos illius urbis immisericorditer puniens; inter quos, uti virtute & genere, sic pietate eluceebant Maximus & Asclepiodote. Hi religione celebres ab universali multitudine idololatrarum simul comprehensi sunt; examinatique de rebus religionis, luculenter ac generose, omnibus obedientiæ dantes exemplum, Christum verum Deum prædicarunt & confessi sunt,

se-

seque nequaquam dæmoniis aut eorum statuis ut libarent, ulla ratione subigendos.

Maximus à præside interrogatus, fidem liberè

Eodem autem tempore Thraciæ præfectus, nomine Teres, urbes regionesque percurrens, & Christianos investigans, pervenit Marcianopolim: sedensque pro tribunali tyrannico, adduci jubet generosum Maximum, & consortem certaminis Asclepiodotam. Tunc de nomine, genere, & fortuna (ut ipse loquebatur) interrogabat. At fortis ac prudens, Et patria mihi & civitas, inquiebat, & genitures, & ars, & dignitas est fides Christianorum: hanc enim inhabito, aut potius inhabitantem circumfero: ex hac originem duco, ac principium secundæ & immunis a macula generationis ex hac habeo: omnem honestatem & dignitatem ipsa mihi conciliavit. Quid enim gloriosius, quam pietatis causa in carcere degere?

& sapienter profitetur,

Præfectus dicit: Nondum cognovisti leges imperatorum? Tum vere magnus Maximus, Inhumanitatem quidem, iniquitatem, excessumque crudelitatis promulgari audivi, leges vero, quibus gentes & urbes laudem consequuntur, minime novi. Teres dixit: Mundi benefactores calumniaris, dominosque in iniquitatis ac crudelitatis crimen pertrahere sustines? Respondit generosus Maximus: Ego & Dominum & Deum & Regem agnosco Dominum nostrum Jesum Christum, cujus nutu universa consistunt; ex aliis vero hos quidem imprudentes & ingratos, illos vero sensatos & Domini sui amantes servos. Impiissimus vero Teres dixit: Nonne te pudet hominem crucifixum vocare Deum? Reposuit sapiens Maximus: Crux, plagæ & mors, considerata secundum rationem propriam, sive secundum se, nulli maculam afferunt: sed causa facit, ut ista sint admiratione digna aut reprehensione. Quandoquidem istis multum digni erant latrones, piratæ, tyranni, ejusmodi perversionibus ac cædibus vitam replentes: captis vero pro plurimis ac millenis vi legis una mors inferatur; hisce juste probro mors est ac pudori. Illi vero, qui nefarie ab istis sublati sunt, nullum ex violentia nefariorum probrum incurrunt aut reprehensionem. Aliunde vero viri fortes, qui pro patria aut genere fortiter se gerunt, etiamsi vulnera corpus diviserint, etiamsi hostile ferrum jugulo exceperint, etiamsi in crucem sublati sint, neque miseri sunt, neque reprehensione digni. Quid dico reprehensione? Nonne igitur multis quidem digni sunt laudibus, splendidisque coronis, aliisque honorariis, quibus in ævum a contribulibus suis gloriam consequantur? Ita crux neque pudori est neque probro aut Passo, aut iis, qui pro perpessione & cruce honorem & cultum Servatori tribuere studuerunt. Pudor vero indelebilis, luctus inconsolabilis, atque ignominia immedicabilis oriuntur ex raptu mulierum, corruptionibus adolescentum, furtis & adulteriis, contentionibus & pugnis, ac manibus in alterutrum infestis, quibus divites sunt dii vestri, & ideo adorantur. Crux vero supra genus nostrum hominumque venerationem effert Crucifixum: quomodo igitur necesse non est, ut illi honorem deferamus & cultum?

Teres dixit: Ecquis ab omni ævo audivit, hominem pro humano genere crucifixum? Nullus, o judex (inquiebat Maximus) Si vero addidero, non pro amicis, sed & pro inimicis, tunc miraculum te magis attonitum reddere poterit. Hac enim de causa neque erat solum homo, sed Deus in humana natura absconditus. Etenim nullus hominum pro hominibus passus est. Verum qui formaverat homines & ex nihilo produxerat, videns illos excidisse e gloria, quam dederat, amoremque ac misericordiam suam, qua fertur in creaturam suam, ostendere volens, factus est, quod fecerat, & pro nobis mortem carnis in humana natura sustinuit, nihil patiente natura Divina, quæ corruptioni non est obnoxia. Quid dicis? Hisce erubescere nos oportuit, an honorem consequi; gloriari, an confundi; Deum horum causam hymnis celebrare, an ejurare Servatorem? Teres vero, non habens, quod reponeret, discruciabatur iraque æstuabat: &, Desine, exclamabat, ejusmodi nugamenta proferre, ne anima tua a corpore amara morte avellatur.

multaque de Christo disserit,

Respondebat rerum divinarum peritus Maximus: Non ego ejusmodi sermones exorsus sum; sed tu causam præbuisti, Crucifixum nobis exprobrans. Noveram enim, quo modo anima tenebris idololatricis immersa minime capax sit luminis ex theologicis verbis effulgentis: quemadmodum nunc modici cujusdam & subobscuri radii, ex eo micantis splendore, accessum perferre nequaquam potuisti. Tyrannus vero magis etiam indignans, ipsum a viris quatuor verberari per totum corpus jubet, verberantesque eidem inclamare: Abstine a ratiociniis & verbis jactantibus: cave loqui modum excedentia. Quando autem verberabatur, & plagas fortiter ferebat vir corona dignus, sanguinarius Teres etiam adducit castam Asclepiodotam, eique dicit: Amaritudinem tormentorum in alienis perspiciens corporibus sacrifica diis, ac salutem tibi ipsa præripe. Sapiens Asclepio-

ac mox verberatur. Asclepiodota pari constantia

piodota reponit: Salus mea est, non relinquere unum & verum Deum, neque sacrificare dæmonibus perditionis, quos vobis non facile est enumerare, nedum colere: si enim vestram de iis sententiam & cultum dividere voluerint, aut plurimi sine honore erunt, illis, qui ante acceperunt, sortem suam non distribuentibus, aut divisione in omnes facta, (divisibilis enim & dissipabilis est ipsorum & honor & natura & cultus, ne dicam pugnantia & invicem æmula; nam & affectionibus pugnantibus, & sententiis oppositis, & naturis invicem maxime contrariis dividuntur & dissecantur); si igitur voluerint dona vestra, &, quam ipsis gratis datis, divinitatem partiri; hæc in multas ac innumerabiles partes diffecta, nudam sine rebus appellationem lucrabuntur, extenuato ipsis in modicissimum quid tam honore quam dono, eoque magis præbente ludibrium quam honoris fruitionem: mitto majorem quoque laborem capi in divisione jactantiæ & voluptatis ex nominibus istis quæsitæ. Tales sunt, o judex, res vestræ: eo modo, dum quis iis, quibus non licet, attribuit talia, quæ inesse nequeunt, eos etiam, quos videtur honorare, in ludibrium adducit, ac se ipse extremæ audaciæ & amentiæ obnoxium ostendit.

fidem confessa, post minas tyranni

Tyrannus autem ad hæc quidem tacuit. Attamen dicebat: Manifestum est, infirmam tibi esse naturam, eamque non sufficere ad unicum tormentum perferendum. Ex manibus vero meis nequaquam te eripiet, quem tu colis Deum. Reponit prudens Asclepiodota; Neque virorum neque mulierum natura intolerabiles & immanes cruciatus vestros facile tolerat. At gratia & potentia Christi mei sincere in ipsum sperantes & tormentorum & mortis facit spretores ac contemptores, eosque omnibus insidiis diabolicis superiores constituit. Quare & te & œstro malitiæ stimulantes te dæmones virtute Dei mei superaturam me confido. Impius vero Teres dicit: Abjice amentiam audacesque sermones, quoniam per supplicia, quæ te male perdent, multis eadem mente præditis prudentiæ proponeris exemplar. Respondet generosa Asclepiodota: Fac, quod minaris, ut experientia cognoscas, viros tyrannos, eosque tormentis armatos, a nudis, & solum ad patiendum promptis mulieribus vinci Fortioris auxilio, ab iisque jactantiam illorum confundi ac dejici fatum.

In calcibus verberatur. Theodotus item capitur & torquetur.

Contumeliosus in Deum Teres Fortissimam in calcibus (amarum quid multumque afferens dolorem est illud tormentum) percuti jubet. Sanguine autem e plagis diffluente, Martyr quidem viriliter tolerabat: videntium vero alii ad misericordiam, alii in admirationem rapiebantur. At vir quidam pius, nomine Theodotus, constante ac virili animo vigens, stans in medio theatro, crudelitatis contra Sanctos & homicidii accusabat tyrannum arguebatque ipsum, ut Dei iracundiæ se obnoxium reddentem. Ille vero justam non ferens libertatem, in ligno ipsum suspendi & radi jubet. Dum autem diu scalperetur, & inenarrabili patientia cruciatus perferret, vix tandem sero ad carcerem mittitur.

CAPUT II.

Adrianopolim ducti Martyres, pari rursum libertate respondent,

Quindecim transierant dies, quando urbe egrediens Teres, jussit Martyres vinctos sequi. Profectus autem Adrianopolim, coram se sistit, eisque dicit: Quanta vobis mala creaverit religio vestra, videtis: quin potius sacrificate diis, & vivetis in bonis hujus vitæ. Tres Martyres quasi una voce dixerunt: Cultus quidem a pueritia a nobis Deo delatus maximorum nobis semper fuit causa bonorum: eripuit ab errore, liberavit idolatria, illuminavit Dei cognitione in cordibus nostris: maximum vero omnium dedit, ut & digni simus habiti pro gloria ipsius pati. Quantum igitur resecabis a tormentis tuis, tantum dolore afficis, quantum vero adjunges, tantum delectas. Majores enim & plures perpessiones nostrum in Creatorem & Dominum magis detegunt amorem.

gravissimeque cruciantur.

Teres furiosus, plagis ante acceptis tumentibus etiam tum corporibus & unius vulneris speciem præbentibus, Martyres flagris cædi jubet: carnibus vero, imo potius & cicatricibus una cum flagris defluentibus, fortes Athletæ dixerunt: Secundæ plagæ tuæ priorum sanationes visæ sunt, priorumque dolorum solutio & solamen. Cogita igitur alias, quibus affligere possis: nam hæ priorum afflictiones abstulerunt, atque audentiores fecerunt ad futura supplicia, utpote exercitantes. Ad hæc crudelis Teres laminas æreas, igne candentes redditas, machinis admoveri Martyrum membris jubet. Hæc quidem liquefiebant: & carnes liquefactæ a corpore diffluebant: mens vero & sententia invincibilium Martyrum magis confirmabatur ac roborabatur. Nam intus habebant divinum amorem, fontem vitæ ac requiei, quo irrorati animatique externum affligentemque ignem non aversabantur; sed potius canebant: Domine Deus noster, da nobis pacem: Domine, præter te alium nullum novimus, nomen tuum nominamus: ostende igitur omnibus potentiam tuam, & glori-

rificetur nomen tuum, Domine, cum in nostra, qui servi tui sumus, per opem tuam tolerantia ac patientia, tum in pœnis exigendis de tyrannis ob illa, quæ impie commiserunt in te, tum ob supplicia, quibus secum impie non agentes crudeliter punierunt: hoc enim scienter impia agentibus timorem incutiet, & deceptos ex ignorantia in viam revocabit. Orantibus vero ipsis, vox de cælo audiebatur: Confortamini, ego vobiscum sum, nolite timere: sed neque petitis frustrabimini.

Feris objectus Maximus, ab iis non læditur,

Post hæc vero, dilatis mortiferis ipsorum plagis, impius Teres Martyres ad carcerem dimittit, terribile interminans minas, si qui ipsis aliquam sanationem aut curationem impertirentur. At generosi Athletæ responderunt: Nos Christum, verum Deum, habentes medicum non corporum solum, sed etiam animarum, humana curatione, etiamsi daretur, non indigemus. Paucis porro elapsis diebus, adducit præfectus tyrannico præconio omnem civitatis multitudinem ad theatrum stadii, ducunturque victoriis inclyti Athletæ in medium theatrum, visique ab omnibus sunt, ne vestigium quidem eorum, quæ passi sunt, in corporibus circumferentes. Inductæ vero sunt & feræ contra Martyres: & contra Maximum quidem magnum Athletam soluta est ursa, cum ipso congressura: hæc vero emissa, non sanguinem sitientium ferarum, sed benignorum servorum functa est officio: nam pedes Martyris circumlinxit & delinivit, ita ut tyrannus perculsus in vocem luctuosam erumperet: Hei mihi! etiam feræ magis sunt subactæ. Simulac igitur hæc effutit & videt, ad eumdem Martyrem emittit pantheram. Hæc vero, magistram habens ursam, institutione non fecit indigna; sed illa etiam venerantium officio functa est.

uti necTheodotus, nec Asclepiodota.

Verum præfectus, feris ferocior & crudelior, clarum victoria pugilem Maximum septis includit: contra Theodotum vero divina sapientia ornatum, & certaminis socium, ubi ipsum prius recto ligno alligaverat, ursam emittit. Hæc autem currens ac fremens vincto appropinquat, caputque in terram inclinans, adorantium exhibet speciem, ac multis ipsam verberantibus & pungentibus, non abscessit ab habitu reverentis & honorantis. Quapropter solventes a ligno Martyrem, ipsum feri in feram jaculati sunt, sed illa eadem erga Martyrem servabat verecundiam ac benevolentiam. Verum ferus ac infensus Teres tanto magis exacerbabatur atque effervescebat, quanto feræ Martyres magis verebantur. Quare post alios inducit & generosissimam Asclepiodotam, eamque tauro indomito & ferocissimo alligari jubet, ut Martyr ejus cursibus & subsultibus distracta, pedibusque ac cornibus dilacerata, amaram ac miseram oppetat mortem. At Christi Martyr signo crucis armata, Domine mi, clamabat, Domine, quia similis tibi, qui glorificatus es? in te speravi: erue me ab insidiis & inevitabilibus laqueis maligni hostis. Taurus vero magis ligatus est immobili statu mitissimoque requie & statione, quam nexibus Martyr.

Martyres versus Philippopolim ducti, in vico, cui Saltus nomen,

Generosa autem ac victoria inclyta, ad turbam conversa, Videte, homines, & intelligite, inquiebat: feræ, belluæ conservos agnoscunt, communemque reveriti Dominum, pro quo patiuntur, his non feræ, sed servi fiunt, & humaniter accedunt. Vos vero, si nihil aliud, qui eamdem habetis naturam, eamque revereri debetis, & in consortes ejusdem generis benigni esse ac mansueti, ac si feræ hæc vobis præripuissent, insitam illis crudelitatem & feritatem vicissim exercetis, & communem Creatorem contumelia afficientes non reveremini, vestros conservos, ejusdem vobiscum naturæ participes, ferarum loco, multoque acerbius, tormentis tamquam dentibus dilaniantes. Turba vero theatri, quanta a dæmonibus impellebatur, lapidibus Martyres impetebat, quia justis rationibus redarguebatur. At sensus expers Teres, theatrum cum pudore solvens, Philippopolim proficiscebatur, ubi mandaverat, ut simul vincti sequerentur & Martyres. Triginta vero ab urbe milliaribus in vico quodam (Saltys vico nomen, lingua vero Græca interpretatus est Scaturiens) etenim abundantes ibi aquarum fontes scaturiunt, arborumque variarum ac vitium multitudo facit, ut locus ille sit hortus amœnus.

capite resecto, palmam consequuntur.

Huc ubi pervenerat tyrannus, rursus Martyres in conspectum suum adducit, similibusque minime erubescens congreditur verbis, & ad sacrificandum hortabatur. Illi vero puerilium instar nugamentorum ista rejicientes confutarunt, addiderruntque: Uti nos bona spe pleni sumus, confidimus per potentiam & gratiam Servatoris nostri, nos hic obtenturos finem martyrii: a te vero divina justitia cito meritas ineffabilis crudelitatis & inhumanitatis pœnas exiget. Ille vero majoribus, quam quibus perpetuo agitatus fuerat, furiis actus, mortis contra eos fert sententiam, scribens: Decerno, Maximum, Asclepiodotam, & Theodotum, imperialibus repugnantes legibus, deos injuria afficientes ac deridentes, gladii pœnam subire, resectis capitibus. Gloriosi autem forteque Marty-

ty-

tyres, lætantes una & exsultantes, ac strenua palmisque decorata cum omni gratiarum actione extendentes colla, a temporaneis ad regnum sempiternum accurrerunt.

Tyrannus fulmine percussus perit. Non multo post furiosus ille ac mortifer Teres, arrogans in tribunali attollens supercilium, fulgurum ac tonitruum vi subita erumpente, ipse cum suis, divino incorruptoque judicio, fulmine percussus, interiit, omni corporis vigore consumpto ab igne fulmineo, ipsisque ossibus medulla exhaustis ita, ut corporis figura videretur in lapidem conversa, lapidisque naturam caro imitata. Verum qui erant superstites ejusdem curiæ, talem plagam tantamque ignominiam non ferentes, occultare conabantur punitionem esse divinitus inflictam: quapropter corpus fulmine percussum ac miserabile humo cooperiebant, humumque in montis molem aggerabant: per quæ autem occultare studebant rem latere nesciam, magis manifestabant miræ punitionis triumphum erecto monte, tamquam indelebili divinæ de tyranno vindictæ columna & præsentibus & posterioribus.

oratio auctoris ad Deum, ut finiatur persecutio. Tu vero, Deus deorum, Domine & Rex dominantium, fons benignitatis & misericordiarum, puniens quidem eos, qui sine spe conversionis impie agunt, glorificans vero illos, qui pro gloria tua decertant, neque vero exsecrans eos, qui delictorum suorum pœnitentiam humiliter agunt, & convertuntur, sed multos etiam ex illis martyrii certaminum ac coronarum participes facere dignatus es, vides, quæ patimur: videmus vero & nos, ea illis, quæ perpetravimus (quid dicam Deus meus) æqualia non esse aut conferenda: etiamsi tentationum igne putredo malarum affectionum, (quis dixerit omnis?) sed ea, quæ interim corrumpit hominem ad imaginem tuam factum, absumpta fuerit. Siste, o misericors, vehementiam; non peccatorum gravitati, sed naturæ infirmitati, & magis clementiæ tuæ pœnam attemperans. Si vero multa fornace & expurgatione opus est carnis statuæ, da ut ignem istum fortiter ac patienter feramus, ne eodem, quo alii purificantur, nobis macularum fiat accessio. Nullam autem habentes a nobis supplicandi formam, quam ad te elevemus, quam fidem in te puram ac pietatem a progenitoribus hæreditate acceptam, hanc ipsam pro omnibus tibi offerimus. Si vero & Martyres tuos suscipias legatos, quorum certamina sine offensione narravimus, & vero utinam suscipias! nobis utique aliud adveniet utilius. Hactenus acta

Constituta Ecclesia Marcianopolitana jus metropoliticum consecuta esse videtur in provincia Mœsiæ secundæ more decretisque majorum; solemne enim primis Ecclesiæ sæculis fuit, ut quæ urbes civiles habebantur metropoles, pari honore, atque jurisdictione in ecclesiastica Hiurarchia eminerent. Certa tamen metropolitici honoris signa prodeunt sæculo v., cum Dorotheus Episcopus se primus Metropolitam professus est atque subscripsit in actis Pseudosynodi Ephesinæ an. 430. Ac mille ferme annis viguit Martianopoli hujusmodi dignitas, & in Mœsiacis ecclesiis auctoritas; easque enumerat Lequienius tom. I. Orientis Christ. Abritensem scilicet, Novensem, Sexantapristensem, Nicopolitanam, Odysseam, Appiariensem, Comæensem, Dorostorensem, Tiberiopolitanam, Dionysopolitanam & Axiopolitanam, de quibus singulis suo loco dicam, eruditissimi, ac diligentissimi viri sequens vestigia. Sed Bulgari Mœsiam ingressi Debeltum urbem Thraciæ delegerunt Bulgaricæ Ecclesiæ & totius regni caput, quæ Zagora eorum lingua appellata est; & huc jura omnia metropolitica transiere, quibus antea Martianopolis potiebatur. Sæculo autem XII. Debelto Ternobum ad Hæmimontis radices situm in ipsa Mœsia regia sedes concessit, & honos metropoliticus Innocentii III. auctoritate, qui Ternobitanum Archiepiscopum Bulgarorum Primatem esse decrevit, eique regni metropolitas subjecit, Brandizuberiensem, & Belesbugdensem, & Preslabensem, idest Marcianopolitanum, veteri splendore, quo duobus prope sæculis caruerat, eidem restituto. Dum Bulgarica natio in Mœsia dominabatur paruit itaque hæc Ecclesia Primati Ternobitano; cui ab Innocentio data facultas creandi & consecrandi, Romanis tamen ritibus, Episcopos, & Clericos sibi subjectos; qua potestate schismatis causa sublata, Marcianopolitani missos ab Apostolica Sede Episcopos recepere, & in ejus communione, a qua nunquam disjuncti fuerunt, hactenus perseverarunt; nisi forte Photiano schismate aliquid detrimenti senserint, cum Constantinopolitani Patriarchæ Mœsiam in suam ditionem pertrahere conarentur, aut etiam sæculi XI. initio, cum Græcorum odium in Latinos & bellum recruduit, auctore Michaele Cerulario, & Bulgari ab Ecclesia Romana dissentirent, vel denique cum iidem, & Ternobitanus Primas, Honorio III. Pontifice, Græcæ Ecclesiæ, Romana relicta, adhærere maluerunt.

Martianopolitana metropolis, & ei subjectæ Ecclesiæ.

Urbis & Ecclesiæ Marcianopolitanæ status sæc. XVII. & qui diœcesis & provinciæ fines constituti, scire licet ex litteris an. 1644. missis ad sacram Congregationem de Pro-

præsens hujus Ecclesiæ status & diœcesis.

M 2 pa-

Digitized by Google

paganda Fide ab Archiepiscopis Sophiensi & Marcianopolitano partitiones & limites locorum, quæ sibimet administranda forent; atque ita conventum est, ut Marcianopolitanus præter Metropoliticam Ecclesiam, aliasque eidem subjectas præsit etiam Tomitanæ, & Moldaviensi provinciæ, in qua consistere libere queat. Dacia Ripensis, quæ Serbliæ partem & veteris Bulgariæ complectitur sub Metropolita Sophiano, Ciabro fluvio, nunc Ischar dicto, terminetur; quem ultra provinciæ Marcianopolitanæ incipit ditio; Moldavia vero Seretho flumine a Valachia dividatur, idemque sit utriusque confinium; vide quæ dicenda in Marco electo Marcianopolitano. Ex hisce discimus, Ecclesiam Marcianopolitanam sæc. XVII. extra Mœsiam inferiorem, seu Bulgariam, hodie ut appellatur, jus metropoliticum in Scythia parva, ubi Tomi, & in Dacia Trajani trans Danubium, ubi Moldavia, exercuisse, adeoque extra fines Illyrici nostri, seu Justinianei, a quo hæ duæ provinciæ secluduntur. Bulgariam vero veterem dicimus, Dardaniæ, imo & Macedoniæ loca, quæ Bulgari ante tenuerant cum utraque quam in Mœsia, quam in novam, ut ita dicam, Bulgariam, quæ nunc est, & Mœsiæ inferioris seu secundæ nomen olim habuit, postremo abigerentur. Et hæc quidem eo sæculo forma Metropolis Marcianopolitanæ; quænam vero mutationes consecutæ sint postea, imprudens assererem, cum desint probationis argumenta. Temporum injuria veteres Ecclesias abolevit illi subjectas præter Nicopolitanam, quæ una superest in tota Bulgaria, cujusque Episcopo tradita est Marcianopolis administratio.

Sed & Antistitum series adeo est obscura, & crebris vastisque interrupta lacunis, ut paucissimorum memoria supersit integris fere XV. sæculis; quibus hujus Ecclesiæ nomen stetit, & dignitas Episcopalis. Attamen e frustis, ut ita dicam, quæ exstant hac de re partim vetera, partim recentiora, ita telam conficio, ut quisque intelligat, materiem invito mihi, non animum, nec diligentiam defuisse, quo perfectius opera absolveretur.

Episcopi Marcianopolitani.

I. Pistus an. 325.
II. Domninus an. circ. 360.
III. Martyrius an. 381.
IV. Epagathus an. 394.

Archiepiscopi Marcianopolitani.

I. Dorotheus an. 430.
II. Saturninus an. 435.
III. Valerianus an. 458.

Interregnum Archiepiscopale.

IV. Leo an. circ. 1040.

Interregnum alterum Archiepiscopale.

V. N. N. an. circ. 1204.

Interregnum tertium Archiepiscopale.

VI. Marcus an. 1643.
VII. Joannes Vincentius an. 1709.

EPISCOPI MARCIANOPOLITANI.

PISTUS EP. MARCIANOPOLITANUS I.

Pistus Ep. Marcianop. an. 325. in Conc. Nicæno.

PIstor etiam dictus, sed ut ego reor, corrupte. Anno 325. aderat Concilio Nicæno. In Catalogo Episcoporum, qui decretis Synodi subscripserunt, legitur, *provinciæ Mysiæ Pistus, Marcianopolitanus;* & in ms. Collegii Parisiensis Soc. Jesu, *Mysiæ Pistus Marcianopolitanus.* Gelasius Cyzicenus in historia Concilii Nicæni lib. 2. cap. 36. adjecit nomina Episcoporum, quibus a sancta Synodo munus datum perferendi in certas provincias, & evulgandi Nicænum Symbolum, & Canones a Patribus sancitos; ex his Pistus in Gallogræciam, & Græciam ipsamque Mœsiam legatus est; *Pistus Marcianopolis episcopus, ecclesiis in Mysia, Athenarum & Gallorum gentibus, & civitatibus quæ his vicinæ sunt. Gentes Gallorum* esse Galatæ, seu Gallogræci videntur, & *gentes Athenarum* vel Græciæ incolas, vel ipsos Athenienses; *populosissima* enim olim Athenanarum civitas dicitur a Festo *quadrurbs;* & quatuor velut urbibus constabat, Braurone, Eleusine, Pyræeo, & Sundio. Cœterum Athenarum vocabulum apud Geographos indicat etiam promontorium Ponti Cappodocici; Cappadocia vero describitur Galatiæ contermina; & Pontum Galaticum Cappadociæ attribuit Ptolomæus; annon igitur verisimilius, Pistum jussum fuisse post peragratam Galatiam ad illius Promontorii loca proficiscia? Verum hanc legationem obivit Leontius Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, cui obtigit & Galatia; Græcia autem, ubi Athenæ, nulli traditur percurrenda, nisi Pisto. Suspicor mendum subesse Græco verbo Gelasii, & pro Γαλλων legi oportere Γραίων, ut sensus sit, Pistum in Mysiam, & Athenas & gentes Græcorum fuisse a Nicæna Synodo missum.

DOM-

Digitized by Google

DOMNINUS EPISCOPUS MARCIANOPOLITANUS II.

Domninus Ep. Marcianop. an. circ. 360. Arianus.

Nicænæ fidei hostis hanc Sedem tenebat, ab Arianis fortasse intrusus, Imperatore Valente, qui ab anno 364. ad an. 318. Orienti præfuit, & ipse Arianæ hæreseos fautor. Narrat Philostorgius secta Anomæus lib. 9. cap. 8., cum Eunomius Anomæorum princeps, qui contra Semiarianos Dei Patris dissimilem esse Filium docebant, in exilium ageretur, per Pannoniam transisse, & Mursæ a Valente Episcopo & Domnino Marcianopolitano exceptum, perductumque ad Valentem eorum opera fuisse ab Imperatore libertate donatum. Hinc Domnini perfidia apertius proditur, qui cum Valente Mursensi scelerum in Catholicos omnium auctore nequissimo junctus erat flagitiorum societate, quique gratia plurimum valebat apud Imperatorem, eamque inierat, dum Valens annum integrum constitit Marcianopoli, unde datæ ab illo leges aliquot in Cod. Theodosiano editæ a Gotofredo. Causa Eunomiani exsilii fuit, quod, Chalcedone cum esset, Procopium tyrannum in suo horto ab Imperatoris militibus ad necem quæsitum occultaverat.

MARTYRIUS EPISCOPUS MARCIANOPOLITANUS III.

Martyrius Ep. Marcianop. an. 381.

Inter plures eximiæ probitatis Episcopos enituit an. 381. in secunda Œcumenica Synodo Constantinopolitana adversus Macedonium ejusque asseclas Macedonianos, qui Spiritus Sancti divinam naturam, & communem cum Patre Filioque essentiam negabant; ac Symbolo fidei subscriptus est, *provinciæ Mysiæ Martyrius Marcianopolis*. Ejus in Fide constantiam summopere laudat Theodosius M. in lege, quam Ausonio dedit Asiæ Proconsuli, iisque Episcopis ademptas Ecclesias ait esse reddendas, *quos ex Martyrio Marcianopolitano communicare constiterit;* præter alios, quos ibi enumerat, probatissimos Antistites; hos enim, inquit Sozomenus innuens & Martyrium, Imperator quoque visos & coram allocutus approbavit, de quibus integra fama constabat, quod suis Ecclesiis religiose præessent; lib. 7. cap. 9. id vero sancitum antea fuisse in laudato Concilio arguit Baronius ad an. 381. num. 75. ex epistola Gregorii Nysseni ad Flavianum Ep. Antiochenum.

EPAGATHUS EPISCOPUS MARCIANOPOLITANUS IV.

Nominatus in actis Concilii Constantinopolitani an. 394. in quo causa judicata est Bagadii, & Agapii de Episcopatu Bostrensi inter se contendentium; *Epagathus Marcianopolis*. Epagathus Ep. Marcianop. an. 394.

ARCHIEPISCOPI MARCIANOPOLITANI.

DOROTHEUS ARCHIEPISCOPUS MARCIANOPOLITANUS I.

A Quo Archiepiscoporum seriem exordimur, cum ipse primus Metropolitæ titulum sibi palam sumpserit; & anno 430. jam præerat Ecclesiæ Marcianopolitanæ, qui inita cum Nestorio hæresiarcha familiaritate in impia ejus dogmata consensit, iisque pertinacissime adhæsit ad obitum usque. Nestorii nova hæresis ac doctrina duas in Christo hypostases seu personas esse impudenter affirmabat, divinam alteram, alteram humanam, & a divina ita sejunctam, ut æterni Verbi persona in humana esset veluti in suo templo, sed excellentiore modo, ac magis intima, quam cum cæteris conjunctione, & hinc Mariam Virginem non Dei, sed solius hominis Christi matrem esse obstinate propugnavit. Quam blasphemiam publice Dorotheus evomuit, Constantinopoli cum esset, in frequenti populi ad Ecclesiam conventu. Rem hisce verbis narrat S. Cyrillus Alexandrinus in epistola ad S. Cælestinum I. Pontificem. *Erat Episcopus quidam Dorotheus nomine Constantinopoli, eadem qua Nestorius sentiens & sapiens, vir questus causa adulationi impense deditus, linguaque ad temeritatem usque, ut dictum est, promptus. Hic dum frequens esset in ecclesia populus, reverendissimo Nestorio in cathedra Constantinopolitanæ ecclesiæ sedente, surrexit, & magna elataque voce inclamare ausus est; Siquis Mariam Deiparam dixerit, anathema sit. Mox ingens universi populi clamor, & discessio consecuta est.* Describit inde Cyrillus, quot hanc ob causam & quam graves turbæ Constantinopolitani exortæ fuerant. Ac rursum in epistola ad Acacium episcopum Berrænsem, *eo*, ait, Nestorium progressum esse, ut *episcopum quemdam Dorotheum palam in ecclesia, dum sacra peragerentur, temerario ausu effutire passus sit; Siquis Mariam Deiparam dixerit, anathema sit.*

Dorotheus Archiepisc. Marcianop. an. 430.

Nestorii fautor.

Ita-

Itaque coacto Ephesi Concilio an. 431., quo de Nestorio ejusque hæresi a Patribus supra ducentis judicandum erat, & ferenda sententia, adfuit Nestorius cum iis Episcopis, quos in suas partes traxerat, ac Dorotheo in primis suæ impietatis fautore audacissimo. Interea S. Cyrillus Concilii Præses nomine Cœlestini Pontificis primam sacri conventus actionem cum exordiretur, octo supra sexaginta Episcopi, Nestorio suadente, commonuere Synodum datis litteris pridie indictæ actionis, neqnid definiret ante adventum Joannis Antiocheni cum suæ diœceseos Episcopis; noverant enim paratos esse tuendo Nestorio, atque callidæ commonitioni subscripsit *Dorotheus episcopus Marcianopoleos Mæsiæ secundæ*. Cyrillus nihil moratus fraudulenta Nestorianorum Antistitum postulata, causam Nestorii postridie dijudicandam proposuit in frequentissimo Patrum consessu, iique plures quam ducenti Nestorium hæreticum anathemate damnarunt, & e sua sede ejectum, ac *episcopali dignitate privatum*, & *ab universo sacerdotum cætu, & consortio alienum esse definierunt*. Indigne id tulit Joannes Antiochenus, qui Ephesum paullo post ingressus fuerat cum Orientalibus; & secessione facta a Cyrillo, sese Nestorio adjunxit, ejusque Episcopis, qui, antequam Encyclicæ de Nestorii damnatione litteræ mitterentur a Concilio in Orientalem diœcesim, hisce prævertendum esse rati aliam dedere epistolam Clero & populo Heracleensi in Euphratesia, ementito *sanctæ Synodi Ephesinæ* nomine; idque monuerunt, non esse Cyrilli suorumque Episcoporum decretis parendum, quippe qui ejusdem Cyrilli dogmata duodecim comprehensa capitulis, & Nicænæ fidei contraria, quod calumniabantur Nestoriani, adprobaverint, ideoque *Depositos* atque *Excommunicatos* esse censendos. Huic epistolæ tres ac quadraginta Episcopi subscripsere, inter hos *Dorotheus episcopus Marcianopolis metropolitanus;* qui etiam cum factiosis sexaginta novem Episcopis subscripsit impudentissimæ epistolæ Nestorii calumniosis plenæ querelis ad Imperatorem eodem tempore missæ, postquam a Synodo fuerat damnatus; *Dorotheus episcopus Marcianopolis Mæsiæ Metropolitanus subscripsi*.

adhæret Conciliabulo Ephesino.

Post hæc eorumdem contra Cyrillum, & Memnonem Ephesi Antistitem Episcoporum, cunctosque legitimæ Synodi Patres conspiratio in apertum erupit; & coeuntes, Dorotheus cum primis, Cyrillum & Memnonem anathemati subjicere, veluti hæreticos, & e gradu dejicere ausi sunt; totam vero Orthodoxorum Synodum e catholica communione esse depulsam pronunciarunt, nisi Cyrilli capitula exsecraretur; insanam, atque irritam sententiam suo addito cæterorum suffragiis confirmavit *Dorotheus Marcianopolis Mysiæ II. metropolitanus*. Quæ inde secuta sunt Schismaticorum flagitia, quam dire fraudulenterque Cyrillus lacessitus fuerit, & Epheso compulsus egredi, huc referre non attinet. Nihilo tamen minus Concilii Patres, contemptis Nestorianæ factionis minis, & iniquis ausibus, ab incœpto opere non destitere, & quæ erant pro fide ac religione agenda, constantissime persequuti sunt. Ac, Cyrillo Ephesum reverso, omniumque gratulatione in Synodum excepto, consuluere Episcopi, Joannem Antiochenum cum factiosis in judicium coram Patribus esse vocandum, quo, nisi resipiscerent, & Nestorii hæresim ejurarent sincera animi voluntate, meritas de inique actis pœnas luerent. Qui ter se sistere jussi, contumaciæ & arrogantiæ rei, numero triginta quinque cum *Dorotheo Marcianopolis* ab ecclesiastica communione expulsi fuerunt cunctis Episcoporum suffragiis; quin ab episcopalis muneris functione illis interdictum est; *nullam habentes facultatem tamquam ex auctoritate episcopali, qua aliquibus vel detrimentum, vel adjumentum afferre queant, donec seipsos condemnantes proprium delictum confiteantur; id interim pro certo habentes, nisi celeriter hæc præstiterint, fore ut perfectam sententiam juxta canonum decreta incurrant;* inquiunt Patres, qui insuper *illegitima, nulliusque firmitatis* esse declararunt, quæcumque ii *adversus Cyrillum & Memnonem machinati sunt*. Tantum vero abfuit, ut, quæ est pervicax hæreticorum indoles, Dorotheum aliosque suorum criminum pœniteret, quin legatos Constantinopolim miserunt ad Imp. Theodosium, sperantes fore, ut regia potestate Ephesina acta abrogarentur, & lata in illos decreta. Id testantur litteræ Epheso iisdem datæ a schismaticis, calumniis, ac livore plenæ, & obstinati animi sensa præseferentes, quibus nomen non deest Dorothei *Dorotheus episcopus Marcianopolis*. Sed nihil profuere legatorum artes, ac doli, nihil aulicorum potentia, in quibus maxime confidebant. Confirmata in Concilio catholica Fides adversus Nestorium fuit, probata Cyrilli doctrina, latæ in Schismaticos & Nestorianos Episcopos sententiæ iterum rogatæ. Hinc Patres in epistola *singularum provinciarum, ac civitatum Episcopis, Clero populoque* scripta post absolutam Synodum singillatim nominat condemnatos jam a Synodo Antistites & *Dorotheum Marcianopolis*, ex quibus quidam *sunt depositi*, unaque Dorotheus, ut mox dicemus.

damnatur a Patribus Ephesinis.

Ra-

Digitized by Google

Redit Marcianopolim. Rediit tamen Dorotheus Marcianopolim eo, quo discesserat anno, multoque acriori pro Nestorio incensus studio, & odio adversus Cyrillum & Ephesina dogmata, atque decreta obfirmatior; unde factum ejus malitia, ut sua Ecclesia non solum, sed Mæsiaca provincia Nestoriano veneno inficeretur. Sane nonnulli Mœsiæ Episcopi, de quibus suo loco, cum Dorotheo Metropolita sese Schismaticis contra Synodum adjunxerant, & Nestorii partem, ejusque errores tuebantur, etiam in provinciam regressi. Post ejectum e Sede Constantinopolitana Nestorium in ejus locum suffectus fuerat a septem Episcopis, qui hanc ob caussam a Synodo missi fuerant Constantinopolim, S. Maximianus xxv. Octobris an. 431., quamvis Cleri populisque pars haud exigua obsisteret, & Nestorium sibi Episcopum restitui contente vellet. Is igitur, ut Ephesina decreta suam haberent firmitudinem, nec Nestorianorum aut astu aut præpotenti audacia violarentur, misit Marcianopolim Magistrum quemdam militiæ Plintham nomine, qui Dorotheum ab urbe, & ab Ecclesia abigeret, & Saturninum Episcopum in sede Marcianopolitana collocaret. Quo id jure factum a Maximiano, haud assequor; etenim Mœsiæ inferioris provincia tum certe Constantinopolitanæ Ecclesiæ non suberat; Maximiani vero virtus, ac erga sacros Canones reverentia omnem criminis suspicionem adimit, quasi alienam sibi arrogaverit jurisdictionem. Cæterum ex epistola S. Cælestini ad Maximianum qua illi gratulatur Episcopalem consecrationem, plane constat de catholica inter utramque communione; in litteris vero ad Theodosium Imp. scriptis Maximianum summopere commendat Pontifex, utque illi ad compescendam, ubi opus fuerit, hæreticorum violentiam, & arma præstet & auxilia, adhortatur; præterea legatia a Synodo missi Constantinopolim, ut Nestorio jam damnato & detruso alium Episcopum sufficerent, post Maximiani consecrationem una cum illo egerant in conventu, atque decreverant, quoscumque Ephesini Patres, Dorotheum præcipue, Episcopos nominatim e sede depulerant, omnino esse extrudendos; aderant vero ipsi Cœlestini legati; & quamvis Pontifex mitius cum iis esse agendum censuerit, si forte Nestorianum dogma, ejusque societatem repudiarent, attamen Synodi sententiam paullo post exsequi necesse fuit, ne illorum in hæresi obstinatio graviora Ecclesiis pararent detrimenta. E quibus arguere licet, Maximianum tum Synodi decreto, cui curæ maxime fuit, ut quam citissime Catholici Episcopi crearentur hæreticorum loco, tum Legatorum consensu, quem aut Cœlestinus, aut Sixtus mox Cœlestino suffectus probaverit, Dorotheum Marcianopoli expelli, & Saturninum illi Ecclesiæ præfici jussisse, quamvis provincia sub Romani Pontificis esset potestate.

Itaque, cum Plintha Imperatoris etiam fultus præsidio, & Saturninus Marcianopolim advenissent, commota est populi seditio, & impetu facto, nulla habita adversus Plintham reverentia, Saturninus ab urbe abire compulsus est. Rem narrat Dorotheus ipse in epistola ad Clerum & populum Constantinopolitanum, qui Maximiano adversabantur, suorumque pro se studium mire extollit; est autem vehemens, & odio ac injuriis in Catholicorum partem inspersa, & plura continet, quæ Dorothei sensa satis indicant, & ejus pro Nestorianis impotentes conatus. Suaque e Sede depulsioni resistit.

Revertente reverendissimo Martino (1) *Compresbytero, suscipimus a vestra charitate litteras, & colligentes nosmetipsos in idem, & legentes eas confusi sumus immodice, colligentes, quia in tali tempore multorum millium charismatum plena & amica Dei navis vestra piorum sacerdotum siti nunc æstuat ita, ut nonnulli quidem vestrorum Catechumeni de hac vita exierint, alii vero desiderantes Communionis judicium in ipso vitæ termino id non potuerint obtinere, eo quod adversarentur communicare cum impiis, sed sic ad Dominum migraverunt. Verumtamen nostræ fidei nobilitatem recordati, quam didicimus a prioribus temporibus, ad gratiarum actionem conversi sumus, omni tribulatione deposita. Quia & illa justus Judex, cum sit etiam clemens, & per omnia nostrum propositum noverit, etiam sola voluntate contentus est. Et ad nostram sæpe intentionem mensurat divitias misericordiæ suæ, & fontem propriæ largitatis. Verumtamen vestræ Charitatis epistolam non nos soli cognovimus, sed etiam legi eam Christo amicis plebibus cum Orientalium* (2) *Deo amicissimorum Episcoporum coram Ecclesia fecimus. Communem orationem cuncti pro vestra stabilitate, ac fiducia, quæ secundum Deum est, cum compunctione cordis & lacrymis Domino Christo, ut ad summa* (3) *Ecclesiæ gubernacula in tempestate hac maxima deprecantes.* 1 Ejus de hac re epistola

Sed his a nobis ita gestis in Domini corde, nequam dæmon stimulatus de his, quæ ab omnibus pariter atque affectu sincere fiebant, præparavit, ut superveniret ad civitatem nostram cum magnificentissimo & religiosissimo Magistro militiæ Plintha Saturninus quidam, qui diffamabat semetipsum (4) *ab Apostatis & Prævaricatoribus* 2 3 4

Epi-

Digitized by Google

Episcopum fuisse ordinatum nostræ Metropolis; qui & per violentiam hanc capere studuit patrocinio viri prædicti. Sed Spiritus armati virtute populi nostri imitatores vestræ in Christo fortitudinis facti sunt. Omnia enim reliqua in præsenti postponentes intus intra sanctæ Ecclesiæ septa psalmis & hymnis & cantis spiritualibus semetipsos armantes machinamenta Adversariorum omnia, & Saturnini artes, & concinnationes eorum, qui etiam patrocinaban-
5 *tur,* (5) *telas aranearum ostenderunt. Præparaverunt semetipsos ante de vita exire præsenti, quam nequam & impium suscipere Pseudoepiscopum; maxime cognoscentes, quia unam Domini & Salvatoris nostri na-*
6 *turam* (6) *prodigiose denunciet, alteram negans.*

Si enim, sicut putat, una natura est, necesse est eam aut mortalem esse aut immortalem. Et si mortalis est hæc circa eorum impiam factionem, igitur Deus verbum passibilis atque mortalis est. Si vero hanc impassibilem dicunt, clare circa illos Christianorum gloriam est convicta, & salutaris baptismatis evertitur donum. Ad quid enim jam pertinebit, quod Apostolus ait. Quicumque in Christum baptizati su-
Rom. VI. 3. mus, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem? *Ubi vero est id, quod est scriptum;* Sicut plantati facti sumus similitudini mortis ejus, sic etiam resurrectionis erimus? *Propter ista igitur simili modo Reverentiæ vestræ motus nostræ Ecclesiæ populus festinavit non deserere vestra vestigia. Unde & clementis Dei gratia effulgens super nos hoc præparavit, ut omnem inimicorum dominatum fumi vice dissolveret. Saturninus autem, sicut venerat, sic discessit. His igitur ita factis, & dum prædictus venerabilis presbyter Martinus propter id ad regiam pergeret civitatem, justum esse arbitrati sumus per humiles litteras nostras hæc ipsa sicut dilectis nostris innotescere, & rogare amicam Christi dilectionem vestram, ut reaccendentes per pium zelum ad Deum pium desi-*
7 *rium circa Patrem* (7) *vestrum, quoque Episcopum nostrum, hujus quidem sine oblivione habeatis memoriam vos, qui per ea quæ docuit, ac docet nunc usque, dum leguntur, semper juvamini. Permanete vero in sana confessione Patrum, qui in Ni-*
8 *cæa* (8) *congregati sunt, absque omni simulatione clamantes;* Credimus in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula; *Consubstantialem nobis quippe, ut ex semine Abraham & David, circa humanitatis naturam. Neque enim quiescimus unquam dicere duas naturas in Filio, licet non videatur hæredibus impiæ culturæ Apollinarii* (9), *qui dignus est exu-* 9
ri. Et unde tamen confitentes Creatorem operatoremque universorum? *secundum Deitatis rationem.* E Spiritu Sancto & Maria Virgine? *secundum humanitatis fructum.* Impossibilem & immortalem? *secundum* (10) 10
humanitatem. Hæc incessabiliter meditamini, in his permanete, ut profectus vester manifestus in omnibus sit. Rogamus autem vos, o amice Dei grex Christi, quo per operationes ac deprecationes supplicetis Domino Christo, ut quantocius hanc totius orbes terram increpet tempestatem, & profundam nobis Ecclesiarum pacem donet.

N O T Æ.

1 Exstat hæc epistola in Synodico adversus Tragædiam Comitis Irenæi num. 46. quod a Christiano Lupo editum est, Scholiis adjectis, tom. VII. Opp. Quot & quam graves turbæ exortæ fuerint Constantinopoli ab Nestorianis, ex aliis Scriptoribus præter hanc Dorothei epistolam notum certumque est, quæ, neque electo Episcopo Maximiano, omnino quievere. Hæc hæreticorum dissidia fovit in urbe regia Dorotheus, quoad ei licuit, tum per suos emissarios, cujusmodi erat Martinus, qui fomenta igni subjicerent, tum hisce litteris ad Clerum & populum Constantinopolitanum Nestorianæ factionis.

2 Orientales Episcopi, quos Dorotheus laudat, queisque junctus erat erroris communione, fuere Joannes Antiochenus, aliique plures suæ provinciæ, ac diœcesis; hi, nondum inita pace cum S. Cyrillo, hactenus Nestorii causam tuebantur.

3 hic sensus videtur obscurus; & aliqua fortasse desunt.

4 innuit Dorotheus Maximianum & Legatos Ephesinos, a quibus Saturninus creatus fuerat Episcopus Marcianopolitanus; hinc hujus electio non uni Maximiano, sed iisdem etiam Legatis tribuenda.

5 Plintham intellige magistrum militiæ, qui jussu Theodosii armato milite advenerat, ut Dorotheum abduceret, & populi compesceret seditionem, si forte Concilii decreto, & regio jussui obstitisset; & restitit quidem; sed Plintha tempori cedendum ratus a vi abstinuit.

6 Nestorianum dogma hoc erat, Filium Dei haud vere hominem factum esse, nec hypostatice cum humana Christi natura conjunctum, sed habitudine quadam, eoque modo quo justi homines, ac sancti dicuntur unum esse cum Deo; hinc duas personas, ac duos in Christo filios docebat, utrum-

Digitized by Google

utrumque in propria natura subsistentem; Filium vero Dei ex Maria Virgine processisse tantum, non genitum ac natum secundum carnem, quæ propterea non *Deipara*, sed *Christipara* diei debeat, & haberi. Sed Catholica doctrina, quam Patres Ephesini explicuerunt, & confirmarunt, credi ab omnibus jubet, divinam naturam, ac personam æterni Dei Filii hypostatice, idest substantialiter humanæ naturæ esse unitam, quæ non per se, sed in Verbi persona subsistit; hinc duæ naturæ, & una persona Christi Dei, unus filius Dei Christus Deus, non duo filii, Deus Christus in natura & persona Verbi divini, homo Christus in humana natura, quam Verbum Dei filius sibi substantive copulavit; & hinc Dei Filius Deus & homo natus secundum carnem ex Maria Virgine, quæ vera Dei mater est, vere Theotocos, hoc est vere *Deipara*. Cum autem Græca vocabula φύσις, & 'ουσία, quæ *naturam* & *essentiam* significant, non raro pro *subsistentia*, & *persona* exprimenda adhiberetur, idque S. Cyrillus sæpe præstiterit in hoc dogmate definiendo, & unam φύσιν diceret unam *hypostasin*, & *personam* Verbi incarnati, Nestoriani, & hic Dorotheus unam naturam, quatenus natura revera est, in Christo improbant; si enim mortalem naturam dicis, o Cyrille, Deus igitur passus est, quod absurdissimum & impium; si immortalem, actum igitur est de hominum salute, quam nisi Christi morte poterant assequi; cui malignæ argumentationi Catholici reponunt; duas naturas, qua naturæ sunt, & unam, qua innituntur, personam confitemur; tu duas naturas, sed sejunctas, in duabus subsistentes personis, duos filios, duos Christos blateras impiissime. Vide Petavium lib. 1. 2., & 9. præcipue, de Incarn.

7 Nestorium hic indicat, cujus plura scripta tum in vulgus prodierant, & avide legebantur. Ex iis magna pars deperdita; quæ supersunt aut integra, aut in fragmentis disjecta habes inter opera Marii Mercatoris a doctissimo Garnerio edita; nonnulla insunt actis Concilii Ephesini; & homilias non paucas ementito aliorum Patrum nomine vulgatas fuisse Garnerius idem suspicatur.

8 Nicænum symbolum, tanquam suæ Fidei tesseram jactat Dorotheus, a quo Synodum Ephesinam descivisse Nestoriani calumniabantur. Fides Nicæna Dei Filium esse docet Deum verum de Deo vero, & Patri ὁμοούσιον, idest Consubstantialem, eumdemque *incarnatum hominem factum*, & *passum* resurrexisse &c. de modo Incarnationis, de quo nulla tunc erat controversia, nec ulla lata sententia. Quare quid inde præsidii hæresi Nestorianæ? At, inquit Dorotheus, Christus consubstantialis nobis est *circa humanitatis naturam*; utique; sed humanitatis natura non ex se, sed in una Verbi persona subsistit; pergit, autem, *non quiescimus duas naturas dicere in Filio*; & nos divinam & humanam naturam dicimus in una Verbi hypostasi, seu persona copulatas, *duas* vero *naturas* in duabus personis omnino negamus.

9 de Apollinaris hæresi multiformi distincte docteque suo more disserit Petavius tom. 3. lib. 1. de Incarn. Unam Verbi & carnis naturam esse ille asserebat, Deumque revera passum ac mortuum; quapropter Catholici homines Apollinaristæ dicti a Nestorianis, perinde atque unam Dei Verbi & hominis profiterentur naturam; quod quam longe distet a vero, e paucis, quæ notavimus, quisquam intelligit.

10 Obscura hæc, & implexa; videtur ita arguere pro Nestoriana doctrina; Filius Dei *secundum Deitatis rationem opifex* est rerum omnium; *ex Spiritu Sancto & Maria Virgine* est *secundum humanitatis fructum*; at idem *impassibilis & immortalis secundum humanitatem*, a qua discretus & sejunctus est divina natura, & persona. Sed inania hæc & futilia Dorothei, quæ persequi non vacat

Hæc an. 432. dum Martianopoli gerebantur, ac Dorotheus studio Nestorii, ejusque hæresis per provinciam disseminandæ exardebat, Theodosius Imp. ut Ecclesiæ & imperii paci consuleret, quam Nestoriana factio, Joanne Antiocheno duce, exagitabat, Joanni eidem præcepit, ut dissidiis, quæ illi suisque intercedebant cum Cyrillo, & Ægyptiis Episcopis, finem poneret, & sublato schismate, utraque diœcesis Orientalis & Ægyptiaca in unam conveniret Catholicæ fidei sententiam ad Ephesina decreta. Paruit Joannes regiis litteris; concilium Antiochiæ coegit, in damnationem Nestorii consensit, Maximiani Episcopi Constantinopolitani elect,onem probavit, Paullumque Emissenum Antistitem Alexandriam misit, qui cum Cyrillo cætera componeret controversa, præsertim de illius Anathematismis, horumque recta explicatione; tum suæ partis Episcopos ac Dorotheum de his monuit per litteras, ut suis consiliis assentirent, & iis, quæ cum Cyrillo transacta fuissent; videtur tamen nulla ab eo injecta Maximiani, & damnati Nestorii mentio; ut conjicere licet e Dorothei responsione, aliisque ejusdem litteris, quas suo loco proferam. Respondit ita-

Digitized by Google

itaque Joanni Dorotheus, nomine etiam suæ provinciæ Episcoporum, a se quidem pacem Ecclesiarum optari, servandam tamen monet *orthodoxæ* fidei *confessionem*, & adigendum Cyrillum, quem injuriosis verbis ac nominibus indicat, ut duas naturas, Nestoriano scilicet sensu, a se in Christo agnosci profiteatur. Hæc Dorothei epistola ex laudato Synodico num. 78.

Alia ejusdem epistola ad Joannem Antiochenum de inita ab illo pace cum Cyrillo.

Benedictus Deus, qui & olim sub Apostolorum temporibus novum & benedictum nomen quasi aroma quoddam, idest a vestra (1) *metropoli in omnem orbem terrarum diffudit, ut Christiani vocentur. Et*
1 *nunc autem festinante Adversario* (2) *ever-*
2 *tere Orthodoxiæ confessionem, mox vos ar-*
3 *mavit zelo divino; & opposuit* (3) *contra*
omnia machinamenta nequissimi, ut nostra, quæ a Patribus ad aures nostras missa est, hæreditas fidei inconcussa servetur, pro qua & multum studium exercentes minime fatigamini, omnia propter Dominum sustinentes, ita ut debili corpore ad Deo ami-
4 *cissimum iter assumeretis* (4) *Acacium, &*
per eum Deo amicissimum Comministrum
5 *nostrum Emesenorum civitatis Episcopum* (5)
Paulum dirigeretis; & eum sic transmitte-
6 *retis Ægyptio,* (6) *sicut medicum ad languentem, quin potius ut arbitror putridum, ut in ipso providentiam facientes Ecclesiasticæ totius Orbis tranquillitatis. Hæc nam-*
7 *que universa per litteras* (7) *vestræ prospici agnovimus Sanctitatis; & valde nobis, quæ a vobis provisa sunt, placuerunt. Præcipue vero circa hanc partem, qua cum pia cautela & recta nostra confessione curare*
8 *Anguem* (8) *festinatis, ut duæ naturæ Do-*
9 *mini* (9) *Christi inconfusæ per confessionem dicantur, rationabiles occasiones ab ipsis, qui reciderant a pietate, sumentes. Dignetur vero amatrix Christi Sanctitas vestra, sicut & cupit, ante omnia, ut illa pars piæ confessionis nostræ muniatur, neque aliqui duas inconfusas Christi naturas*
10 *negent, neque hi, qui eas* (10) *orthodoxe prædicant, abjurentur ab eis, neque manus aliter his, qui lubricati sunt, porrigatur, nisi scandala in scripto peremerint, ana-*
11 *thematizantes Capitula* (11), *quæ impie ab eis exposita sunt; & omnia quæcumque orthodoxæ nostræ religioni, & ipsi subintroducere sine probatione tentarunt, & quæ introducta ab aliis receperunt, subscriptionibus ea roborantes, quæ aliena sunt ab orthodoxa Fide. Hæc non tanquam præcipientes scribimus, Deo amicissime, sed sicut filii Patribus damus consilium suggerentes.*

N O T Æ.

1 Antiochiam intellige, qua in urbe *cognominati primum discipuli Christiani*. Act. XI. 26.

2 *Adversarium* Cyrillum dicit, qui præ cunctis fortissime Nestorio, atque Nestorianis adversatus est.

3 Commendat Joannis pro Nestorio, & adversus Cyrillum constantiam; equidem nemo acrius ab initio Synodi Ephesinæ decertavit, in hac causa tuenda; ut Concilii acta testantur, & Nestorianæ hæresis historia. Cæterum benevolentiæ studio, & quadam ingenui animi existimatione Nestorium quidem complexus est, eoque maxime, quod præpropero judicio damnatum credidit, & incaute locutum, minusque clare, apteque; quæ tamen vera de Joanne reputari possent, & ab Nestorii sectandis opinionibus alienum fuisse autumant aliqui; Cyrillum vero propter Anathematismos adversus Nestorium insectatus est, quos Apollinaris hæresi infectos vulgo adversarii prædicabant; at ubi illorum sensa perspexit, cum Cyrillo in catholicam communionem & gratiam rediit, Nestorio jam suo etiam calculo ob contumaciam & perfidiam diris confosso.

4 Acacius Berrhææ in Syria prima Episcopus sub Patriarcha Antiocheno, pater Episcoporum appellatus, tum ætate, decimum enim agebat annum supra centesimum, tum diuturno suæ Ecclesiæ regimine, Nestorii fautor fuit, & infensus Cyrillo iisdem de caussis, quibus Joannes. Hic inito Antiochiæ concilio, cum Acacius senio confectus adesse non posset, ad illum Berrhæam profectus est, unaque Episcopi, qui Antiochiam convenerant, ut Acacii consilio decernerent, qua ratione, quibusque conditionibus Ecclesiarum Orientalis & Ægiptiæ concordia cum Cyrillo & pax firma constitueretur; idque felici eventu præstitum est, ut deinceps patebit.

5 Paulus in Phœnicia secunda Episcopus Emesæ diœcesis Orientalis, ab Joanne & Acacio missus est Orientalium Episcoporum nomine Alexandriam ad Cyrillum, quocum pacificationem curaret; is a Cyrillo mitissime exceptus est; & inter utrumque pacis acta & conventa sancita sunt, incredibili bonorum omnium gaudio, & Synodi Ephesinæ ac Fidei orthodoxæ laude ingenti, ac firmitate perpetua.

6 *Ægyptium* Cyrillum nominat per contemptum.

7 de hisce litteris dictum superius.

8 Angui comparat Cyrillum veluti qui tortuoso verborum, ac sermonum genere falleret adversarios, & anguis instar lubri-

Digitized by Google

bricns eorum argumenta callide eluderet, & e manibus elaberetur.

9 Duas in Christo naturas inconfusas ait, idest per se alteram in divina, alteram in humana persona subsistentes, hinc duas personas, quod est ipsissimum Nestorii dogma. Cum antem Cyrillus duas naturas in una persona Dei Verbi doceret, permisceri has, & confundi cum Apollinario Nestoriani criminabantur; unde sequeretur Divinam cum humana natura passioni ac morti fuisse obnoxiam. Sed & Cyrilli, & catholica doctrina unum Christum prædicat *unitate personæ, non confusione substantiæ*, ut est in Symbolo Athanasiano; quippe utraque Christi natura inconfusæ impermiatæ ac vere distinctæ uni inhæreant Verbi divini personæ.

10 Sensu scilicet Nestoriano, quem orthodoxum jactat. Equidem ea fuit Nestorii versutia, ut verbo tenus & duas assereret in Christo naturas in confusas, duas negaret personas; at revera Incarnationis mysterium nihil aliud esse docuit, quam Dei habitationem in homine veluti in suo templo; & hominem integrum & perfectum in utero Virginis ante formatum fuisse, quam cum Verbo divino copularetur, & ex hac conjunctione Deum dici cœptum, qui purus homo extiterat. Vide Petavium lib. 1. de Incarn. cap. 9.

11 Nestorianorum conatus eo obversi pertinaciter fuerunt, ut XII. Capitulà sive Anathematismi S. Cyrilli, quibus ab ipso exortu hæresim Nestorianam jugulaverat, penitus tamquam hæretica anathemate configerentur. Adversus hosce primus pugnavit Nestorius, XII. ab eo oppositis objectisque Anathematismis; deinde Joannes Antiochenus, tum Theodoretus Cyri, Ibas Edessæ, Andreas Samosatæ Episcopi. Sed incassum. Synodus Ephesina nullum de Cyrillianis Anathematismis judicium tulit in actis, quæ supersunt; neque enim ea integra ad nos usque servata sunt; sed in Synodo v. Œcumenica Theodoreti, & Ibæ scripta damnata fuerunt ideo, quia Cyrilli capitula impudenti calamo oppugnassent; vide laudatum Petavium lib. 6. cap. 16. & 17.

Episcopi Mœsiæ secundæ, qui cum Dorotheo ad Joannem scripsere, duo hi videntur fuisse, de quibus in Synodico cap. 190. *Valeanius & Eudocius Mæsiæ qui sub Dorotheo existentes ultro ab Ecclesiis recesserunt*. Quibusnam vero præfuerin Ecclesiis, comperire nondum licuit. Nam hi tres Marcianus Abrytensis, Jacobus Dorostorensis, & Petronius Novensis, licet cum Dorotheo aliquandiu consenserint in Nestorii defensionem, ante absolutum Concilium ab Metropolitæ communione profecto recesserunt; nam in catalogo Antistitum, quos cum Dorotheo Patres Ephesini damnarunt, nulla illorum mentio inest. Sed de his suo loco.

Dorotheus interea sollicitus de Paulli Emeseni ad Cyrillum legatione, eorumque conventu, ac Joannis Antiocheni fretus auctoritate, quem pro Nestorio stare adhuc arbitrabatur, negotium optime sperabat successurum. Sed publico rumore præsentiens rem aliter accidisse, ac optabat, duos misit ad Joannem, Eustochium presbyterum & Thomam, litteris ira incensis, quibus, vera ne essent, quæ per ora ferebantur palam de pace constituta, deque pacis conditionibus, percontatus est. Litteræ hæ sunt, num. 115. Synodici.

Epistola altera ad Joannem.

Qui naufragaverunt a pia fide nostra, quæ unit (1) sarparis proprii fulcita, inter multos hic opiniones disseminant, di- 1
centes, quod Religiositas tua, & qui cum ea sunt, sancti Episcopi acquieverint ad Ægyptii communionem, non damnatis Conscriptionibus (2) duodecim cognitis. Blas- 2
phemia eo quidem ora sumpsit, quod ipsa Capitula perfectis quidem sint (3) probabi- 3
lia, his vero, qui capere nequeunt, aliena. Unde, inquiunt, rogati Ægyptii in communionem Orientis sanctam Synodum (4) 4
receperunt. His ita disseminatis ab ipsis, alteram fraudem machinati sunt contra pios. Integra (5) siquidem civitate simpli- 5
ciores volentes decipere, proprios servos atque domesticas, & alios quosdam (6) col- 6
ligentes ante auroram, in forum, quod dicitur Constantini, sub prætextu litaniæ (7) 7
convenire fecerunt, præparantes, ut unus occurreret populo cum Crucibus & cereis, ille Deceptor, (8) qui ab illis Desertoribus 8
est illicite ordinatus.

Sed non diu fraudem suam tegere valuerunt; sed deprehensi nolendo fortiores operati (9) sunt populos, persistentes in 9
sua pietate, qui discentes hunc dolum declinaverunt errorem. Dum vero nec eis istu sufficiunt, finxerunt ab admirandissimo Aristolao litteras (10) ad Maximianum fuisse 10
transmissas, quas & in publicum in ambone legi fecerunt, narrantes sic pacem factam fuisse inter Sanctitatem vestram & Ægyptios, ut (11) vestræ calculo sanctita- 11
tis & Maximiani Ordinatio firmaretur, & sanctissimus ac Deo amicissimus Episcopus Nestorius condemnatus reputaretur. De his igitur universis subtiliter discere volens coactus sum reverendissimum presbyterum Eustochium, eumque ipso Thomam monachum destinare, rogans ut nos per vestras litteras digneris instruere veritatem. Omnem,

Digitized by Google

quæ tecum est, Fraternitatem (12) *ego & qui mecum sunt, salutamus*.

N O T Æ.

1 Corruptus est hic locus, uti & Baluzio visum; neque sensum vocabuli *sarparis* intelligere quis potest.

2 *Conscriptionibus*, idest Capitulis seu Anathematismis S. Cyrilli; qui nunquam adduci se passus est, ut eos abrogaret; idque liberrime testatur in epistola ad Rabbulam Edessæ Episcopum; sic autem inter Cyrillum & Joannem convenit, ut neuter sua scripta revocaret; nam & ea, quæ Joannes ediderat, a recta fide non abhorrebant; vide Pagium in Crit. Baron. ad an. 431. Hoc factum graviter doluit Dorotheus, suoque more Cyrillum contumeliose *Ægyptium* appellat.

3 *Probabilia*, scilicet probata; quo sensu Veteres rem *probabilem* dixere, quæ jure recteque approbata esset; & hoc esse ait exsecrandum, quod Cyrilli capitula dicerentur *probabilia perfectis*, *aliena* seu rejicienda *imperitis*.

4 Et hæc locutio ambigua. Ægyptii, auctore S. Cyrillo, decretis Synodi Ephesinæ consenserant; Orientales, auctore Joanne Antiocheno, Synodi actis adversabantur. Sancita est pax inter utrosque, sed Joannes prior pacem petivit, Orientalibus non repugnantibus; hinc Ægyptii revera in hac Fidei causa victoriam retulere.

5 *Integra civitate*, corrige cum Baluzio, *In regia civitate*, idest Constantinopoli, in qua ea lætitiæ signa palam edita, sunt a Dorotheo irridenti animo & amaro enarrata. Fallitur profecto Lupus in scholio huic epistolæ subjecto, cum illa Marcianopoli evenisse affirmat; nam rerum contextus, & mentio fori Constantiniani aperte indicant regiam urbem Constantinopolim, uti etiam adnotat Baluzius.

6 Innuit nimirum, cum de pace nuntiatum est, collectam servorum, suorumque gregalium turbam fuisse a Catholicis, qui in speciem publicæ supplicationis cives populumque attraherent ad plausus atque lætitiam de Nestorio Orientalium quoque sententia penitus prostrato.

7 Igitur publica supplicatio, Græce *litania*, cum Crucibus & cereis in Ecclesia catholica erat usitata inito sæc. V., & antiquissimus ritus semper habitus est, non recens ac superstitiosum inventum, quod irrident horum temporum hæretici.

8 Intellige Maximianum regiæ urbis Episcopum, qui Pontificali pompa, suoque Clero stipatus populi conventum demorabatur, quocum per urbem ad templum & sacram Synaxim procederet. *Deceptor* a Dorotheo dicitur, utpote qui in locum Nestorii a *Desertoribus*, scilicet a Legatis Synodi Ephesinæ, vi fuisset intrusus. Lupus hunc Saturninum esse perperam autumat jam Episcopum Marcianopolitanum, sed inde pulsum a factione Dorothei.

9 Effecta hæc omnia fuisse a Maximiano, & a Catholicis contendit Dorotheus, ut Nestorianos in Urbe fallerent, qui, fraude inquit detecta, validius in sua sententia, suaque parte tuenda obfirmati sunt.

10 Quæ hic narrat, de litteris Aristolai ad Maximianum, ex hac epistola innotescunt. Existimat Dorotheus falsa hæc esse, & in populi Constantinopolitani deceptionem fraudulenter excogitata. Re tamen vera Aristolaus Tribunus idemque Notarius Alexandriam profectus est cum Paullo Episcopo Emeseno, ut de concordia cum Cyrillo & ipse ageret, veluti Imperatoris administer, cui hoc negotium curæ erat quam maxime, tum ut Paulli personam ac dignitatem in itinere tutaretur sua præsentia atque auctoritate, tum denique, ut concordiæ acta in tabulis describeret, & obsignaret. S. Cyrillus in epistola ad Rabbulam Episcopum Edessæ hisce Aristolaum commendat, ejusque pro pace studium; *Piissimo & Amatore Christi Imperatore dirigente Dominum meum Mirandissimum Tribunum Notariumque Aristolaum Christianum virum, & pro recta fide valde certantem, ut ad pacem copularet Ecclesias &c.* in alia vero ad Acacium Berrhæensem epistola, quid Aristolaus gesserit hac in re, luculenter enuntiat; *Contristatos vero nimis & intolerabiliter dolentes propter illa, quæ contra me gesta sunt ab Orientalibus, tam ex clero Alexandriæ, quam cunctos Ægyptiacæ diæcesis Episcopos religiosissimos sic mitigavit dominus meus Admirandissimus Tribunus Aristolaus, ut mihi etiam levissimam pacis faciendæ redderet viam, & omnes venirent in ejusmodi voluntatem, Et plurimum quidem me fateor ejus Admirabilitati esse debitorem, quia modo mihi sit cooperans ad omnia, & competentibus rationibus, quæ contristabant, aboleverit*. Omnibus igitur, quæ pacis erant, constitutis, Aristolaus certiorem fecerat Maximianum, qui litteras publice legi jussit in ambone Ecclesiæ, eoque magis, quia in his scripserat Aristolaus, Joannem Antiochenum & Orientales eum legitime Episcopum creatum agnoscere & confiteri. Nestoriani autem & Dorotheus mendacia hæc esse, & Catholicorum fraudes passim vociferabantur.

11 Et hæc vera fuere; uti dictum superius; quia Theodosius Imperator mandaverat Aristolao, *quod Antiochenus deberet prius subscribere Nestorii damnationem, ana-*

na-

Digitized by Google

nathematizare scelesta ejus dogmata, & tunc cummunionem nostram quærere, inquit Cyrillus in laudata ad Rabbulam epistola.

12 *Fraternitatem* dicit Orientales Episcopos, quos putabat Nestorio adhuc adhærere.

Anno tandem 432. concordia inter Orientales & Ægyptios firmata est, ita tamen, ut non pauci Episcopi pertinacissime repugnaverint; in his Dorotheus insolentius sese gerebat & opere & scriptis; nam in sua Sede retineri Schismaticorum ope conabatur contra Ephesina anathemata, & Maximiani jussa, qui frustra eum Marcianopoli ejiciendum curavit. Sed, cum an. 434. mense Aprili is obiisset, S. Proclus ad Sedem Constantinopolitanam evectus est, qui, inito vix Episcopatu, in id incubuit, ut illa pestis, ac totius Mœsiæ communis perniciei omnimode expelleretur; ac scriptis litteris ad Clerum & populum Marcianopolitanum eos serio admonuit, sibi a lupo caverent, nec amplius decipi illius malitia & impietate se paterentur, quem scirent bonis omnibus invisum, & Imperatoris quoque sententia propediem puniendum. Exarsit ira Dorotheus, hisce intellectis; & litteras misit ad Alexandrum Hierapolis in Euphatesia Episcopum Metropolitam, & ad Theodoretum Cyrensis Ecclesiæ Antistitem, quibus de illatis a Proclo injuriis conqueritur, Imperatoris opem adversus illum poscendam suggerit, sibique gaudet, populi Marcianopolitani fidem atque constantiam nec imminui quidem, nedum labefactari potuisse. Porro Alexander adeo animum obduraverat in hæresi Nestoriana, & odio Cyrilli, ut nunquam cœterorum ac præsertim sui Patriarchæ consiliis, hortationibus, exemplo quidquam cesserit, & e Sede dejici libenter maluerit, ac in Ægyptum relegari, quam ab amentiæ obstinatione tantillum se dimovere. Ac Theodoretus magni vir ingenii & multiplicis eruditionis; etsi Nestorium tueretur, quem inique condemnatum censuit, ejus tamen doctrinam respuit; Cyrillum autem & ejus Capitula insectatus est; tarde cum Joanne Antiocheno de pace convenit, in Chalcedonensi demum Concilio anathema in Nestorium protulit; cumque in gratiam rediisset Romanæ Ecclesiæ, Cyri vita decessit; cujus nonnulla scripta postea a Patribus Quintæ Synodi proscripta fuerunt. Iisdem hæc Dorotheus; quæ ex Synodico exscribimus num. 136.

Procli Ep. Constantinopolitani acta contra Dorotheum,

& hujus adversus Proclum epistola.

Pactionem, quæ pridem sub pacis simulatione non bene cum Ægyptio facta est, nunc clare detexit Proclus, qui in magna illa civitate ordinatus est. Scripsit enim contra nos litteras calumniis plenas tam ad reverendissimum Clerum, quam ad amicum Christi orthodoxum populum. Igitur ad integriorem præfatorum Scriptorum comprehensionem compar epistolæ ejus propriis meis litteris junctum vestræ Religiositati direxi, ut si vobis rectum videtur, & utile, quod omnes nos ad magnam civitatem pariter concurramus, ut cum competenti in Deum fiducia colloquamur Amico Dei Imperatori pro orthodoxa fide, id minime negligamus. Notum vestræ facio Sanctitati, ut mihi secundum Deum congaudeatis, quia reverendissimus Clerus & amicus Christi orthodoxorum populus per dies in Domino provehuntur concertantes Evangelicæ fidei. Omnem, quæ vobiscum est, Fraternitatem ego & qui mecum sunt plurimum salutamus.

Hisce litteris anne Alexander Hierapolitanus responderit, non liquet; & Lupus fallitur, inquit Baluzius, cum epistolam Theodoreti ad Dorotheum communem & Alexandro esse arbitratur; hanc brevem, sed schismatico imbutam sensu subjicio ex laudato Synodico cap. 138.

Audientes vestram fortitudinem roboramur, & in vos intenti segnitiem deponimus. Exemplar enim principale virtutis omnibus, qui imitari voluerint, vos certaminibus his præsidens proposuit Deus, ut per imitationem vestris insigniamur caracteribus. Quia igitur multa vobis apud Deum fiducia est, sic ferventem illic nobis sustinentiam providete, & orationibus stabilite, ut firmi & in dogmatibus persistamus, & claudamus oculos, ac sanguinis (1) *injustum judicium videamus & claudamus aures nostras, ne audiamus, & cadamus in terram. His enim bonis ac talibus perfruemur, se vestras impetraverimus orationes.*

N O T Æ.

1 idest injustam in Nestorium latam sententiam, qua & anathemate percussus, & e Sede ejectus fuit, quamque iniquam ajebant ejus fautores.

Verum extremi hi Dorothei conatus meritum suæ perfidiæ exitum habuere; nam Theodosius, ut perniciosis adeo dissidiis finem imponeret, regiis litteris imperavit, ut qui Episcopi nollent conventis acquiscere inter S. Cyrillum & Joannem Antiochenum, e suis demum pellerentur Ecclesiis. Hinc Dorotheus jam a Synodo Ephesina damnatus, fremens licet ira & odio, nec civium favore, cui innitebatur, protectus Marcianopoli abire, & Cæsareæ Cappadociæ exsulare compulsus est, ubi etiam vitam

Tandem ab Episcopatu & in exilium ejicitur.

Digitized by Google

tam finivit, incertum pœnitentia ne ad sanam mentem conversus, an in sua impietate obstinatus.

SATURNINUS ARCHIEPISCOPUS MARCIANOPOLITANUS II.

Saturninus Archiepisc. Marcianop. an. 435.

Anno tandem 435. hujus Episcopatus possessionem adivit, a qua eum repulerat Dorothei violentia, & factio Nestorianâ. Nec dubium, quin ad Ephesina dogmata, & decreta amplectenda suum gregem, totamque provinciam monitis, atque hortationibus blande æque ac fortiter induxerit. Quod comprobat quieta suæ Ecclesiæ administratio ad annum forte 450., Nam in actis Concilii Constantinopolitani an. 448., quæ lecta sunt actione prima Concilii Chalcedonensis an. 451. hanc is adversus Eutychen sententiam tulit. *Si quis aliter sapit præter ea, quæ nuper lecta sunt in hac sancta Synodo, hic secundum formam sanctorum Patrum alienus sit & excommunicatus a nobis, sicut non permanens in his quæ bene a sanctis Patribus definita sunt;* ac deinde primus post S. Flavianum Episcopum Constantinopolitanum actis subscripsit; *Saturninus episcopus Marcianopolis judicans subscripsi*. Fuit etiam unus e triginta octo Episcopis, qui anno post jussu Theodosii Imp. Constantinopolim convenerunt, ut Eutychetis causam retractarent; *Saturninus reverendissimus episcopus Marcianopolitanus;* sed nihil innovatum. Abest ejus nomen in actis Concilii Chalcedonensis an. 451. hinc videtur paullo ante obiisse; cui successit

Eutychem damnat in Conc. Chalcedonensi.

VALERIANUS ARCHIEPISCOPUS MARCIANOPOLITANUS III.

Valerianus Archiepisc. Marcianop. an. 458.

Anno 458. cui Leo Imperator litteras dedit, ut & aliis Imperii Metropolitis, de nece S. Proterii Episcopi Alexandrini, & consilium petit, quid contra impium homicidam Timotheum Ælurum censeat agendum, qui etiam per vim Sedem Alexandrinam occupaverat, idem hostis Concilii Chalcedonensis, & auctor seditionis in ea urbe gravissimæ adversus Orthodoxos. Exemplar harum litterarum idem ac illud est missum ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum. Verum ante vita excesserat Valerianus, quam Imperatoris mandata ei deferrentur; etenim inter provinciæ Episcopos, qui Leoni responsum reddidere communi sententia, subscriptio deest Metropolitæ Marcianopolitani.

Non est vero omittenda hoc in loco epistola synodica Episcoporum Mœsiæ nostræ ad Leonem, testis germanæ fidei, quam profitebantur, & mutuæ concordiæ, mortuo licet Metropolita, cui ceu membra capiti suberant; & hi quidem sex; sex vero reliqui, quibuscum constabat provincia Marcianopolitana, vel impediti, vel morte prærepti conventui Episcopali non adfuerunt; eorum quippe abest subscriptio.

Epistola synodica ad Leonem Imp.

Domino piissimo, victori, semper Augusto Leoni, Martianus, Martialis, Monophilus Marcellus Petrus & Ditas episcopi secundæ Mæsiæ.

Tranquillissime principum, desiderium habens pii propositi, verbum fidei, quam tenes, tibi fieri manifestum sacris litteris hoc a nostra humilitate fieri præcepistis, ut vobis aperte significaret de sancta, & incomprehensibili deitate, quam humana lingua nec comprehendere, nec scribere potest, sed potius cum mundo corde colere & adorare. Hoc autem adstruimus, confiteri nos & perdurare in fide, quam in urbe Nicæna trecenti decem & octo patres, condemnata impietate Arii, tradiderant in toto orbe terrarum; necnon & quæ a sanctis centum quinquaginta patribus in urbe Constantinopolitana de sancto, Spiritu pro delenda Macedonii persona, prolata est; insuper & quæ in Epheso ad depositionem Nestorianæ impietatis formam accepit; super hæc autem & quæ ad peremptionem Eutychianæ vesaniæ de humanatiope Salvatoris in Chalcedonensium civitate multis sanctis Episcopis convenientibus, per jussionem Leonis Romani Pontificis, qui vere caput Episcoporum, & venerabilis sacerdotis & patriarchæ Anatolii concilio celebrato sub duobus Imperatoribus confirmata est. Quod Concilium nos cum omni clero & populo Christiano usque ad finem tenentes & possidentes in eo concupiscimus permanere. Timotheum vero, qui postea per odium atque crimen, sicut publicis libellis agnoscitur, scelestissime contra Proterium reverendissimum virum Alexandrinæ civitatis episcopum operatus est, & condemnatis viris sibimet per obreptionem indigne episcopatus nomen imposuit, hunc cum his qui similia præsumpserunt, in ordine sacerdotum nec numerari, sed sub anathemate, & inter Simoniatos reputandum esse decernimus. De Synodo vero, quam petunt fieri quidam post decretum patrum qui Chalcedone definierunt, nos nec optamus, nec fieri consentimus, ne majora scandala generentur, sed magis contra principes tanti sceleris ultionem proferri decernimus.

Marcianus episcopus civitatis Abriticæ confirmavi & subscripsi.

Marcialis episcopus civitatis Apiarensis similiter.

Monophilus episcopus civitatis Dorostrii similiter, Mar-

Digitized by Google

Marcellus episcopus civitatis Nicopolis similiter.

Petrus episcopus civitatis Novensis similiter.

Dittas episcopus civitatrs Odyssæ Scythiæ similiter.

Et hæc quidem latine data, est in Græco interpretata, & iterum translata de Græco in Latinum. Explicit.

INTERREGNUM ARCHIEPISCOPALE.

Anni ferme quingenti elapsi fuerant ab obitu Valeriani, quin ullus crearetur Episcopus Marcianopolitanus; & siquis hanc Ecclesiam administravit, ne nomen quidem relictum posterorum memoriæ. Quot per ea tempora rerum conversiones factæ fuerint in Mœsia, quot turbas excitaverit Schisma Photianum, generatim loquuntur annales Ecclesiastici; neque in iis quidquam occurrit in rem nostram peculiare. Sed an. circ. 1040. Præslavensis titulo alter e tenebris emergit hujus urbis Antistes, sed schismate Photiano infectus, unde conjicias, Catholicæ fidei veritatem Græcanicis erroribus fuisse quoquo modo corruptam in diœcesi saltem Marcianopolitana. Is est.

LEO ARCHIEPISCOPUS MARCIANOPOLITANUS IV.

Leo Archiepisc. Marcianop. an. 1040. Qui opusculum de Azymis adversus Latinos scripsisse dicitur a Leone Allatio, & a Dositheo Patriarcha Hierosolomytano inter oppugnatores Latinæ Ecclesiæ adnumeratur. Ejus Episcopatus tempus latet; schismaticus. suspicor rejici illud posse ad annos Michaelis Cerularii Patriarchæ Constantinopolitani, infensissimi Latinorum hostis, qui an. 1043. Patriarchalem sedem adivit, & an. 1058. exstinctus est. Certe ante an. 1200. Leonem vixisse oportet; tunc enim Bulgari in communionem & fidem Romanæ Ecclesiæ recepti sunt; & Marcianopolitana Ecclesia, quæ jus metropoliticum amiserat, ut initio dictum est, pristinam dignitatem recuperavit. At intercessit antea annis forte ducentis

INTERREGNUM ALTERUM ARCHIEPISCOPALE.

Restituitur Archiepiscopatus Marcianop. Cum vero Innocentius III. anno 1204., missis litteris & nunciis ad Joannicium regem Bulgarorum, eam gentem, ejurato Græco schismate, Catholicæ unitati adjunxisset, ejusdem etiam indulgens desiderio, & æquis postulationibus Ternobensem Ecclesiam Primatu totius regni nobilitavit, cui præter cæteros Episcopatus duo parerent Archiepiscopi; eosque ad Joannicii voluntatem noviter instituit in Belesbugdensi, & Præslavensi Ecclesiis. Preslavam vero ipsam esse Marcianopolim diximus superius. Innocentius igitur restituit potius Marcianopolitanæ Ecclesiæ id, quod Bulgarorum adventu invita amiserat contra jus fasque, nec absque Romani Pontificis auctoritate illi adimi poterat. Qua in re videntur Bulgari imitati Græcos Imperatores, quibuscum prius religionis societatem inierant, quique suopte arbitrio, & inique regia abusi potestate ordinem Ecclesiasticæ Hierarchiæ permiscebant, & infringebant jura atque decreta. *Legatus* itaque *Romanus Joannes de regis consilio & assensu duos alias Metropolitas constituit Belesburiensem & Preslaviensem, quos Præfecto Zagorensi*, idest Archiepiscopo, *tamquam Primati subjecit;* uti legitur in vita Innocentii edita a Baluzio num. 79. Atque his ita a Pontifice decretis, electus est

N. ARCHIEPISCOPUS MARCIANOPOLITANUS V.

Anno circ. 1204., nisi forte idem, qui N. Archiepisc. Marcianop. an. 1204. jam hanc Sedem conscenderat, cum Archiepiscopus nomine ac jurisdictione dictus fuerit Pontificia jussione. De collata vero Anonymo huic Antistiti Archiepiscopali dignitate dubitare non sinunt litteræ Basilii Ternobensis Primatis ad Innocentium; petit enim, ut sibi mittat *pallea ad opus duorum Metropolitanorum Prislavæ, & Belesbudii;* & hic corrigendus certe Lequienius, qui id a rege postulatum asserit; quin immo post allata Ternobum pallia a Leone Cardinali & Innocentii in Bulgariam Legato, aliis litteris scribit Basilius, pallia a se imposita duobus Metropolitis die VII. Novembris coram Cardinali, qui illis Mitram tradidit Episcopalem. Sed quid gesserit, & quoto postea tempore vixerit Archiepiscopus iste, in nullis fas est reperire monumentis; præsertim cum secutæ paucos post annos Bulgarici regni calamitates excidium in eas provincias & Ecclesias intulerint, ac vastationem; de quibus late disseremus in Ecclesia Ternobensi; & hinc

INTERREGNUM TERTIUM ARCHIEPISCOPALE.

Quo per annos prope quingentos Ecclesia Marcianopolitana suis caruit Pastoribus, proximorum, uti reor, Antistitum curæ, & administrationi commissa. Plus certe quadringentis annis premitur Turcarum tyran-

Digitized by Google

rannide; Schismaticorum vexatur insolentia; quidquid vero adjumenti pro catholica religione tuenda, vel solatii habere potest in perferendis ærumnis, in illam conferant Apostolici viri Franciscanæ familiæ, quorum ingentia merita adversus hanc Christianæ reipublicæ partem haud exiguam non est qui celebrare sufficiat. Atque ex his nimirum prodit tandem

MARCUS ARCHIEPISCOPUS MARCIANOPOLITANUS VI.

Marcus Archiep. Marcianop. an. 1643.

Natione Bosmensis honesto loco Scupis natus est; cognomen illi Bandinus. In Ordinem Franciscanum inter Minores, quos vocant, Fratres adscitus pietate, doctrina & religionis zelo claruit. Dum Christianis excolendis in Bulgaria impigre navabat operam, Urbanus VIII. an. 1643. XVI. Kal. Decembris huic illum Ecclesiæ præfecit, eique Scythiæ parvæ, Moldaviæ & Ternobensis Ecclesiæ administrationem commisit. Hæc de se scribit Marcus in Commentariolo, quo suæ Metropolis nobilitatem commendat, & cujus exemplum manu descriptum olim accepimus Chiprovatio, ubi in Franciscano Cœnobio servabatur ejus mandato Fratribus dato XIV. Kal. Majas an. 1644,

Novissime Sanctissimo Domino, Domino & Patre, Domino Urbano, divina providentia Papa VIII. Maximo Pontifici Romano Sanctam & Universalem Dei Ecclesiam Catholicam Romanam anno nostræ Salutis 1643. *die* 16. *Novembris, sui vero Pontificatus anno XXII. fauste feliciterque gubernante paterno atque pastorali animarum zelo moto P. F. Morco Bandino a Scopia Bosnensi Ordinis S. ac Seraphici P. nostri Francisci Minorum de Observantia alumno, necnon Dei, ac ejusdem Sedis Apostolicæ gratia Electo Metropolita Marcianopolis, non tam prædictarum*, idest Marcianopolitanæ, & quæ eis subsunt, Ecclesiarum, quas paulo superius nominavit, & eædem sunt a nobis huic Sedi attributæ, *quam infra sequentium, Tomi in provincia Scythiæ apud Pontum Euxinum, atque Ternoby & Moldaviæ, nullis ejusdem suffragantibus meritis, nisi ex sola prædicti Sanctissimi Papæ Urbani Pontificia liberalitate & Munificentia, atque Eminentiss. & Ampliss. Dominorum Sacr. Congreg. de Propag. Fide Cardinalium singulari cura sollecitudine, atque vigilantia omnium Suffraganearum Ecclesiarum indignissimo Administratori nunc denuo plenaria ac omnimoda specialis curæ atque regiminis cælitus commissa data & tradita est potestas & administratio*.

Quæ postrema verba aperte indicant, illarum provinciarum regimen Marco confirmatum fuisse an. 1644. quo diœceseon, ac provinciarum suarum fines uterque confirmatum fuisse an. 1644., quo diœceseon ac provinciarum suarum fines uterque Archiepiscopus Marcus, & Petrus II. Sophiensis sibimet constituerunt, & de conventis monuere Patres Sacr. Congregationis; quod initio diximus. Marci acta in Pontificatu nos latent. Sed cum in Ecclesia regenda nescio quæ accidissent incommoda, & Patribus Sacr. Congreg. improbata, Romam accersitus est, ut causam diceret. Postea ab urbe discedens, sive judicium ægre tulerit, sive reprehensionem, ex insperato in Germaniam iter arripuit, ubi adhuc morabatur an. 1662. Tum Ecclesia Marcianopolitana commissa fuit Francisco Scymirevichio Archiepiscopo Achridano, qui eam lustravit, cuique multum adlaborandum fuit, ut hæreticorum, quos Paullianistas appellant, licentiam compesceret, & arceret errores; de his fuse in Ecclesia Sophiensi. Quid de Marco factum fuerit, nihil novi. Quadraginta præterea anni effluxerunt, cum Turcicum bellum in Imperatorem Leopoldum I. & Venetam rempublicam arderet, quin novi Antistites crearentur. Sæculo demum XVIII. ineunte

fines provinciæ Marcianop. constituit.

JOANNES VINCENTIUS ARCHIEP. MARCIANOPOLITANUS VII.

Joannes Vincentius e Naxivitana ad Marcianop. Eccl. transfertur an. 1709.

Ab Ecclesia Naxivitana in Armenia ad hanc Sedem translatus est a Clemente XI. an. 1709. In insula Chio Ægei maris ortus est a familia Castella. Cum Dominicanum institutum amplexus esset, brevi per omnes sui Ordinis gradus adeo morum sanctitate, ac doctrina profecit, ut Clementi Pontifici dignus visus sit, quem Naxivitano ornaret Episcopatu. Utrum vero titulum solummodo gesserit Episcopalem, an in Armeniam usque ad suam Ecclesiam profectus sit, non est nobis exploratum. Anno certe 1709. Naxivitanam Sedem cum Marcianopolitana commutavit, uti est in Tom. VII. Bullar. Dominic. in Append. de Archiepiscopis & Episcopis Domin. sub Clemente XI. Arbitror Joannem hoc tempore jussum a Pontifice obivisse munus invisendi Orientis Ecclesias, quæ Romanæ communioni adhærent, tollendique Apostolica auctoritate, quæ irrepsissent, Fidei ac morum labes atque pernicies; inde enim e Marcianopolitana provincia, quam adiisse illum verisimile est, expeditior in Asiam patebat aditus maritimo itinere. Quæ conjectando licet asserere; quippe Orientalis hujus lustrationis desunt monumen-

Orientis Ecclesias lustrat Pontificis jussu.

Digitized by Google

menta. Post quinquenium, quod impigre impavideque insumpsit in iis locis peragrandis, in Italiam reversus est; atque anno 1714. ejusdem Pontificis voluntate, dimissa Ecclesia Marcianopolitana, Urbaniensem cum Vadensi conjunctam adivit, servato tamen sui Archiepiscopatus titulo. Obiit Kal. Octobris an. 1736., cujus sepulchro hoc elogium incisum legitur in templo majori Urbaniensi.

& ad Sedem Urbaniensem migrat anno 1714.

Ejus elogium.

D. O. M.

Jo. Vincentio Castelli Ord. Prædic. Theologo clarissimo Eccl. Marcianop. Archiepiscopo gravitate morum, probitate, doctrina Illustri, Ecclesiæ Urbanien. & Vaden. pro meritis a Clemente XI. Episcopatu donato, summa vigilantia, prudentia ad regendum ornato, Claro in hac majori Ecclesia proprio ære restauranda, argentea & eleganti supellectili munificentissime ornanda, Joseph Fobreti Episcopus Prædec. Suo poni curavit Anno MDCC.XLV.

Post Joannem Vincentium nulli quos sciam creati Archiepiscopi Marcianopolitani. Censeo tamen hanc Ecclesiam finitimis Episcopis modo uni, modo alteri fuisse commendatam; sed ex schedis ad nos Roma missis hoc mense Novembri an. 1817. certum est in universa Bulgaria unum esse Episcopum, eumque Nicopolitanum, cui peramplæ hujus regionis cura tradita a Romano Pontifice, cujusque Ecclesiæ monumenta statim subjicio, utpote cæteris, quæ jam perierunt, præferenda.

Eccl. Marcian. commendatur viciais Episcopis.



Digitized by Google

EPISCOPI SUFFRAGANEI
METROPOLIS MARCIANOPOLITANÆ.

EPISCOPI NICOPOLITANI.

Urbis & Ecclesiæ Nicopolitanæ descriptio.

PLures Nicopolis nomine urbes enumerant Græci & Latini Geographi, seu veteres, seu recentiores, easque diversis in provinciis sitas. Ex his una in Mæsia inferiori *Nicopolis ad Istrum* dicta, ne cum altera ad Hæmum in Thracia confundatur. Conditam fuisse ferunt a Trajano Imp. post relatam de Dacis victoriam; *quam indicium victoriæ contra Dacos Trajanus condidit*, inquit Ammianus Marcellinus cap. 16. lib. 31. In tabula Peutingeriana ponitur ad Iatri, *Ischar* nunc dicitur, & Danubii confluentem; nihil tamen de illa memoratu dignum produnt historici, quæ objecta licet continuis barbarorum incursibus, & varias bellorum vices experta nec loco nec statu suo excidit, hodieque veteri nomine Nicopolis corrupte *Nigeboli* appellatur. Hic ajunt Sigismundum Imp. teterrima strage fuisse affectum a Bajazethe Turca an. 1396. Verisimile est religionem Christianam idem cum urbe initium habuisse, incæpto jam sæculo II., quæ numero cultorum ac ferventi aucta pietate Episcopalis Ecclesia rite instituta est; nec defuisse credendum est, qui profuso sanguine usque ad necem fortiter pro Christo dimicarent. In apographis Hieronymianis additum est die XI. Augusti. *Nicopoli passio multorum martyrum, quorum nomina Deus scit*. Suspectæ videtur fidei hoc additamentum Sollerio Hagiographo Antuerpiensi; Florentinius vero dubitat, de qua Nicopoli hic auctor loquatur; conjicit tamen Sanctos hosce in Thracia martyrium perfecisse in Diocletianea persequtione, quæ ibi plurimum debacchata est. Sed hæc ratio favet etiam Nicopoli Mœsiacæ; quæ provinciæ Thraciæ finitima haud minus sævum experta est Tyranni furorem. Valet igitur & pro nobis Florentinii conjectura; neque propterea horum martyrum decus certo tribuere, aut adimere ausim Ecclesiæ nostræ Nicopolitanæ. Primorum Antistitum acta & nomina abstulit, atque delevit injuria temporum usque ad sæc. V., & VI. ac inde ad sæculum XV. omnem pœne eorumdem memoriam obruit oblivio. Nicopolitana Ecclesia uni semper paruit Metropolitæ Marcianopolitano. Sed, ne crebras tristesque hic repetam vicissitudines, quibus Bulgaria sacris æque ac civilibus in rebus pessime habita est, nullæ hic hodie exstant metropoles, Episcopatus nulli præter Nicopolitanum. Unus hic Episcopus cæteris præest Bulgaricis Ecclesiis, si Sophiensem demas Vicariis Apostolicis commissam, & Valachiæ quoque administrationem gerit; quare Bucaresti, quæ nobilis provinciæ urbs, plerumque commoratur; ibi etiam sedes Archiepiscopi Græci ritus Schismatici; pluraque Græcanica, pauca Catholica templa existunt cum Franciscano Cœnobio, uti docet Hungariæ Topographus Bonbardius. Hi vero Episcopi Nicopolitani.

I. Marcellus an. 451.
II. Amantius an. 518.
III. Franciscus an. circ. 1400.
IV. Ivo an. 1412.
V. Venceslaus an. inc.
VI. Hugo an. 1437.
VII. Albertus an. 1518.
VIII. Franciscus II. an. 1544.
IX. Philippus Stanislaus an. 1656.
X. Albertus II. an. circ. 1690.
XI. Nicolaus an. 1753.
XII. Paullus an. 1776.
XIII. Fortunatus Maria an. 1815.

MARCELLUS EP. NICOPOLITANUS I.

Subscripsit an. 451. epistolæ Synodicæ suæ provinciæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Patriarchæ Alexandrini; *Marcellus episcopus civitatis Nicopoleos*. Marcellus Ep. Nicopol. an. 451.

AMANTIUS EP. NICOPOLITANUS II.

An. 518. interfuit Concilio Constantinopolitano Episcoporum XL., a quibus decretum, ut nomina Euphemii & Macedonii Constantinopolitanorum Antistitum sacris dypticis inscriberentur, Synodus Chalcedonensis conformata, atque damnatus Severus Acephalorum dux impius, & auctor. Hæc postea scripto retulerunt ad Joan- Amantius Ep. Nicopol. an. 518.

Digitized by Google

Joannem Constantinopolitanum, subjectis singulorum nominibus; in his; *Amantius episcopus exiguus civitatis Nicopolitanæ Mysiæ secundæ propria manu subscripsi*. Verum S. Hormisdas; coacta anno eodem Romana Synodo, & legatione Constantinopolim missa, jussit Euphemium et Macedonium e tabulis Ecclesiasticis rursum expungi, veluti labe schismatica infectos; vide Baronium ad hunc annum.

Interregnum Episcopale. Post hosce Episcopos nullum habeo Nicopolitanum Antistitem, quem certo sciam huic Ecclesiæ præfuisse, usque ad dimidium sæculum xv. Vaddingus in Annal. Ord. Francisc. octo quidem enumerat Nicopolitanos Episcopos, quos præclara merita a suo Ordine ad eam dignitatem evexerunt; sed ad nostram Nicopolim non pertinent, quorum postremus initium attingit sæculi xv. In Bullario vero Dominicano Ripolius Operis auctor quatuor recenset sanctissimæ Dominicanæ familiæ alumnos Episcopatu Nicopolitano ornatos; ex his prior sæc. xv. inito, supremus sæc. xvi. jam medio Episcopi renuntiati sunt; fatetur tamen ingenue, nescire se, cuinam Nicopoli attribui queant. Attamen in re quamvis obscurissima aliquis conjecturæ locus esse mihi videtur, eos nostræ potius Ecclesiæ fuisse præfectos; etenim tum in Mœsia, tum in Dardania erant Dominicani instituti Episcopi eodem fere tempore, quo Nicopolitani; atque cum in iis provinciis Christiana religio admodum periclitaretur hæreticorum malitia, schismaticorum insidiis, tyrannide Turcarum, opus erat hujusmodi hominibus curam Ecclesiarum illarum committi, qui Apostolico ardore cuivis se discrimini objecerent, & tradito sibi gregi tuendo, atque solando impigre advigilarent. Adde, sequi postea, interrupta licet serie, aliquot Nicopolitanos in Mœsia, seu Bulgaria Episcopos omnino certos, quos verisimilius, haud brevi quidem intervallo, diceres prioribus ex laudato Ordine delectis successisse. Itaque post undecim circiter sæculorum Episcopale Interregnum alteram horum Antistitum seriem hic subtexo ita ut de quatuor primis sexve dubie disseram, indubie de reliquis. Porro tristissima erat hisce temporibus facies Ecclesiæ Nicopolitanæ, non quia vidua solum & deserta, sed ob bellorum etiam calamitates, quibus Bulgaria universa affligebatur. Memorabile vero in primis fuit an. circ. 1393. bellum & prælium Nicopolitanum; cum Sigismundus conjunctis Gallorum & Hungarorum viribus in Bajazethem regem Turcam, qui haud modicam Bulgariæ partem sibi subdiderat, trajecto Danubio movit exercitum. Igitur III. Kal. Octobris ad Nicopolim dimicatum est; cæsi primum Galli, fugatique; tum Hungari palantes terga verterunt; institit hostis, donec defatigatus a sæde in castrorum prædam irrupit. Maximus captivorum fuit numerus; viginti millia Christianorum cecidere in prælio, Turcarum sexaginta millia, inquit Bonfinius Dec. 3. lib. 2. Hinc Nicopolis fœde direpta est, & in miserrimam collapsa servitutem. Hoc in rerum statu creatur

FRANCISCUS EPISCOPUS NICOPOLITANUS III.

Anno circ. 1400. notus ex diplomate Joannis XXIII. quod subsequitur.

IVO EP. NICOPOLITANUS IV.

Patria Senensis, cognomine Nerocius, vitæ instituto Dominicanus. Vaddingus in Annal. tom. 9. Ivonem *Nerotium*, seu *Neracium* Senensem Ordini Franciscano attribuit; idem is esse videtur cum nostro, qui & *Neretius* dicitur; profecto *Nerucia* familia Senensis nominatur ab Ugurgerio in opere inscripto, *Pompe Sanesi*, non *Nerotia*, seu *Neracia*, seu *Neretia*; & probabilis ratio suadet corruptam fuisse cognominis appellationem; certum tamen est diploma Joannis XXIII., quo Ivo Episcopus renunciatus est, inscribi *Ivoni Nerocio de Senis*; idemque *Ordinis Fratrum Prædicatorum Professor* perhibetur. Anno itaque 1412. pridie Kal. Septembris Pontifex Ivonem Episcopum Nicopolitanum designavit suo diplomate, quod ex Ordinis tabulario editum tom. 2. Bull. Dominic. hic exscribimus. Ivo Ep. Nicopol. an. 1412.

Joannes Episcopus &c. *dilecto filio Ivoni Nerocii de Senis, Electo Nicopolen.* &c. Litteræ ad eum Joannis XXIII. P.

Divina disponente clementia &c. *Dudum siquidem in nostris Apostolatus primordiis, intellecto, quod Ecclesia Nicopolen. cui bonæ memoriæ Franciscus* &c. *præsedit* &c. *Pastoris solatio fuerat destituta. Nos cupientes* &c. *demum ad te Ordinis Prædicatorum Professorem* &c. *direximus oculos mentis nostræ* &c. *teque illi præficimus Episcopum & Pastorem* &c. *Datum Romæ apud S. Petrum II. Kal. Septembris Pontificatus nostri Anno tertio*. idest 1412.

Ejus vita quot ad annos producta fuerit, & anne suam adiverit Ecclesiam, nullia constat monumentis. Sed ante annum certe trigesimum Sedem Nicopolitanam vel morte, vel alia quappiam ex caussa reliquerat; nam eo tempore erat

O 2 VEN-

Digitized by Google

VENCESLAUS EPISCOPUS NICOPOLITANUS V.

Nominatus in diplomate, quo Eugenius IV. ei vita functo suffecit Hugonem; hinc de Venceslao nihil notum præter nomen.

HUGO EP. NICOPOLITANUS VI.

Hugo Ep. Nicopol. an. 1437. E familia Shenheim vel Germanus natione, vel Hungarus. Post actos sub disciplina Dominicana, & multa cum laude annos aliquot ab Eugenio IV. hoc Episcopatu ornatus est v. idus Augusti an. 1437. En diploma ex tom. 3. Bull. Dominic. pag. 221.

Eugenii IV. P. ad eum litteræ. *Eugenius Episcopus* &c. *dilecto filio Hugoni de Shenhein Electo Nicopolit.* &c. *Attentæ considerationis intuitum* &c. *Dudum siquidem bo. m. Wenceslao Episcopo Nicopolitano* &c. *Nos cupientes eidem Ecclesiæ, cum vacaret*, &c. *utilem & idoneam præficere personam* &c. *Postmodum præfata Ecclesia per ob. dicti Wenceslai Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, Nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta* &c. *demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, Theologiæ Professorem*, &c. *dereximus oculos mentis nostræ* &c. *teque illi præficimus Episcopum & Pastorem* &c. *Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo Tricesimo Septimo, Quinto Idus Augusti, Pontificatus Nostri Anno Septimo.*

Interregnum alterum Episcopale. Cætera Hugonis acta ignota. Secutum postea est Interregnum Episcopale annorum circiter octoginta, cum Bulgaria universa diuturnis bellis lacerata fuit, & capta a Turcis Constantinopoli, everso Græcorum imperio, profligatis Hungaris Mohacziana clade, de qua in Ecclesia Sirmiensi tom. 7. in barbarorum incidit potestatem. Sæc. XVI. duos comperio Nicopolitanos Episcopos, Titulares dicerem, adempta iis suæ Ecclesiæ adeundæ facultate. Prior est

ALBERTUS EP. NICOPOLITANUS VII.

Albertus Ep. Nicopol. an. 1518. A Leone X. creatus VII. Kal. Junias an. 1518. die Veneris; ex actis Consistor. a Fontana citatis in Theat. Dominic. Patria illi Panormum, cognomen de Natis, vel de Nasis; Dominicani Ordinis leges, & sacra amplexus instituta vitæ sanctimonia, & doctrina Episcopalem sibi dignitatem promeruit. Consecratione suscepta, cum aditus ad suam Ecclesiam præclusus esset ab immani Turca, Vicarium munus exercuit in Ecclesia Amalphitana pro Ferdinando Pocceto Archiepiscopo & Cardinali, uti affirmat Fontana ex iisdem actis Leonis P. Habeo & ego excerpta quædam ex actis Consistorialibus; ac Tom. I. qui ab an. 1517. ad an. 1549. ea comprehendit, hæc legimus. 28. *Maji* 1518. *providit* Leo X. *F. Alberto de Nasis Ord. Præd. de Eccl. Nicop. in p. Infid. concessitque Pontificalia in diac. Melph. eo quod non teneatur.* Et cum Nicopolis Bulgarica tum jugo Turcarum subesset, recte *in partibus Infidelium* ponitur; nec est potior ratio, cur, ut Fontana mavult, Albertus fuerit Nicopolitanus in Romania Antistes, qui nec Vicarius revera dici debet Archiepiscopi Amalphitani. Transiit deinde ad Panormitanum, & ad Montemregalem administrandas vicario opere diœceses; de quo hæc scribit Joannes Aloysius Lellus in descriptione Templi maximi Montisregalis, ubi de Archiepiscopis disserit hujus Ecclesiæ pag. 67.

Die 4. *Februarii* 1531. *D. Placidus Neapolitanus Monachus Congregationis Montis Oliveti, Vicarius & Visitator sui Ordinis in regno Siciliæ possessionem Archiepiscopatus tradidit Alexandro Galletio Præsidi Montisregalis, & curatori generali Cardinalis (idest Pompei Columnæ Archiepiscopi) & sua in sede posuit Magistrum Albertum de Nasis Episcopum Nicopolitanum ejus Vicarium generalem.* Vicarius Archiepisc. Montisregalis.

Sed paucos post menses vita excessit; quod asserit Cavallerius tom. I. pag. 349. hisce verbis; *D. Albertus Ordinis Prædicatorum Episcopus Nicopol. Vicarius Panormi & Montisregalis obiit* XXVII. *Maji MDXXXI.* ejus obitus. Huic successit

FRANCISCUS II. EPISCOPUS NICOPOLITANUS VIII.

Franciscus II. an. 1544. Erat natione Hispanus cognomento Robles, in Valentino Cœnobio Dominicanam vestem induit, & meritis clarus a Paullo III. Episcopus renuntiatus est pridie non. Junias an. 1544., ex Reg. Cancell. Apost. inquit Fontana part. I. Theat., tit. 422. qui hunc uti Albertum, de quo superius, Nicopolensi in Thracia, seu Romania Ecclesiæ attribuit; & si id probaret utrumque e nostra serie expungerem. Dicitur Franciscus Suffraganeus Archiepiscopi Tarraconensis in Append. de Episcopis a Paullo creatis tom. IV. Bull. Domin., & IX. Kal. Junii an. 1558. vita functus est. obit. tertium interregnum Episcopale.

PHI-

Digitized by Google

PHILIPPUS STANISLAUS EPISC. NICOPOLITANUS IX.

Philippus Ep. Nicop. an. 1656. Post annos fere centum ab obitu Francisci, cum Bulgarica provincia pacatior esset, & Ecclesiæ latinæ fortasse minus a Fidei hostibus vexarentur, novum creare libuit Alexandro VII. P. Nicopolitanum Antistitem an. 1616. Fuit is Philippus Stanislaus, cujus ignotum mihi cognomen, e gente ortus Paulianistarum; sed in Collegio Illyrico Lauretano Catholicis doctrinis & moribus rite pieque excultus, & sacerdotio ornatus ad Episcopale fastigium conscendit; hæc ex monum. Sacr. Congreg. & Coll. Ill. Lauret. mss. Verum inquieti animi vir & ambitiosi vix suam Ecclesiam adiit, & offensioni esse cœpit aliis Episcopis, quorum diœceses suopte arbitrio, nulloque jure invaserat, causam prætexens sui Episcopatus fines sibi certos non esse. Cumque cedere obstinate nollet æqui veriqne probationibus, delata res est ad Patres Sacræ Congregationis, a quibus, probe jam cognito contumacis hominis ingenio, quodvis Pontificale munus illi fuit interdictum. Deinceps vitam egit vagam & inertem, ac animarum saluti lingua & actibus exitiosam; de quo valde queritur Franciscus Soymirevichius Archiepiscopus Achridanus, eique datum munus fuit a Sacr. Congreg. ut hanc Ecclesiam lustraret; hæc ex suis ad Sacr. Congreg. litteris XV. Kal. Martias an. 1666. Quo anno Philippus obierit, nescio, nec cui commendata fuerit Ecclesia Nicopolitana, postquam Petrus Sophiensis Archiepiscopus ob locorum distantiam ejus administrationem recusavit.

cui munus Episcopale interdicitur.

ALBERTUS II. EPISCOPUS NICOPOLITANUS X.

Albertus II. Ep. Nicop. an. 1690. E familia Ragusina de Thadæis ortus est. Cœlesti ductus instinctu Ordini Dominicano nomen dedit; tantumque pietate doctrina, & sapientia profecit, ut Theologiæ magisterio primum, deinde Prioris sæpe, ac semel Vicarii Generalis munere perfunctus fuerit, omnibus æque charus suavitate morum, ac gravitate honorabilis; quo etiam tempore fundamenta jecit Cœnobii S. Rosæ Vallis nucis nuncupati. Animarum saluti sese addixit impense quovis religionis officio; nec veritus est, cum funesta lues Ragusii grassaretur, eo morbo ægrotis adesse, omnemque animæ, & corporis curam impendere. Interea divinæ opis prodigio evenit, an. 1683. ut Viennensi clade attritis Turcarum viribus, & cæsis fugatisque in Thraciam hostium copiis, Leopoldus I. Imperator victricia signa trans Danubium inferret, & Bulgaricam provinciam, magna ex parte, ipsamque Nicopolim in libertatem vindicaret. Hinc pius Imperator religionis restituendæ ac tuendæ cupidior, quam imperii amplificandi, ut aliis Episcopalibus Ecclesiis, quæ in ejus devenerant potestatem, ita Nicopolitanæ nominatum a se Antistitem præfici curavit Albertum an. circ. 1690., cujus præclara merita sibi erant perspecta. Et ille quidem, annuente Pontifice Alexandro VIII. grave onus susceperat, sed anteactæ vitæ laboribus pœne absumptus biennio post in Ragusino Cœnobio piissime decessit die 2. Novembris an. 1692. ex monum. mss. Cœnobii Dom. Ragus. Haud multo post Nicopolitana Ecclesia & diœcesis maximo cum animarum & rei Christianæ detrimento in barbaricam regredi servitutem coacta est. ejus obitus.

P. Julius Cordara S. J. in hist. Collegii Romani Germanici-Hungarici nominat inter illustres Alumnos Joannem Balthassarem Lieschium Episcopum Nicopolitanum, Suffraganeum & Administratorem Episcopatus Wratislaviensis, nulla anni nota præfixa. Siquod certius mihi esset monumentum, locum ei post Albertum tribuerem; videtur enim hoc circ. tempore electus, & titulo nostræ Ecclesiæ donatus; sed illius meminisse satis est.

NICOLAUS EP. NICOPOLITANUS XI.

De quo T. 6. in Archiepiscopis Ragusinis plura diximus, p. 281. addo hic de illius consecratione Episcopali testimonium ex libr. diversorum Curiæ Archiep. Ragus. ad an. 1753. num. 22. *Die prima Julii 1753. Illustriss. & Reverendiss. D. D. Hyacinthus Maria Milcovich Archiepiscopus Ragusinus una cum Illustritsimis & Reverendiss. Dominis Sigismundo de Tudisio Mercan. & Tribun. Ep. & Petro Budmani Stagnensi Ep. suis Suffraganeis consecravit in Ep. Nicopolitanum in Eccl. Monialium S. Mariæ de Castello R. D. Nicolaum Puliesi Presbyterum Ragusinum electum a Sacr. Congr. de Propaganda Fide.* Nicolaus Ep. Nicop. an. 1751.

PAULLUS EP. NICOPOLITANUS XII.

Natus Philippopoli in Bulgaria, & honesta familia Dovaulia an. 1704. & huic Ecclesiæ præpositus a Pio VI. P. XVII. Kal. Octobris an. 1776. Ejus gesta, & mortis tempus nos latent. Paullus Ep. Nicop. an. 1776.

FOR-

Digitized by Google

FORTUNATUS MARIA EPISCOPUS NICOPOLITANUS XIII.

Fortunatus Maria Ep. Nicopol. an. 1815.

Cognomine Herculanus e piissima Passionistarum familia, a Christi Domini Passione, quam ejus alumni præcipuo cultu venerantur, ita nuncupata. Illum huic Ecclesiæ præfecit Pius VII. Pontifex XIII. Kal. Junias an. 1815., tradita eidem totius Bulgariæ & Valachiæ laboriosissima ac periculi plena administratione ob Mahumetanam tyrannidem, & Schismaticorum insolentiam, quos etiam in Nicopolitana diœcesi haud ampla ægre fert esse admixtos sub Nicopolitano Græci dogmatis Antistite.

EPISCOPI ABRITENSES.

Abriti, &

ABritum ignobile olim Mœsiæ inferioris oppidum, in Historia Miscella Forum etiam Terebronii dictum fuit; fortasse Trebonii Forum. *Ara Decii* nominatur a Pomponio Læto auctoritate Jornandis, ibi enim Decius Imperator, dum contra Barbaros pugnat, paludis gurgite haustus periit; & ne cadaver quidem potuit unquam inveniri. In Chronico Cassiodori legitur Abricium, & perperam Thraciæ tribuitur. Nunc nec loci, ubi fuerit, vestigium superest. Ecclesia Abritensis, Episcopali honore prædita fuit, & Marcianopolitano Metropolitæ paruit; cujus initia, uti & aliarum ejusdem provinciæ Ecclesiarum, quas heic describimus, referri debent ad Apostolicas SS. Petri & Clementis per Illyricum ipsasque Mœsias ac Dacias peragrationes. Vide Tom. I. Sed qui Episcopi Abrito præfuere, prorsus ignoti, præter duos. Sunt vero

Ecclesiæ Abritensis descriptio.

MARCIANUS EP. ABRITENSIS I.

Marcianus Ep. Abritensis an. 431.

Cum Nestorianæ hæresis procella ferveret, is visus est in Nestorii partes inclinare; nam in Ephesino Conciliabulo subscripsit epistolæ; quæ pro Nestorio ad Ecclesiam Hierapolitanam missa est, & ad Joannem Antiochenum ejusdem factionis fautorem vehementissimum; *Marcianus episcopus Abryti*. Resipuisse tamen creditur; etenim abest ejus nomen e catalogo Antistitum, quos Synodus Ephesina anathemate confixit, & e gradu dejecit. Vitam perduxit ad an. 458. quo epistolam Synodicam provinciæ Mœsiæ inferioris ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Patriarchæ Alexandrini suo nomine obsignavit; *Marcianus episcopus ecclesiæ Abryticæ*.

URSUS EPISCOPUS ABRITENSIS II. AC POSTREMUS.

An. 787. interfuit Nicæno Concilio II. adversus Iconoclastas; *Ursus episcopus Avaritianensium ecclesiæ* subscriptus est act. IV. *Ursus episcopus Hibaritensium ecclesiæ* nominatur initio act. VII. & in fine *Ursus episcopus sanctæ Avaritianensium ecclesiæ* Synodi dogmata confirmat. Ursus Ep. Abritensis an. 787.

EPISCOPI APPIARIENSES.

Appiariæ notitia.

AD Danubium sita Appiaria erat, auctore Antonino in Itiner., & in Mœsia inferiori, seu secunda; qua in urbe *milites tertii Nauclarii, & Cuneus equitum Scutariorum*, qui classem sequebantur, stationem habuere; & in insignibus, quæ præferebant Duces Mœsiæ secundæ, visitur Appiaria in speciem turritæ ædis expressa apud Pancirolum in Not. Imp. Nihil de illa memoriæ proditum in Romana historia. Sub suis Episcopis Christiana floruit religione; e quibus duorum tantum supersunt nomina sæc. V.

LUPICINUS EP. APPIARIENSI I.

In causa S. Joannis Chrysostomi adversum Theophilum Alexandrinum astitit Joanni; & ab eo ad Theophilum missus est, ut illum colloquii causa Chalcedonem invitaret, in pollicebatur Joannes sese ab adversariorum calumniis facile vindicaturum; *misimus ad eum episcopos, Demetrium episcopum Pisinatium, Eleusium Apaoniæ, Lupinum Apiariæ* &c. inquit Joannes in ep. prima ad Innocentium I. P., & in actis Synodi ad Quercum an. 403. in qua Joannes iniquissime condemnatus est, *Lupicinus Apiariæ, Demetrius Pessinuntis, Euly-* Lupicinus Ep. Appiariensis an. 403.

Evlysius Apamea viri sancti, & fide digni memorantur Joannis legati ad Teophylum; quæ Lupicini sanctitatem testantur; cætera illius gesta oblivione deperdita sunt.

MARTIALIS EPISC. APIARIENSIS II. ET POSTREMUS.

Martialis Ep. Appiariensis an. 548.

Synodicæ epistolæ Coepiscoporum Mœsiæ secundæ ad Leonem Imp. subscriptus est *Marcialis episcopus civitatis Apiarensis;* an. 458.

EPISCOPI AXIOPOLITANI.

Axiopolis descriptio.

URbem Axiopolim in Mœsia inferiore collocat Ptolemæus, & post illum Cellarius; iisque urbibus adnumeratur, quas Danubius alluit, ubi Romani aggeres pulcherrimo ordine exstruxerant, uti Marsilius animadvertit in suo Prodromo Itin. Danub. In tabula Theodosiana locum obtinet inter Sucidavam & Copidavam ad Danubium; sed utriusque oppidi, & ipsius Axiopolis vix nomen reliquum est. Copidavæ mentio inest in not. Imp., ibi *Cuneus erat equitum Solentium,* qui a Sole Ciliciæ oppido ita appellati; Sucidavæ figuram exprimit ingens ædificium in insignibus Ducis Mœsiæ secundæ in notit. eadem. hoc vero in loco *Cuneus equitum Scutariorum* in stativis degebat. Sed & Axiopoli *milites superventores* habitare soliti fuerunt, qui nimirum ab aliis separati repentino incursu hostes aggrederentur; & ibidem sedes erat *Præfecturæ ripæ legionis secundæ Herculeæ, cohortis quintæ pedaturæ inferioris* scilicet *mansionis militaris.* Hinc cognoscimus non exiguam hanc urbem fuisse, situ præsidiisque valide munitam, & magni momenti habitam a Romanis, quippe quæ primis barbarorum aggressionibus ea parte objecta. Baudrandus duas Axiopolis videtur distinguere; quæ in Mœsia una, altera quæ in Bulgaria; verum Bulgaria hodierna ipsissima est Mœsia inferior; nec placet nominis etymon ab Axio flumine, quod eis Hæmum ortum per Macedoniam in sinum Thermaicum devolvitur; & ab Hæmi jugis longissime Danubius distat, cujus ripæ assidebat Axiopolis. Opinio nonnullorum est, Danubium eo in loco in Pontum decurrere mutato nomine; & quæ pars fluminis ex Occidente vergit in Orientem solem Axiopolim usque, Danubium appellari soleat; inde vero ad Euxinum usque Istrum dici; sed potior est Strabonis sententia, quam Marsilius amplexus est, hanc nimirum nominis mutationem fieri ad Danubii cataractas, uti ajunt, ubi inter præruptas angustias duo fluvii Lippus & Coloviczius in Danubium irrumpunt, ejusque aquis immiscentur.

Martyres Axiopolitani.

Axiopolis ab antiquo Christianis imbuta fuit mysteriis & doctrinis; testes enim sunt aliquot martyres, qui Christi religionem hac in urbe effuso sanguine confirmarunt; quo tamen anno ab Hagiologis ignoratur. Quattuor equidem apographa martyrologii Hieronymiani hanc nobis formulam exhibent; *septimo Idus Maji in Axiopoli Quirilli, Quindei, Zenonis;* eadem est in Rhabano, Notkero, & Beda non genuino, & in mss. Trevirensi, S. Maximini, & Aquisgranensi; in Cod. Reginæ Sveciæ pro *Quindei* legitur *Gindei* & *Zindei;* hunc omittunt, Richenoviense & Rhinoviense mss.; in Altempsiano, Corbejensi uno, Atrebatensi & Tornacensi solus *Quirillus* nominatur. Locus martyrii deest in Augustano, Labbeano, Tamlactensi Codd. & in additamentis Usuardinis Grevenii. Ms. Pragense *Quirillum* habet & *Zenonem;* alia unum *Quirillum*, alia *Zenonem* unum. Galesinius eumque secutus Ferrarius, Quirillum, Zenonem, & Timotheum Romæ martyrium subiisse commemorant; erravit tamen Galesinius sui Codicis testimonio fretus, quem Henschenius docet erroribus scatere innumeris; cum sexdecim Bollandiani Codices, iique optimæ notæ & Axiopolim præferant, & trium martyrum nomina *Quirilli, Quindei.* ac *Zenonis.* Adde his martyrologium S. Savini de Levitania apud Saussajum, ubi die octava Aprilis hæc legimus; *in Axiopoli natale SS. Cyrilli, Guidei & Zenonis;* in Kal. vetusti Breviarii Boll. notatur unice *VII. id. Maji S. Quirilli martyris;* hæc ex Henschenio tom. 2. Martii Boll. quare de Axiopolitano martyrio *Quirilli, Quindei* & *Zenonis* dubitare prorsus non licet.

Die insequenti VI. id Majas antiquissimo Codice Hieronymiano Epternacense hi martyres inscripti; *Axiopoli Cyrilli, Cendis, Dionis, Acaici, Cripionis, Zenonis;* in apographo Corbejensi edito Parisiis *Dionii, Accisi, Crispionis* cum cæteris; Codex Lucensis *Cendeis, Dionis, Acaci, Crispionis* meminit, uti & ms. Blumianum, cui deest *Acaci;* sed Trevirense S. Maximini *Acacum*

cum exprimit & *Crispionem; Acacius* seu *Achaticus, Cyrillus, Crispio* indicantur in mss. Pragensi & Coloniensi S. Mariæ ad Gradus. At Codex Richenoviensis præfert unice *Axiopoli S. Cyrillus;* ita mss. Trevirense S. Martini, Augustanum S. Udalrici, Parisiense Labbei, Florarium Sanctorum, Calendarium tertium & quartum Michaelis Monaci; denique in ms. Casinensi, *S. Cyrillus Episcopus*. Ambigit hic Henschenius, an tres ex hisce *Cyrillus, Cindeus,* & *Zeno* iisdem sint cum *Quirillo, Quindeo*, & *Zenone;* quam dubitationem meo quidem judicio adimit ms. Hibernicum monasterii Tamlactensis; ibi quippe mentio inest hac die *Quirilli, Cindei, Zenonis,* tum *Dionini, Achaci, Crisponis;* tres primi cum pridianis conveniunt, alii tres cum iis, qui in laudatis codicibus describuntur. Quare, si corrupta nomina emendes, ego quidem ita sentio, *Cyrillum, Quindeum, Zenonem* VII. id. Maji, *Dionem, Acacium, Crispionem* postridie Axiopolitanam Ecclesiam martyrii coronis nobilitasse; etsi trium priorum memoria iterum in citatis Codd. fuerit inscripta.

His adjunge *Hireneum, Eraclium* & *Dasium*, de quibus ita codex vetustissimus Epternacensis die V. Augusti; *In Axiliopoli,* corrige *Axiopoli, Hirenei, Eracli, Dasi;* nec aliter in Codd. Reginæ Sveciæ, Richenoviensi aliisque; cum in Laterculo Florentinii confusa, & male iterata sit formula; *Natalis sanctorum Herenenci; Heracli Dassi. Acsiopolim Herenei, Dassi, Heracli;* tum in Corbejensi & Centulensi; *Natalis sanctorum Herenti, Heracli, Dassi. Axiopoli Hereni, Heracli, Dassi;* vide tom. 2. Aug. Boll., & e catalogo martyrum Illyricorum tom. 1. Op. nostri pag. 445. in Axiopolitanis expunge *Timotheum*, & pro *Erucio* corrige *Eraclio*. Hosque omnes in persecutione Diocletiani occubuisse affirmat Farlatus. Axiopolim inter Episcopales Ecclesias Mœsiæ secundæ Lequienius enumerat tom. 1. Orient. Christ. eumque illius Episcopum Cyrillum, de quo Casinense ms. Bolland. sed hujus solius auctoritas parum valet præ laudatis Codd. & mss., in iis enim Episcopalia titulus abest a Quirillo seu Cyrillo; nihilo tamen minus illius nomen hic adscribo; licet a Carolo a S. Paulo, & ab Holstenio Axiopolitanus Episcopatus rejiciatur.

S. CYRILLUS EP. AXIOPOLITANUS UNICUS.

Clarus martyrio, sub Diocletiano Imp. & dux martyrum suæ Ecclesiæ, quibus sanctitate, sermone, & exemplo præivit, animosque addidit ad victoriam de persequutoribus assequendam. S. Cyrillus Ep. Axiopolitanus.

EPISCOPI COMEENSES.

Comæa urbs ignobilis. Exigui nominis & obscuri videtur Comea, seu Comæa fuisse, quam nulli ferme Scriptores nominant præter Teophanem & Paullum Diaconum in hist. misc. Hanc, Mauritio Imp., Avares in Mœsiam inferiorem impetu facto occupare nisi sunt, frustra tamen, a Romanis inde repulsi sæc. VI. Nunc urbis vestigium nullum. Episcopatus Comeensis ante sæc. IV. institutus jam fuerat, ac subjectus metropolitæ Marcianopolitano, &

MARCUS EPISCOPUS COMEENSIS UNICUS.

An. 325. interfuit Concilio Nicæno I., & cum tercentis octodecim sanctissimis Patribus Arium damnavit; in Catalogo Antistitum Nicænorum *Marcus Eubææ Comeensis* provinciæ Mœsiæ; in altero e ms. Parisiensi Soc. Jesu, & Colbertino *Marcus Comensis* in provincia *Europes;* in Pitheano, *de provincia Masiæ Marius Comeæ* dicitur; eumque *Marium* nominat etiam Carolus a S. Paullo, quare in Catalogo Nicæno perspicuus error deprehenditur; & pro *Evbææ* vocabulo aliud reponendum *Europes*, ubi utraque Mœsia superior & inferior. Marcus Ep. Comeensis an. 325.

EPI-

Digitized by Google

EPISCOPI DOROSTORENSES.

Dorostori situs,

DOrostorum, & *Durostolon* apud Ptolemæum, *Dorostean* in Jornande, urbs Mœsiæ secundæ clarior exstitit Christianæ religionis cultu, quam civilibus ornamentis. Legio XXI. Claudia ibi præsidio erat; teste Antonino in Itiner. & Legio I. Italica, Ptolemæo auctore; quin etiam Milites quarti Constantiani, uti refert Notit. Imp. in ea urbe stativa habuere; quare videtur haud longe a Danubio abfuisse validis instructa munitionibus adversus hostiles barbarorum aggressiones. A Græcis scriptoribus sequioris ævi *Drista* & *Dristra*, a Curopalate *Rhodostolon* vocatur; Lazius nunc *Doram* ait appellari. De Dorostorensi Episcopatu nemo est qui ambigat; & quamvis priorum Antistitum perierint nomina, ad ipsa fere Ecclesiæ exordia illius institutio referri debet. Equidem ante sæc. IV. tanto ardore fidei flagrabat Dorostorensis Ecclesia, ut plures in ea martyres pro Christi nomine ad necem usque decertaverint, Alexandro Sever. Imp., sæc. III. cui eorum martyrum affigimus, & acta ordinate disponemus.

& Episcopatus antiquitas.

Martyres Dorostorenses sæc. III. Valentio, Pasicrates & socii.

Igitur e fastis ecclesiasticis primi nobis innotescunt Pasicrates, Valentio & socii ignoti nominis. Uterque patria Dorostorensis, uterque miles legionarius, Claudiæ fortasse legionis, de qua paullo superius; Valentio triginta, Pasicrates viginti duos annos natus, cui mater astitit forti animo, & ut cæteris præiret, hortata est. De his Usuardus, Ado, Notkerus, aliique Martyrologi meminere die Maji 25., qua martyrologium Romanum hæc exhibet. *Dorostori in Mysia natalis sanctorum martyrum Pasicratis, Valentionis & aliorum duorum simul coronatorum;* antiqua vero Hieronymiana apographa habent *Policrati*, & *Polecrati*, & *Polegrati & aliorum quatuor coronatorum*. Apud Græcos dies horum cultui sacra est 24. Aprilis; & in Menologio a Sirleto edito tum in altero Basilii Imp. plurimum celebrantur; in hoc vero Dorostorum Macedoniæ tribuitur, quia Mœsia illius provinciæ Præsidi, ceu Vicario quandoque subjecta fuit. Sed in Menæis fusius martirum nostrorum acta describuntur, quæ hic ex tom. 6. Maji Bol. subjicio.

eorum acta.

Erant hi ex Rhodostolo Mysiæ oriundi, legionarii milites sub Præfecto provinciæ Ausulano; qui impietatem mortalium idolis adsilientium intuiti, reliquis plerisque supra metu e foro subducentibus, & occulentibus, libere se palam Christianos professi sunt: quos ab idolorum cultoribus comprehensos, & ad Magistratum adductos, Prætor dys adolere cogebat. Quod uterque recusavit, atque Pasicrates quidem ostensum sibi Apollinis idolum accedens conspuit: & hic cultus inquit ipsum magis decet. Ergo catenis oneratum in caveam compingunt: quibus vinculis Pasicrates perinde triumphabat, atque si aureos torques gestaret, ut quæ essent instrumenta malorum, quæ pro Christo sustinebat, & per quæ se salutem certam consecuturum sperabat. Rursus autem astantibus illis ad tribunal Præsidis, accessit ad Pasicratem Pappianus, germanus illius frater; & lacrymabundus suadebat fratri, uti thus idolo adoleret, & cederet ad tempus necessitati, quemadmodum & ipse fecisset. Frater enim ex meliorum, & futurorum contemptu, ac præsentium bonorum desiderio, metuque suppliciorum, a Christi fide apostata defecerat. Quem S. Pasicrates exsecratus, suo sanguine, & genere indignum proclamavit, nec idoneum, cujus consilium, ut a fide Christi nefarie desciverit, audiretur. Ergo accedens ad aram manum in ignem injecit, & Præsidem ita alloquitur: Caro quidem (ut vides) mortalis, & mortali conditione creata, igni cedit, atque absumitur, sed anima, concretionis expers, & immortalis, flecti non potest iis passionibus, quæ sunt oculis subjectæ, perstatque immota, & nullis tormentis cedit, immortali vitæ desponsa, & destinata. Cum autem Valentio, an cum Pasicrate sentiret, rogaretur, illeque constanter affirmaret, in utrumque sententia capitis pronuntiatur. Ajunt autem Pasicratem a matre ut præiret admonitum, & ferrum constanter exciperet. Erat Pasicrates, cum secuti feriretur, annorum viginti duorum, Valentio triginta.

Pasicrates Idolum conspuit.

Fratrem apostatam reprehendit.

Manum igni imponit.

Et ambo capite plectuntur.

Eodem mense, ac die 27. sed anno fortasse insequenti, alius ex iisdem Pasicratis & Valentionis castris exiit nobilissimus martyr nomine Julius, veteranus miles & emeritus, inquit Usuardus in martyrologio; (in Christiana verum militia stipendia nunquam confecerat) & ad certandum pro Christo rege promptissimus & pugnæ meritum, & victoriæ præmium est consecutus. Martyrologiorum scriptores fere omnes seu veteres, seu neoterici pluribus verbis celebrant Julii certamen; horum testimonia ex actis martyrii descripta ejus actorum auctoritatem comprobant; & hæc illa referre supervacuum censeo, cum integra acta jam exhibeam, quæ sincera visa sunt eruditissimo viro Ruinartio, & ab ipso edita in

S. Julius,

in suo opere de sinceris martyrum actis. Baronius in Martyrologio Romano hæc de Julio scribit hac die VI. Kal. Junii. *Dorostori in Mæsia B. Julii qui tempore Alexandri Imperatoris, cum esset veteranus & emeritæ militiæ, comprehensus ab officialibus Maximo Præsidi offertur; quo præsente cum idola execraretur, & Christi nomen constantissime confiteretur, capitali sententia punitus est.* Hic vero Ruinartius suspicatur Julii martyrium, cæterorumque, qui in actis memorantur, ad Diocletiani persecutionem posse congruentius referri; quod a Farlato præstitum est tom. 2. op. nostri; sed Baronii & Galesinii sententiam omnino non respuit, quam & nobis lubet sectari, & Alexandro imperante, Julium cum cæteris sanctis martyribus semet pro Christi fide capitali supplicio obtulisse statuimus. Licet enim is propenso in Christianos animo fuerit, eos tamen habuit in republica administros huic nomini iniquissimos, quorum consilio & opera Martyrum cædes aliquando perpetratæ sunt. Quod vero ad Julii acta pertinet, Godefridus Henschenius S. J. hæc primo in lucem protulit e Cod. Marci Velseri tom. 6. Maji Boll. at illa in Cod. archimonasterii S. Remigii Rhemensis denuo reperta Ruinartius cum Velseriano Henschenii, & alio Colbertino ms. collata edidit inter acta selecta; unde Julianis major inest fides & auctoritas; eadem porro hic subdimus illorum Codicum collatione, & notis illustrata.

ejus acta. (1) *Tempore persecutionis, quando glo-*
1 *riosa certamina fidelibus oblata perpetua*
promissa expectabant accipere; tunc com-
2 Julii confessio. *prehensus Julius* (2) *ab Officialibus obla-*
tus est Maximo præsidi. Maximus dixit:
3 *Quid dicis, Juli? Vera sunt hæc* (3) *quæ*
4 *dicuntur de te? Julius respondit:* (4) Ita
enim, Christianus sum. Non ego me a-
liud esse, quam sum, dico. *Maximus di-*
xit: Quid ergo? ignorasti præcepta Regum,
5 *quæ jubent immolari Diis? Julius* (5) *re-*
6 *spondit:* non ignoravi, (6) Christianus
7 vero sum: & hoc facere non possum, (7)
quæ vos vultis. Non enim me oportet
negare Deum meum vivum et verum.
Maximus dixit: quid enim grave est thu-
rificare, & abire? Julius respondit: Non
8 possum excedere (8) præcepta divina,
et infidelibus parere. Etenim in vana
9 militia, quando videbar errare in (9)
annis viginti, et sex, non tanquam sce-
lestus, neque quasi litigiosus oblatus sum
10 judici. Septies (10) in bellum egressus
sum; nemini de potestate restiti, nec ali-
quo deterius pugnavi. Princeps me non
11 vidit aliquando errare: et (11) modo pu-
tas me, qui in pejoribus fidelis fueram re-
pertus, in melioribus infidelem posse inve-
niri? *Maximus dixit. Quam* (12) *gessisti* 12
militiam? Julius respondit: Sub arma mi-
litavi, et ordine meo egressus sum vete-
ranus semper. Tamen Deum vivum, qui
fecit Cœlum, et terram, colui; etiam et
nunc fidelem exhibeo servitutem. *Maxi-*
mus dixit; Juli, video te sapientem, &
gravem virum. Immola ergo diis (13) *per* 13
suasus a me. Julius respondit: Non facio,
quæ desideras, neque incurram in pecca-
tum, et pœnam perpetuam. *Maximus di-*
xit: Si putas esse peccatum, mihi adscri-
batur. Ego tibi vim facio, ne videaris vo-
luntate adquiescere. Postea vero securus
vadis in domo tua. Accipies decem dena-
riorum (14) *pecuniam, & de cætero nemo* 14
tibi erit molestus. Julius respondit: Ne- Pecuniam respuit, &
que pecunia hæc Satanæ, neque tua sub- minas contemnuit.
dola persuasio privare me potest Domino
æterno (15). Deum enim negare non pos- 15
sum, da itaque sententiam adversus me,
quasi adversus Christianum. *Maximus* (16) 16
dixit: Nisi fueris Regalibus (17) *præceptis* 17
devotus, & sacrificaveris, caput tuum am-
putabo. Julius (18) *respondit:* Bene co- 18
gitasti. Obsecro itaque (19) te, pie Præ- 19
ses, per salutem Regum, (20) ut com- 20
pleas cogitationem tuam; et des in me
sententiam, ut perficiantur vota mea. *Ma-*
ximus dixit (21): *Si non vis pœnitere,* 21
& (22) *sacrificare, tuo traderis desiderio.* 22
Julius (23) *respondit:* gratias ago si fece- 23
ris. *Maximus dixit: Tu* (24) *quidem fe-* 24
stinas mori. Et putas te pro aliqua laude
pati. Julius dixit: Hoc si mereor pati, per-
petua mihi manebit gloria. *Maximus dixit:*
Suaderetur tibi f. si *pro patria, & legibus*
patereris, haberes perpetuam laudem. Ju-
lius respondit: Pro legibus certe hoc pa-
tior, sed pro divinis. *Maximus dixit:*
Quas mortuus, & crucifixus vobis tradidit.
Vide quam stultus es, qui plus mortuum
facis, quam Reges, qui vivunt. Julius
respondit: Ille mortuus est pro peccatis
nostris ut nobis vitam donaret æternam.
Deus vero est permanens in æternum,
quem si quis confessus fuerit habebit vi-
tam æternam; qui autem negaverit, habe-
bit pœnam perpetuam. *Maximus dixit Con-*
doleo tibi, & do consilium, ut magis sa-
crifices, & vivas nobiscum. Julius respon-
dit: Si vixero vobiscum, mors mihi est;
si autem mortuus fuero, vivo. *Maximus*
dixit: Audi me, & sacrifica; ne te, ut
promisi, occidam. Julius respondit. Hoc
est quod frequenter rogavi, si merear ut
facias. *Maximus dixit: Elegisti ergo magis*
mori, quam vivere. Julius respondit: Ele-
gi mori ad tempus, vivere autem in per-
pe-

Digitized by Google

sententia in eum lata. petuum. *Sic Maximus Præses dedit sententiam. Julius nolens præceptis Regum*
25 *adquiescere, capitalem accipiat* (25) *sententiam.*

Cum autem ductus fuisset ad locum solitum S. Julius, osculabantur eum omnes.
26 *Beatus autem Julius* (26) *dicebat: Unus-*
27 *quisque* (27) *videat qualiter oscules. Esy-*
28 *chius* (28) *autem quidam Christianus cum esset miles, & ipse custodiretur, dice-*
29 *bat* (29) *Sancto Julio Martyri. Obsecro te Juli, cum gaudio comple pollicitationem*
30 *tuam, & accipe coronam,* (30) *quam Dominus confitentibus se dare promisit, & memor esto mei, nam & ego subsequor te. Plurimum etiam saluta Pasicratem, & Va-*
31 *lentionem,* (31) *famulos Dei, qui nos jam per bonam confessionem præcesserunt ad Dominum. Julius vero osculans Esychium,*
32 *dixit:* Frater, festina (32) venire. Mandata enim tua jam audierunt quos salu-
33 tasti (33). *Et hæc dicens S. Julius acce-*
34 *pit* (34) *orarium, & ligavit oculos suos,*
35 *& tetendit cervicem suam* (35), *& dixit: Domine Jesu Christe, pro cujus nomine hæc patior, cum Sanctis tuis meum collocare digneris spiritum. Minister itaque Diaboli educens gladium finem imposuit beatissimo Martyri. Martyrizatus est autem venerabilis Dei famulus Julius apud Provinciam Masiam in civitate Dorostense,*
36 *die VI,* (36) *Kal. Jun. agente Maximo Præside, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.*

N O T Æ.

1 Cod. Vels. hoc initium. *Ecce Sanctissimus Julius dignus habitus gratia Dei: ecce sicut vere spiritalis juvenis exercitus Christi: ecce Martyr Carissimus, propter Regnum Domini, similia passus eis, quæ erga B. Passicratem. Erat quidem hic secundum seculi hujus militiam prememoratis viris commilitans, deinde æmulatione religionis imitator effectus eorum, qui ante eum martyrizaverunt, heredes quidem effecti Dei, cohæredes autem Christi. Cum enim crescerent ea, quæ secundum impios erant; cum præcepta contra omnes decurrerent, sacrificare jubentia dæmoniis, similia perditis operari non acquievit Sanctus; sed apud se occulte fidem Dei salvabat. Et quidam de germine invidi, & odientis bonum diaboli, delatat quidem virum Præsidi, incusat autem fidem, & in palam perducere non devitavit. Transiens itaque in medium incusabat; Humanissime Preses, Julius iste Christianus est, & non vult præceptis regalibus obedire.*

2 *Officiales* in martyrum, aliisque antiquioribus monumentis *Apparitores* sunt, qui Magistratuum ac Præsidum jussis præsto aderant, & reos comprehensos ad tribunal adducebant. v. Bar. in Martyrol. die 27. Maji.

3 Vels. omittit *quæ dicuntur de te.*

4 Vels. *ita; Christianus sum.*

5 Vels. *dixit.*

6 in Vels. *non ignoravi quidem; Christianus autem sum.*

7 in Vels. *& negare Deum,* omissis cœteris.

8 Vels. *non possum excedere, & Julius dixit; infidelis apparere Deo meo.*

9 Colb. & Vels. *totis viginti septem annis.*

10 Ead. *sexies;* Vels. *nemini de post steti, nec alicujus deterius pugnavi.*

11 Vels. *& quomodo putas qui in pejoribus fidelis repertus est in melioribus infidelem esse?*

12 *quam gessisti militiam* &c. *usque immola ergo* &c. Vels. omittit.

13 in Vels. *Juli, immola diis; mihi imputetur hoc peccatum; cum violentia immolans non habes peccatum; postea vades in domum tuam* &c.

14 Vels. *accipiens decennaliorum pecuniam.*

15 Vels. & Colb. *subdola doctrina privat me a lumine; æternum Deum* &c.

16 Vels. *Præses.*

17 *regibus* in Vels.

18 Vels. *dixit.*

19 *itaque* deest in Vels.

20 *per salutem tuorum regum comple cogitationem tuam & da sententiam de me.* Vels.

21 Vels. *Maximus Præses.*

22 *sacrificare* om. Vels.

23 *Julius dixit, gratias ego Deo meo.* Vels.

24 *tu quidem* &c. usque *Julius nolens* &c. in Vels. desunt.

25 Vels. *dabit.*

26 *beatus autem Julius.* Vels.

27 *unusquisque seit suum periculum, quali me osculatur ore.*

28 de S. Hesychio paullo inferius agemus.

29 Vels. *dicebat martyri.*

30 *accipe coronam; etenim ego subsequor te.* in Vels.

31 de his actum paullo superius; post *Valentionem* omissa cœtera in Vels. *usque Julius vero* &c.

32 Vels. *frater festina; mandata enim tua jam audierunt; sicut enim te, video nunc circumstantes me.*

33 *& accipiens oralem ligavit oculos suos.* Vels.

34 linteoli genus, quo etiam reorum oculi obteguntur, dum pœnam capitis subeunt.

35 *suam* om. Vels.

36 ita martyrologia omnia præter Bruxellense ecclesiæ S. Gudulæ, in quo dies signatur XIV. Junii; martyrii vero annus est CCXXVIII. apud Baronium in Annal.

SS. Hesychius, Anno eodem, ac dimidio fere mense Junio Hesychius quidam, miles, uti videtur, ejusdem, ac Julius aliique jam laudati martyres, legionis, eorum certamen æmulatus est & victoriam. Ejus fidei robur, cœlestis gloriæ spes, & animi constantia satis proditur paucis iis verbis, quæ de illo in actis scripta sunt; qui demum XVII. Kal. Julias Dorostori capite plexus est. Ejus memoria colitur hac die in pluribus martyrologiis; in quatuor vero apographis Hieronymianis corrupte legitur; *In Dorostoro civitate natale S. Isici;* alia, quæ laudat Henschenius tom. 2. Junii Boll., præferunt *Isici* & *Isicii*, sed *Esichius martyr* est in Kal. ms. Carmel. Mechliniensium: in Romano autem Baronii, *Dorostori in Mysia sancti Hesychii militis, qui cum beato Julio comprehensus sub Maximo præside post eum martyrio coronatus est;* Ado, pseudo-Beda, & Maurolycus præsidem appellant *Maximianum*.

Marcus & Julius. Hisce & duos alios martyres Dorostorenses jungimus, quorum martyrii annus incertus, dies octava Junii. Unum proferunt mss. Hieronymiana Epternacense, Lucense, Blumianum; & alia cum Notkero. *In Dorostoro civitate natalis S. Marci;* duos ms. Corbiense; *In Dorostoro civitate natalis S. Marci & Julii;* nisi forte Julius hic idem sit cum Julio, de quo superius. *Marti* pro *Marci* habet antiquum Kalendarium præfixum Psalterio Monasterii Trevirensis S. Maximini.

Tot aucta suorum victoriis Ecclesia Dorostorensis alios in sinu fovebat Christianos pugiles, qui postea & in Diocletiani potissimum immani persecutione novis de impietate triumphis clarescerent; atque in his ad pugnam & coronam primus fuit e suis Episcopis, notus in historia Ecclesiastica

S. DASIUS EPISCOPUS DOROSTORENSIS I.

S. Dasius Ep. Dorostorensis an. inc. *Qui cum nollet in festo Saturni impudicitiis ejus consentire sub Ruffo Præside cæsus est,* inquit Baronius in martyrologio Romano die 20. Novembris, quo die colitur & a Græcis, uti ferunt eorum Menæa, & Menologium Sirleti, adjecto martyrii tempore sub Diocletiano & Maximiano Impp. sed anno incerto. Equidem Diocletianus ante initum sæculum IV. Ecclesiam turbare cœperat; & an. circ. 286. initia persecutionis plures pluribusque in locis Christiani experti fuerunt, ac deinceps, etiam in Pannoniis; universalis persecutio an. tantum 303. indicta est Nicomediæ, & decem continuos annos crudeliter sæviit; v. tom. 2. Igitur certi nihil constitui potest de tempore, quo Dasius martyrium complevit.

SS. Maximus, Quintilianus & Dada, Qui autem sequuntur martyres Dorostorenses, Maximus, Quintilianus Dada, Dasio præivisse videntur pro Christo interempti ipso incœptæ persecutionis anno 286., die vero 13. Aprilis. Nam in actis, quæ inferius sumus exscripturi, eorum martyrium affigitur an. 2. imperii Diocletiani, & Maximiani scilicet an. 286., qui verius Diocletiani tertius dici debet, & Maximiani secundus. A Latinis autem eorum cultui sacer dies signatur decimus tertius Aprilis; ita Galesinius, qui *Cintillianum* pro Quintiliano nominat, & in Græcia occubuisse illos per errorem affirmat; ita etiam martyrologium Romanum, in quo deest locus martyrii. Sed a Græcis quater in anno eorumdem nomina celebrantur; idibus primum Aprilis una cum Ecclesia Latina, uti in Menæis typis cusis, & mss. deinde IV. Kal. Majas in Synaxario Græco ms. Collegii Claromontani Soc. Jesu, & in Menologio Basilii Imp. qui revera dies est notatus in actis; tertio die secunda Augusti, cum eorum pretiosa lipsana inventa sunt Constantinopoli; cujus inventionis meminere Synaxarium & Menologium laudata, Menæa edita, & mss. Taurinensia; quarto demum V. Kal. Augusti ex citatis auctoribus & Menæis, in quibus hac die additur extra locum S. Callinicus, cum hic pridie cæsus fuerit in Cilicia, *certamen sanctorum martyrum Cyntiani, lege Cyntilliani, Dadæ, Maximi, & Callinici. Peragitur eorum solemnitas in Bighantio.* Elogia etiam, quibus horum martyrum virtutem ornant, longa oratione contexta sunt; quæ tamen hic non refero, cum eadem, quæ in actis, enarrent; & si aliqua deprehenditur varietas, lubet potius in notationibus ea subjicere, quæ animadversionem requirant. Porro acta ex ms. Codice Græco monasterii olim Cryptæ Ferratæ, deinde ad Vaticanam Bibliothecam delato in latinum sermonem convertit Daniel Papebrochius Soc. Jesu, edi- quorum hic acta exhibentur. ditque tom. 2. Apr. Boll. sed a Guillelmo Sirleto antea jam latina effecta evulgaverat Aloysius Lipomanus in tom. 7. de vit. SS. PP. Censet vero Papebrochius tum hæc, tum alia in laudato Codice Sanctorum acta a monachis Græcis ejusdem mona-

Digitized by Google

naterii fuisse descripta; & quamvis vitia-
tis librariorum culpa exemplaribus usi ali-
quando erraverint, uti suo loco notamus,
probata haberi debent, & digna, quibus
fides adhibeatur ab eruditis, & in re cri-
tica expertis hominibus; sunt autem hu-
jusmodi.

1 *Imperatoribus Diocletiano & (1) Maxi-*
Indicitur a Diocletiano persecutio. *miano hominibus impiissimis, & Tarquinio*
ac Gabinio Proconsulatum (2) gerentibus,
2 *anno imperii ipsorum (3) secundo diaboli*
3 *furor contra Christianos erupit. Ipsis siqui-*
4 *dem orbis terrarum regimen procurantibus, (4)*
emissum est ab iis decretum, quod dicto
eorum anno constituerant, in hanc senten-
tiam. Invenimus vos, quotquot nobis estis
subjecti, Deorum venerationi devotos; in
hoc igitur secundo nostri imperii anno con-
gruam curam gerentes, obsecramus & hor-
tamur omnes, qui his nostris temporibus
incolunt regionem istam, ut ad cultum &
amorem deorum omni modo studeant cun-
ctos inducere, si enim inventus fuerit ali-
quis quocumque in loco Christi virtutem
nominans, nostram contra se indignationem
suscitat. His auditis, concurrit populus ad
faciendum, quæ ab illis præscripta erant;
die autem constituto salutarunt Præsides
suos dicentes; Gratificentur nobis Domini
nostri, qui tam sollicite provident Deorum
honori. Respondit Tarquinius Consularis.
Quoniam tantam promptitudinem in vobis
reperio, me auctore atque hortatore, conve-
nite in crastinum, & diis offerte sacrifi-
cium; ut quoniam a longe advenistis, no-
biscum lætemini, & sic unusquisque vestrum
in propriam redeat civitatem. Postera igi-
tur die omnes accesserunt ad sacrificandum
diis suis; itaque dimisit eos Tarquinius
Præses, quemadmodum promiserat.

Postridie vero homo quidam furiosus Tar-
quinium adiens dixit; sunt tres viri, qui
hesterno die noluerunt mandatis vestris ob-
temperare, & diis sacrificare, dicentes eum
solum adorare se, qui in cælis est, Deum.
Tunc misit Tarquinius ministros suos, qui
5 *eos comprehenderent; euntes autem illi in-*
comprehenduntur sancti martyres, *venerunt ipsos in suo prædio, quod dici-*
tur (5) Ozobia Deo suo supplicantes, com-
6 *prehensosque ferreis vinculis ligaverunt, &*
confestim adduxerunt Dorostolum (6). In-
gressi autem sub vesperam nuntiarunt Tar-
quinio, comprehensos esse homines illos, qui
se Christianos esse dicunt. Quibus Tarqui-
nius Præses dixit; hac quidem hora non
eos statim suscipio; sed fidei vestræ usque
in crastinum custodiendos trado. Igitur mi-
lites prout sibi fuerat imperatum, custodie-
runt eos usque mane; ipsi vero tota nocte
orabant dicentes; Præbe nobis, Domine Je-
su Christe, cælestem tuam virtutem in au-
xilium, ut possimus superare adversarios
nostros, & pro tua benignitate dignos nos
effice, qui reportemus coronam victoriæ.

Die facto jubet Tarquinius coram se ad-
duci Sanctos; quos cum vidisset, & con-
templatus esset, dixit; Hiccine sunt, qui
nostris mandatis contemptis pro sua volun-
tate religionem habent? Et ad eos conver-
sus, primum, inquit, nomina vestra mihi
edicite. Respondit S. Maximus; ego qui-
dem secundum Christi fidem Christianus sum
sicut & hi fratres mei, secundum hominem
vero Maximus nominor. Cui Præses Tarqui-
nius, respondisti inquit, ut decet Cleri-
cum, (7) non diis, sed alteri cuipiam ser- 7
vientem. Iste autem alius, qui te sequi-
tur, & in hoc mihi resistit, quomodo vo-
catur? Ipse vero respondens dixit ei. Da-
das; nos autem etiam ita sumus, sicut &
frater noster, qui prior respondit. Tum
Tarquinius; quis autem tertius? S. Quin-
tilianus dixit. Quintilianus appellor. Chri-
stianus autem sum.

Magniliano autem Notario verba eorum & In judicium adducti.
utrinque excipienti dixit Proconsul Gabi-
nius; excepisti omnium nomina? Respondit
Magnilianus Notarius; si tua potestas ju-
bet, legatur textus. Dixit Gabinius Pro-
consul; legatur. Tunc Magnilianus Nota-
rius legens dixit; quæ ab hominibus acce-
pi nomina, hæc sunt, Maximus, Dadas &
Quintilianus. Tunc dixit Præses Tarqui-
nius; ecce in manibus nostris est vestra
charitas; si ergo vultis vivere, abite, sa-
crificate Deorum matri, & eritis eorum sa-
cerdotes; siquidem obiit sacerdos, qui il-
lam honorabat; atque ad magnum Jovem
cælestemque regem abiit, ut ei ministret.
Sanctus Maximus respondit; Hominum ini-
quissime, & impudentissime, non reformi-
das nomen Domini, Dei nomine compellans
adulterum, eumque regem cælestem indigi-
tans. Scitote, o insensati, quia Christus
est rex cælestis, omnibus providens, & o-
mnia manu sua continens. Scias igitur,
quod nos exitiale istud mandatum perfice-
re nequeamus; nos enim Deum cæli omni-
no adoramus, ut qui sumus figmentum ma-
nus ejus.

Gabinius vero Proconsul vocans ad se Da- Fidem constantissime profitentur,
dam & Quintilianum, quasi eis consultum
volens, multis inanibus verbis tentabat, si
posset eos decipere, atque ad perniciosam
suam pertrahere voluntatem. Sancti vero
Dadas & Quintilianus dixerunt ad eum;
nos consentimus iis, quæ dixit frater no-
ster Maximus; quoniam ipse est Catholi-
cæ Ecclesiæ Lector, & divinam Scripturam
optime intelligens novit quid nos conveniat
facere; tu vero diabolica deceptus insa-
nia ignoras quid tibi sit conducibile; hoc
au-

Digitized by Google

autem si audire velles, unum cæleste lumen intuereris. Gabinius Proconsul una cum Tarquinio dixerunt; ecce quot modis vobis consulimus; vos autem suaderi vobis non vultis, & in vestra perseveratis insania. Respondit Maximus; vos ipsi insanitis, qui vultis homines recte viventes, & unum Deum adorantes pertrahere ad culturam dæmoniorum; quod igitur vobis visum fuerit, facite; nec enim a nostro nos abducetis proposito.

Tum Gabinius atque Tarquinius Proconsules collocuti inter se de iis, quæ ipsis responderant Sancti, jusserunt Martyres reduci in carcesem, qui abierunt de sua salute sermocinantes invicem. Circa mediam vero noctem legens S. Maximus Dadam & Quintilianum ex divinis Scripturis multipliciter instruebat. Deinde sopiti viderunt diabolum armis accinctum & contra se pugnantem; a somno autem experrectis apparuit Angelus Domini dicens; Nolite timere. Deus enim, cui vos tradidistis, excipiet vos, nec procul abest a vobis. Hoc ergo sermone confortati benedicebant Dominum usque mane. Proconsules vero jusserunt adduci Sanctos, & coram se sisti; quod cum fecissent ministri, dixit Gabinius Proconsul; Ecce coram nobis consistitis; nunc igitur hortamur vos, ut abeuntes sacrificetis Diis, non parvos honores a nobis consecuturi; sin autem non obtemperatis, mortem vobis comparatis; hoc enim dii nostri nobis in somnis præceperunt hac nocte. Sancti Martyres responderunt; Et nobis Deus noster dignatus seipsum revelare in somnio, ut pro ejus nomine cruciatus omnes sustineamus. Tunc Tarquinius ad Gabinium dixit; hi nisi tormentis subjecti fuerint, nunquam poterunt persuaderi. Respondit Gabinius; siquidem ipsi id eligunt, sibi ipsis culpam adscribant.

Tormenta sperarat,

Tunc mandarunt ministris, ut eos exuerent vestibus; quo facto dixit Gabinius; ligatos eos extendite super terram, & sic verberate. Quod audientes ministri statim fecerunt, ut eis mandatum erat. Tarquinius dixit; interrogate eos, utrum velint obedire, & diis sacrificare; sin minus præparabimus eis adhuc alia tormenta, ut pessime cruciatos ipsos vita privemus. Interrogati autem a ministris sancti martyres velut ex uno ore responderunt; Nos a Deo corroborati tormenta vestra contemnimus, neque perversis vestris consiliis acquiescimus, ut sacrificemus dæmonibus. Ministri autem sicut ab illis audiverant, sic retulerunt Proconsulibus. Tarquinius Proconsul dixit; Quandoquidem parere nolint, conjicite eos in carcerem; jam enim est hora prandii.

Transacta hora septima, jusserunt Sanctos ad tribunal sisti; quibus adductis, dixit Gabinius Proconsul; Numquid Maxime utiliter deliberasti, ut sacrifices diis? Respondit S. Maximus; nos ejusmodi consilium non suscipimus; sed quemadmodum jam antea tibi diximus, nos alium neminem adoramus, nisi Dominum nostrum Jesum Christum cum Patre & Sancto Spiritu. Tunc iratus Gabinius dixit ad sanctos Martyres; si non vultis prudenter agere & Deos adorare, perdam vos, & in barbarica loca abduci vos faciam, & in istis capita vobis præscindi. Adjuramus te, inquiunt sancti Martyres, ut verba factis probes. Tunc jusserunt Proconsules abduci eos in locum proprium, & ibi eos decollari. Sancti autem Martyres, accepta sententia, glorificabant Deum dicentes, Domine Jesu Christi, qui eruisti nos ex hoc præsenti nequam sæculo, suscipe nos in requiem tuam, ut digni efficiamur, æternum ac cæleste regnum tuum consequi qui es benedictus in sæcula. Amen.

Cum hæc dixissent, susceperant (8) *sen-* 8
tentiam ministri, & consilium inierunt, ut & capite plectuntur
caput S. Maximi armillæ ferreæ (9) *impo-* 9
nerent, postquam cum cæteris decapitassent, quia plurima iis locutus erat. Venientes autem Sancti in locum, qui nominatur Ozobia, corpora sua signaverunt Christi signaculo, & a S. Spiritu confirmati juxta sententiam Proconsulum decol-
lati sunt a (10) *spiculatore; atque ita* 10
tradiderunt animas suas Deo, cui crediderunt. Passi sunt autem sancti Martyres Maximus, Dada, & Quintilianus mense Aprili die vigesima octava, in loco Ozobia dicto, imperantibus Diocletiano & Maximiano sub Proconsulatu Tarquinii & Gabinii; secundum nos autem regnante Domino nostro Jesu Christo, cui gloria & potestas in sæcula sæculorum. Amen.

N O T Æ.

1 Pro *Maximo* perperam intruso nomen Diocletiani restituit Papebrochius, uti habent compendia omnia actorum mss.

2 In Græco legitur ἐπὶ τῆς ὑπατείας *sub Consulatu*; Papebrochius vertit *sub Proconsulatu, Proconsulatum gerentibus &c.* nam *Consulatus* nomen hic late debet intelligi eo modo, quo *Proepiscopi, Vicecomites* usitato vulgi sermone *Episcopi* dicantur & *Comites*, inquit idem auctor. Sane acta Græca appellant seu Gabinium seu Tarquinium modo Ὕπατον *consulem*, modo Ὕπαρχον & Ἔπαρχον *provinciæ Præsidem*, Ὑπάτιον *consularem*.

3 De imperii utriusque initio vide vitam

Digitized by Google

tam Diocletiani Tomo 2. neque idem Imperatori utrique annus esse potest suscepti regiminis, cum Maximianus Imperii collega adscitus fuerit a Diocletiano aliquanto post summam reipublicæ administrationem adiverat.

4 Ambigua hæc esse videntur, an eorum sensus ad Imperatotes referatur, uti Papebrochio placet, anne vero ad Proconsules, quæ opinio est Sirleti. Græca locutio Ποιουμένων ὧν αὐτῶν τὴν φροντίδα τῆς οἰκουμένης ὑπατείας sic vertitur a Sirleto, *Hi igitur cum orbem terrarum pro Consulatus munere administrarent;* contra Papebrochius ὑπατικῆς vocabulum irrepsisse ait, quod & sensui, & constructioni omnino superfluum est; suamque retinet interpretationem in Actis allatam. Præterea Gabinii & Tarquinii Consulatus ex ipsis Actis dubius esse debet, uti paullo superius animadvertimus; neque Consulibus ea erat permissa potestas ab Imperatoribus, quam in libera Republica obtinebant; & Consularem dignitatem ipsi sibi arrogabant Imperatores; in Fastis vero Consularibus ignota omnino sunt Tarquinii & Gabinii nomina Diocletiano imperante.

5 *Ozobia* oppidulum, seu vicus, aut villula prope absens Dorostoro; ibi in patrio fundo sancti Martyres morabantur.

6 lege *Dorostorum;* in actis Græcis ἐν Δορωστόλῳ.

7 Quo munere fungeretur Maximus in Ecclesia, indicant acta paullo inferius; erat nimirum Lector; idque uberius explicat Synaxarium Græcum ms. Collegii Claromontani Parisiensis allatum a Papebrochio; *ex his erat S. Maximus sanctæ Ecclesiæ Lector præclare in sacris Scripturis exercitatus, qui sua erdditione omnes ibidem Sanctos instruebat, & confortabat, & alios ad Christi fidem adducebat.*

8 Hæc, & quæ consequuntur usque ad ea verba *venientes autem Sancti* &c. omissa sunt a Sirleto, ait Papebrochius, *quod implexus omnino esset sensus; qualem nos quoque esse fatemur; & quidem quod dicitur,* susceperunt sententiam, *id nunc mallem referri ad ipsos sanctos, cætera ad Proconsules, qui jusserint, caput S. Maximi ferreo inclusum reticulo ad se reportari. Ipsum verborum contextum non levi correctione egentem haud præsumo mutare absque alterius ms. subsidio; vereor enim ne non solum distorta, sed & omissa sint aliqua, quæ non est facile per conjecturam restaurare.*

9 De hoc ferreo reticulo, in quo S. Maximi caput inclusum fuit, hæc habes in citato Synaxario; *loci incolæ sacrum S. Maximi susceperunt caput, illudque pro ultima consummatione ex præcepto Consulum coronæ ferreæ acutis clavis circumcinctæ imposuerunt; quasi multas & graves blasphemias contra Deos dixisset;* hinc barbari hujus inventi & auctores cognoscimus & caussam.

10 Σπεκουλάτωρ *etiam apud Marcum IV.*, *pro* lictore *sumitur. Suidas origini latinæ se conformans* δορυφόρον, hastigerum *vertit, ut intelligas a* spiculo *sive* lancea *per satellites magistratibus præferri solita nomen sumptum, & latine vertendum esse* Spiculator, *non* speculator. Papebr.

Sacra martyrum corpora diu Dorostori, vel in Ozobiensi pago, ubi interfecti fuerant, ac reddita Ecclesiæ pace a Constantino M., debitis honoribus culta jacuere. Quo autem tempore, & quam ob causam inde Constantinopolim fuerint delata, prorsus ignoramus. In Synaxario Parisiensi, quod antea innuimus, *pretiosa horum Martyrum reliquiæ* dicuntur *Constantinopolim delatæ, & in Ecclesia Deiparæ Virginis in Biglento depositæ, in qua sacra horum martyrum solemnitas peragitur;* & eadem leguntur in Menologio Basiliano; *eorum reliquiæ inde*, Dorostoro, *translatæ, honorifice fuerunt Constantinopoli depositæ*. Verum aut ministrorum incuria aut religionis imminutione, seu quovis alio casu beatorum martyrum lipsana adeo oblivione neglecta fuere, ut ne locus quidem, ubi quiescebant, cuippiam notus esset; Dei tamen consilio plures post annos per Angelum detecta IV. non. Augusti in pristinum decus cultumque restituta sunt, sacerque dies ille dicatus eorum Inventioni; ita in Synaxario citato; *eodem die*, secundo Augusti, *inventio sacrarum reliquiarum Maximi, Dadæ & Cintilliani per Angelum facta;* et paullo inferius; *cum autem multis annis pretiosæ illorum reliquiæ latuissent, per Angelum secunda Augusti proditæ sunt.*

Illorum corpora Constantinopolim transferuntur.

Alios Dorostorenses martyres, numero sex exhibent Hieronymiana omnia apographa XV. Kal. Augusti, in primis Epternacense vetustissimum; sunt vero Æmilianus, Secunda, Donata, Bassus, Maximus, Paullus; queis codex Corbejensis adjungit Marinum et Justum. Codex Richenoviensis quatuor solummodo martyres enumerat; quatuor etiam nominantur in Codice Reginæ Sueciæ cum Anonymis duobus. Hæc ex Hagiographis Bollandianis. De S. Æmiliano mox seorsim disseram, cujus memoria et cultus illustrior; cæterorum sola nomina superfuere. Martyrii tempus referri potest ad Juliani Imp. annum alterum, scilicet 362. quo et Æmilianus extinctus est, cum laudata Hieronymiana martyrologia simul omnes in

Octo alii martyres Dorostorenses.

Digitized by Google

in Æmiliani societatem adsciscant; nisi malis illos Diocletianea postrema, vel Liciniana persecutione pro Christo vitam profudisse. Id tamen animadversione dignum; post S. Dasium primum Dorostori Episcopum an. fortasse 286., vel inito sæc. IV. sed Diocletiano et Maximiano Impp. usque ad an. 431. nulli memorantur hujus Ecclesiæ Antistites; verum, sive extiterunt aliqui, quod est verisimilius, sive non, hinc profecto elucet ardens in Dorostorensibus civibus religionis studium, et invictum fidei robur, qui medio in æstu persecutionum teterrimarum proprii sanguinis victimas prompto alacrique animo obtulerunt Christo Deo; nec dubium, quin multo plures adhuc ignoti patriam et Ecclesiam ornaverint nobilissimo martyrio.

In iis eminet S. Aemilianus. Et quod ad Æmilianum attinet, ejus acta Græca non profecto, neque in latinum sermonem conversa, quippe quæ levis auctoritatis visa sint Antuerpiensi Hagiographo Petro Boschio tom. IV. Julii. Certiora sunt, quæ de Æmiliani gestis narrat Synaxarium Basilii Imp. Græce editum tom. I. Julii Boll., cujusque particulam e die XVIII. excerpsit Boschius, & latine versam edidit eodem tomo IV. in Æmiliani laudem. *Eodem die* Julii *XVIII. Certamen sancti Martyris Æmiliani. Martyr Christi*

ejus gesta. *Æmilianus oriundus ex civitate Dorostolo*,
1 Dorostoro, *in Mysia Thraciæ* (1) *fuit sub Juliano Apostata. Cumque ethnici cujusdam servus esset, ipse tamen Christianus, arrepta opportunitate, cepit malleum, in-*
2 *gressusque in templum* (2) *idolorum omnes statuas demolitus est ac dispersit sacrificia. Idololatræ vero rei hujus auctorem i-*
3 *gnorantes, comprehenderunt agricolam* (3) *quemdam, quem verberare cæperunt, atque ad Præsidem pertrahere. Tunc Sanctus id videns semetipsum tradidit dicens; Ego sum qui hoc feci. Ductus ergo ad Præsidem incusavit dementiam ejus, ut qui in idolis vanis fiduciam reposuisset. Cum vero illum hac ratione ad iram commovisset,*
4 *graviter virgis* (4) *cæsus est; cumque etiam tum in Christi confessione persisteret, injectus est in ignem, atque in medio illius benedicens & glorificans Deum emisit*
5 *sanctam* (5) *animam*.

N O T Æ.

1 Mœsia secunda seu inferior Thraciæ olim attributa videtur extra Illyricum nostrum, quia nimirum suberat Vicario diœcesis Thracicæ; hinc Thraciæ vocabulo non provincia intelligitur, sed diœcesis, quæ multas in se provincias sub uno Magistratu contineret. Sed de his vide plura in Tom. I. In Menæis additur nomen non Præsidis Dorostorensis, sed Vicarii Thraciæ, uti perhibent S. Hieronymus & S. Prosper in in suis Chronicis, tum Chronicon Alexandrinum; & qui Æmilianum igni damnavit, Capitolinus appellatur.

2 Hoc facinus nocte ab Æmiliano patratum Menæa narrant.

3 Eademque asserunt plures agricolas a satellitibus fuisse comprehensos.

4 βουνεύροις ideat *nervis bubulis* cæsus. Men.

5 Hic cum Boschio animadvertimus, Æmilianum revera igne incensum, combustumque fuisse contra atque acta testantur. Nam a S. Hieronymo in Chronico, & ab auctore Chronici Alexandrini perspicue dicitur *incensus;* idem confirmat S. Prosper hisce verbis; *Mamertino & Navita Coss.* idest an. 362. *Æmilianus ob ararum subversionem Dorostori a Vicario incenditur;* Theodoretus autem lib. 3. hist. eccl. cap. 3. solummodo tradit, sanctum martyrem *in ignem conjectum* fuisse; & Nicephorus Callistus lib 10. cap. 9. eccles. hist. scribit eum a Capitolino Thraciæ Vicario *vivum combustum* occubuisse.

Æmiliani martyrium apud Latinos celebre est; ac illius meminere apographa vetustissima Martyrologii Hieronymiani, atque Usuardina, *Civitate Dorostoro sancti Æmiliani;* ac Martyrologium Romanum, *Dorostori in Mysia, sancti Æmiliani martyris, qui tempore Juliani Apostatæ sub Capitolino Præside in fornacem injectus martyrii palmam accepit*. Præter vero Hieronymum & Prosperum videtur etiam S. Ambrosius Æmiliani virtutem & gesta commendasse; cum ad Theodosium Imp. scribens ep. 40. edit. PP. Maurin. tom. 3. *meminerint*, inquit *tempore Juliani illum, qui aram dejecit, & turbavit sacrificium, damnatum a judice fecisse martyrium;* quæ verba de Æmiliano dicta esse recte putant Baronius, Tillemontius ad an. 362. & Hermantius in vita S. Ambrosii. & memoria ac cultus apud Latinos,

Multo tamen nobilior hujus martyris cultus in fastis Græcorum. Nam Menæa omnia, & Anthologium, & Typicum S. Sabæ, & Menologia, etiam Slavo-Russicum, tum Ephemeridea Græco-moschæ, ac demum Martyrologium Arabico Ægyptiacum ms. penes Bollandistas proferunt Æmiliani nomen, & elogia. Hinc hi versiculi de beatissimo martyre leguntur in Menæis. & apud Græcos.

Æmilianus traditus flammis, modo
Præsente Christo fruitur inter Angelos.
Octavo decimo, die scilicet Julii, *subit*
ignes Æmilianus.

ea-

Digitized by Google

eademque illum prædicant *martyrem, qui totum modo orbem miraculis collustrat*; atque in Menologio Cryptæ Ferratæ oblata illi hujusmodi precatio; *Mirifice roboratus a Domino gloriose devicisti Tyrannos, & miraculorum gratiam consecutus iis, qui sunt in necessitatibus, ineffabiliter præsides, beatissime Æmiliane. Ora igitur pro nobis Dominum.*

Sacra lipsana Constantinopolim delata. Quæ quidem de cultu velim intelligas, quo S. Martyr Constantinopoli auctus est, cum ejus lipsana Dorostoro in regiam urbem translata sunt eo fortasse tempore, quo Mœsia, & finitimæ circum regiones ab impendenti Barbarorum eluvie periclitari cœperunt, inito saltem sæc. v. Equidem, si fides actis antea citatis habenda est, ambusti corporis reliquiæ in loco, cui Gedinæ nomen, tria passuum millia ab urbe dissito, conditæ sunt, & Juliano Imp. ultrici Dei manu perempto, plurimo religionis honore Æmilianum affecere cives Dorostorenses. Verum sancti Martyris fama, & gloria prodigiorum, quæ illius ope a Deo patrata sunt, augustius crevit Constantinopoli, ubi illius *festivitas* solemni pompa *agebatur in ecclesia illi sacra, quæ est in Rhabdo*, inquiunt Menæa; quem locum hisce describit Codinus in lib. de originibus Constantinopolitanis. *Porta S. Æmiliani nomen accepit a proximo templo S. Æmiliani, quod prius parvum erat oratorium. Cum autem sub Constantino Magno virga*, ῥάβδος, *Moysis in urbem afferretur, pedes eam excepit in loco hoc Imperator, & memoratam condidit Ecclesiam S. Deiparæ, ubi eam deposuit. Atque templum S. Æmiliani ampliavit* in *Rhabdo* ideo appellatum, quia vox Græca latine *virgam* sonat, cum alteri templo prope esset, in quo virga Moysis servabatur. Sed cum Æmilianus post annos fere septem ac viginti ab obitu Constantini martyrium subiverit, Codinus per quandam prolepsim scripsisse videtur, & *parvum oratorium* ab eo Imperatore amplificatum asserit, quod postea & titulo Æmiliani, & allatis illuc Martyris exuviis fuerat insignitum. Neque alium quis sibi effingat hoc nomine martyrem ætate priorem Dorostorensi, uti dubitat Tillemontius; unum quippe cum tribus sociis martyribus xi. Decembris nominant Fasti Græcorum a nostro plane diversum, nulla nec loci, nec temporis, quo obierint, adjecta mentione, nullo elogio ornatum, & ignotum ipsis Menæis, quibus usa est Ecclesia Constantinopolitana. Sane sæc. ix. Basilius Macedo *sancti Æmiliani martyris in Rhabdo ecclesiam haud procul ab ædibus S. Dei Genetricis vetustate fatiscentem videns utrinque turrito opere fastigiando novam reparavit*, inquit Cedrenus in hist. compendio; quo tempore Æmiliani honos in omnes pœne Græci imperii partes diffusus erat ob copiam ingentem prodigiorum atque præstantiam, quibus inclaruerat. Quare S. Josephus Hymnographus, qui in Sicilia vitæ sanctitate excelluit sæc. viii. jam labente, summis laudibus Æmilianum cumulat in suis Odis Acrosticis, ejusque meritis virtutem attribuit compescendi effrænes corporeæ affectionis motus, fugandi dæmones, & cujuslibet morbi sanandi, mira præsertim unguenti vi, quod ex ejus lipsanis perenne scatebat; *unguentorum fluento*, ait Ode 6., *scaturit sacra reliquiarum tuarum theca, beatissime ac generose martyr, & fœtidas hominum ægritudines semper expurgat*. Hæc hactenus de Martyribus Dorostorensibus.

JACOBUS EP. DOROSTORENSIS II.

Qui sanctissimam hanc Ecclesiam tot martyrum illustrem victoriis schismate & hæresi dedecoravit, ac Dorothei sui Metropolitæ pravum secutus exemplum impii Nestorii partibus adhæsit adversus Concilium Ephesinum. Cum septem enim supra sexaginta Episcopis Nestorianæ factionis obstitit, datis ad Synodum litteris, ne Patres quidquam de Nestorio decernerent ante Joannis Antiocheni cæterorumque Orientalium Antistitum adventum. Damnato nihilo secius Nestorio in prima Concilii actione, tres ac quinquaginta e factiosis Episcopis, cum his *Jacobus Episcopus Dorostoli*, per Encyclicas litteras ad Ecclesiam Hierapolitanam Euphratesiæ metropolim, seu potius ad universam Orientalem diœcesim, commonuere omnes, non esse obtemperandum contrariæ partis Episcopis, Cyrillo in primis Alexandrino, si sua illuc decreta miserint, suasque sententias; nam *propter perversitates suas depositi sunt, & excommunicationis nodo suppositi*; qua fraude id contendebant, ut Nestorii condemnatio irrita crederetur. *Jacobus Episcopus Dorostoli* subscripsit etiam decreto Ephesini Conciliabuli adversus S. Cyrillum, & Memnonem Ephesi Episcopum; tum duabus Schismaticorum, fuere hi quadraginta duo, epistolis ad suos Legatos, qui Constantinopoli erant, & ad Imperatores, queis orant, ut *universa cassentur, quæ contra omnes ab hæreticis*, idest Patribus Concilii, *facta sunt*, præcipue *damnatio & excommunicatio* Episcoporum, qui Nestorio adhærebant; hæc vide fusius tractata in Dorotheo Metropolita Marcianopolitano; attamen resipuit fortasse Jacobus post ejectum e sua Sede Dorotheum; ejusque nomen

Jacobus Ep. Dorostorensis an. 431. Nestorii fautor.

men non legitur inter Episcopos a Synodo damnatos act. VII.

MONOPHILUS EPISCOPUS DOROSTORENSIS III.

Monophilus Episc. Dorostor. an. 458.

Subscriptus est epistolæ Episcoporum Mœsiæ secundæ ad Leonem Imp. an. 458, ubi Fidem comprobant sacrorum Conciliorum, Nicæni in primis, Ephesini, & Chalcedonensis; tum impium facinus detestantur Timothei Æluri, qui, interfecto ejus opera S. Proterio Alexandrino Metropolita, in illius sedem intrusus Eutychianam hæresim palam profitebatur; *Monophilus Episcopus civitatis Dorostorii similiter*, idest *firmavi, & subscripsi*. Non interfuit tamen Concilio Chalcedonensi, uti affirmat haud recte Carolus a S. Paullo; abest enim ejus nomen ab subscriptionibus Episcoporum.

Post Monophilum series Dorostorensium Antistitum, qui juncti fuerint communione veræ fidei cum Ecclesia Romana, omnino defecit. Sæculo IX. Photio præcipue urgente, Mœsia, in qua Bulgari insederant, Patriarchæ Constantinopolitano subjici cœperat; & hæc Illyrici nostri pars cum aliis provinciis olim Romanorum Pontificum potestati obnoxia paullatim in Græcorum schisma prolapsa est. Hinc immutatæ Imperatorum jussu provinciæ ecclesiasticæ, & sedes Episcopales aut eorum arbitrio antiquatæ aut novæ erectæ, aut Metropolitico jure donatæ. Hinc & Dorostorensis ecclesia, quæ sæc. XI., urbis nomine in Dristram converso, Dristrensis dicta, & metropolis effecta est. In notitia Metropoleon, quæ suberant Patriarchæ Constantinopolitano, edita a Gretsero in Comment. super lib. Codini de offic. & official. Eccl. & Aulæ Constantinopolitanæ *metropolis Dristra est septuagesima prima;* & in *Expositione*, quæ ibidem sequitur Andronici Palæologi Senioris de ordine earumdem Metropoleon, metropolis *Dristra, quæ erat LXXI. facta est CVI.*

Huic sæc. XV. præerat Callistus, qui in Concilio Florentino an. 1438. sedit post Patriarchas Græcos cum cæteris Metropolitis; *Callistus Distrensis;* atque Græcæ Ecclesiæ cum Latina constituta conjunctione, decreto Concilii de inito inter utramque Ecclesiam fœdere, & firmata in orthodoxis dogmatibus consensione subscripsit; ὁ ταπεινὸς μετροπολίτας Δίστρας Κάλλιστος ἀρκετὸς ὑπέγραψα; *Humilis metropolita Distræ contentus subscripsi*. Verum in fide diu non perstitit. Duodecim post annis mortuo Joanni Palæologo Imp., qui Florentiæ cum Latinis consenserat, indictum est Constantinopoli Conciliabulum Sophianum idest in templo S. Sophiæ; ac fautore præcipue Marco Ephesi Episcopo, dissoluta est a Græcis cum Romana Ecclesia unitio; & Callistus eorum perfidiæ se adjunxit, & decreta subscripto nomine confirmavit; *Callistus Distræ*.

Callistus Distræ i. e. Dorostori Antistes Schismaticus sæc. XV.

Addo hujus Ecclesiæ titulum gessisse aliquando, Latinos Episcopos, qui Titulares dicti; & in historia Collegii Germanici-Hungarici edita a Julio Cordara S. I. inter hujus alumnos comperio Emericum ex Lib. Baron. a Pongratz Præpositum majorem templi Scepusiensis in Hungarico cognomine Comitatu electum Episcopum Dorostonensem, l. Dorostorensem; de anno non liquet.

EPISCOPI NOVENSES.

Novæ quæ civitas.

PLura *Novarum* cognomine loca nobis exhibent Geographi veteres. *Nevæ*, & *ad Novas* idem Pannoniæ secundæ oppidum; *Nova* in Macedonia, *Novæ* in Mœsia superiori positæ. Civitas vero Novensis, de qua Marcellinus in Chronico, ea est cis Istrum sita in Mœsia inferiori, quæ Episcopatus honore & auctoritate prædita olim erat metropolitæ Marcianopolitano subjecta. Notitia Imperii milites *Novenses* nominat ex *Nova* oppido, qui Transmariscæ, in urbe scilicet ejusdem provinciæ, morabantur, ibique *Præfecturam* collocat *legionis primæ Italicæ;* in Codice Ursiniano legitur, *Præfectura ripæ legionis primæ Italicæ, cohortis quintæ pedaturæ inferioris,* idest valli, *Novas;* quæ militaria præsidia dicebantur *Ripariensia*, quia excubabant ad ripas Danubii, ubi Novæ sitæ, adversus repentinas Transdanubiani hostis aggressiones. Sæculo VI. Novæ vix oppiduli nomen retinebant. Narrat enim Procopius lib. 4. de ædif. cap. 6. *tres munitiones in ora Istri Picnum, Cupum, Novas, quarum nomen & fabrica in una turri antea consistebant*, a Justiniano Imp. *tot, tantisque adjectis propugnaculis* auctas fuisse, *ut eas non inani urbium titulo & dignitate insignierit*. Sed Episcopalis sedes restituta Novis non fuit, qua Novensis Ecclesia olim ornabatur. De Episcopatus initio non inquirimus; antiquus certe videtur; nec dubito,

Digitized by Google

bito, quin sæc. IV. aliqui Episcopi præfuerint. Primus nobis notus est ex monumentis ecclesiasticis sæc. V., nimirum

PETRONIUS EP. NOVENSIS I.

Petronius Ep. Novensis an. 431. Nestorianæ factionis socius, & subscriptus epistolæ Episcoporum ad Hierapolitanam Ecclesiam, qui se sejunxerant a S. Cyrillo, & a Patribus Ephesinis; *Petronius Episcopus Neuvæ*. Nihil de illo prætera, qui fortasse errorem ejuraverit; & ejus nomen abest ab Episcoporum censu, quos Synodus Ephesina damnavit.

SECUNDINUS EP. NOVENSIS II.

Secundinus Ep. Novensis an. 448. Unus ex Patribus, qui nominantur in Concilio Constantinopolitano an. 448. Præsidæ S. Flaviano adversus Eutychea hæreticum, *Secundinus reverendissimus episcopus Nocensianæ* l. *Novesiorum civitatis*. & iterum, *Secundinus reverendissimus episcopus Novensenæ*, l. *Novesiorum civitatis;* utrobique enim Græca subscriptio habet, Νοξηνσίων, idest *Novesiorum*, seu *Novensium;* sententiæ vero, qua Eutyches damnatur, & *ab officio sacerdotali, catholica communione*, atque *primatu monasterii* dejectus fuit, Secundini suffragium latine subjicitur. *Secundinus Episcopus Nosadenensis*, l. *Novensis*, *his gestis subscripsi*. Hujus Synodi acta inserta sunt actine. 1. Concilii Chalcedonensis

PETRUS EPISC. NOVENSIS III.

Petrus Ep. Novensis an. 458. Subscriptus litteris Synodicis suæ provinciæ ad Leonem Imp. an. 458. de nece S. Proterii Alexandrini; *Petrus episcopus Novensis*; vide Monophilum Ep. Dorostorensem III.

N. EPISCCPUS NOVENSIS IV.

N. Ep. Novensis an. 597. Anno 597. & imperii Mauritii XV. hanc Ecclesiam regebat. Cum enim bello Slavico Petrus Romani exercitus Prætor Novas properaret, obvios habuit Novenses cives, qui cum Episcopo honoris obsequiique causa in castra venerant. Jussit Petrus illos Romanis copiis, ceu gregarios milites, admisceri. Qui cum renuerent, Episcopum ad se adductum seu obsidem, seu captivum retinuit. Hæc Teophanes in Chron. tacito Antistitis nomine, & historia Miscel. lib. 17. Nulli deinceps Novarum Episcopi; urbs ignobilis oppidi speciem habet in Bulgaria, quam Lazius affirmat *Novomontium* hodie appellari; & fortasse hujus Ecclesiæ titulo ornati fuerunt Franciscus ex Comitibus de Berchtoldt, & Andreas ex Lib. Baron. de Pererffy, qui inter alumnos Collegii Hungarici-Germanici dicuntur *Episcopi Novenses;* vide laudatam paullo superius hujus Collegii historiam.

EPISCOPI ODYSSI.

Odyssi notitia. ODyssus vetustissima urbs, colonia Milesiorum quæ & *Odessus* & *Odissum* dicta tribuitur Mœsiæ secundæ a Ptolomæo, Strabone, Ammiano Marcellino, & Hierocle, tum in Notitiis ecclesiasticis Græcis. Sita erat ad oram Ponti Euxini cis Istri ostia inter Mesembriam, & Dionysopolim, teste Ovidio lib. 1. Trist. eleg. 9. qui iter describens Anchialo usque ad sui exilii locum inquit;

Inde Mesembriacos portus, & Odesson, & arces
Prætereat dictas nomine, Bacche, tuo.

Temporum, & bellorum vicibus jactata urbs paullatim ab eo statu decrevit, quo sub Romanis Græcisque Impp. effloruerat civium numero, & opulentia, ac maritimæ negotiationis celebritate. Posteaquam Bulgaria Turcarum jugum subivit, & everso Græcorum imperio, Odyssus penitus periit; vinque, amisso etiam nomine, exigui humilisque pagi reliquiæ ex ea superfuerunt. Odessam nostram ab alia distinguas oportet, quæ anno 1792. exstrui cœpit nova urbs trans Istrum in Bessarabia, cum Russi iis regionibus potiti sunt. Sita est ad Pontum Euxinum; & dum hæc scribimus, nobile est provinciæ emporium. Cur Odessa appelletur, non inquiro; certe fallitur, siquis existimet, veteris urbis sedem ibi fuisse, quæ eis Istrum in meridiem ad Mœsiam olim, & parte aliqua ad Scythiam Ponticam pertinebat.

S. Andreas Apostolus videtur primus religionem Christianam Odessam intulisse, cum ad Mœsiæ secundæ fines Thraciam peragraret, de quo dictum in Tom. 1. eoque misso Episcopo S. Amplia, Eccle- & Ecclesia Odyssen.

sia Odyssea instituta est. Annales tamen ecclesiastici nihil ferme de illa tradiderunt posterorum memoriæ. Catholica dogmata & instituta ad VIII. usque sæculum ibi viguisse certum est, a quibus defecere Odyssitæ, cum Bulgari urbis, totiusque Mœsiæ domini Photianum schisma secuti sunt. Tum Patriarchæ Constantinopolitani & Græcorum Imperatorum arbitrio hujus Ecclesiæ facies & dignitas subinde immutata est; hinc ad Archiepiscopale decus conscendit; ac in duabus Patriarchatus Constantinopolitani notitiis apud Carolum a S. Paullo, *Odyssi* seu *Bares Autocephalis* adnumerantur; atque in alia veteri notitia a Lequienio etiam laudata tom. 1. Orient. Christ. legitur inter Archiepiscopales ecclesias, *provincia Mysiæ Odissi*, *quæ & Bares dicta*. Unde hoc urbi nomen additum, ignoro; fortasse locum indicat, ubi Græci Archiepiscopi post Odyssi casus consederint; hoc certe titulo Metrophanes an 1672. subscriptus est Archiepiscopus *Bares relationi* Dionysii Patriarchæ Constantinopolitani de erroribus Calvinianis; nisi forte Auloniam hoc vocabulo intelligas ad mare Ægeum, quam Nicetas *Baren* appellat. An apud Græcos hæc Sedes hactenus exstet, saltem nomine tenus, nec inficior, nec affirmo. Series Odysseorum Antistitum, qui cum Romana Ecclesia conjuncti fuerint, sæculo VIII. desiisse videntur.

S. AMPLIATUS EP. ODYSSEUS I.

S. Amplius Ep. Odysseus an. inc. Idem ac Ampliatus & Amplias, quem sibi dilectissimum salutat Paullus Apostolus in epistola ad Romanos cap. 16. hisce verbis; *Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino;* hic vero Chrysostomus serm. 36. in Paulli epistolam subjicit; *& istum*, Ampliatum, *a dilectione commendat; erat enim dilectio Paulli propter Deum innumera habens bona; si enim magnum est a rege diligi, a Paullo diligi quanti ne est encomii? neque enim nisi multam virtutem possedisset*, idest Ampliatus, *in amorem sui ipsum attraxisset*. Roma digressus videtur S. Andreæ Apostolo se adjunxisse cum is in Thracia, & Mœsiæ secundæ finibus versaretur; a quo Odyssam missus est Episcopus, ut jacta Evangelii semina excoleret. Id ab eo præstitum non laboribus tantum, sed etiam sanguine, quo uberem hujus Ecclesiæ campum irrigavit a Judeis interfectus pridie Kal. Novembris. Annus martyrii omnino ignoratur; ejus tamen nomen Latini æque ac Græci venerantur. Meminit Ampliati hac die Menologium Sirleti a Canisio editum tom. 2. Antiq. Lection. *Natalis SS. Stachys, Ampliæ, Urbani, Narcissi* &c. *Sancti vero Amplias & Urbanus ab Apostolo Andrea Episcopi ordinati, ille quidem Odyssopolis, hic vero Macedoniæ propter fidei Christianæ confessionem atque idolorum eversionem a Judæis & Gentilibus interfecti beatas animas Deo tradiderunt*. Grevenius in Auctariis Usuardinis ejus silet Episcopatum; *die trigesima prima Octobris sanctorum Apostolorum Stachys, Amplii & sociorum*. Baronius vero tum in Annalibus tum in Martyrologio martyrem solummodo appellat; *eodem die* 31. Novembris *sanctorum Ampliati, Urbani & Narcissi, quorum meminit S. Paullus ad Romanos scribens, qui ob Evangelium Christi a Judæis & a Gentilibus cæsi sunt*. Fateor equidem, Ampliati Episcopatum niti unius Menologii testimonio; sed, cum nulla in contrariam partem argumenta objici queant, non est illius rejiciendi æqua ratio; licet auctor ibidem falsus sit, qui Stachyn nominat Byzantii Episcopum primum; plura enim huic opinioni adversantur, quæ vide in historia Chronologica Patriarcharum Constantinopolitanorum tom. 1. Augusti Boll.

PHILEAS EPISCOPUS ODYSSEUS II.

Ignotus Lequienio nobis innotescit ex actis S. Sebastianæ martyris editis a Janningo Tom. VI. part. 1. Junii Bolland. Phileas Ep. Odysseus an. circ. 93. Cum illa Marcianopoli Heracleam in Thraciam duceretur ad martyrium, Odessæ constitit in itinere; qua in urbe, *salutato Philea Episcopo, atque Electa, qui erant in catabulis, salutavit deinde & Fratres discessitque Anchialum* &c. hæc in actis cap. 3. Non alius profecto urbis, nisi Odessæ Antistes hic debet intelligi, qui ad catabulum, publicum scilicet fœtidumque locum curandis in reipublicæ usum jumentis destinatum, religionis caussa ignominiose fuerat damnatus. An vero in eo supplicio martyr obierit, quis audeat divinare? In Hagiologiis, quæ diligenter sum perscrutatus, nullum reperi hoc nomine saltem in Mœsia martyrem Christi; neque nobis licet ubique probabili saltem argumento *sancti martyris* titulo illum ornare. Præerat huic Ecclesiæ sub Domitiano Imp., eoque anno Christi tertio supra nonagesimam, quo e Janningi conjectura occubuit Sebastiana.

DITTAS EPISCOPUS ODISSEUS III.

Qui & Dizzas dictus in nonnullis Codicibus. Dyttas Ep. Odysseus an. 458. Post annos amplius tercentos hanc rexit Ecclesiam; & epistolæ Synodicæ ad Leonem Imp., de qua superius, subscripsit

psit

Digitized by Google

psit an. 458. *Dittas episcopus civitatis Odyssæ Mœsiæ;* in Cod. Baluziano tom. v. Concil. Venet. Edit. legitur *Scythiæ;* tamen non alia erat Odessus nisi Mœsiaca; & illa provinciæ additio a cæteris Episcopis Dittæ collegis omittitur in subscriptionibus. Odessus Scythiæ ideo dicitur fortasse, quia Ponticæ Scythiæ eum Dionysopoli confinis, & quasi pars censeretur; licet Episcopi Marcianopoleos parerent ecclesiastico imperio.

JOANNES EPISCOPUS ODYSSEUS IV.

Joannes Ep. Odysseus an. 518.

Legitur ejus nomen in epistola Synodica duorum supra quadraginta Episcoporum, qui in Concilio Constantinopolitano anni 518. ad Joannem Patriarcham Constantinopolitanum de Severi Acephali condemnatione & de restituendo sacris dypticis Euphemii & Macedonii nomine scripsere; fuerant enim e Sede Constantinopolitana dejecti, ille ab Anastasio Imp. Eutychianæ sectæ addicto, & Synodi Chalcedonensis hoste teterrimo, hic ob suspicionem Eutychiani erroris, cum Henoticon Zenonis probasset, quo in speciem componendi cum hæreticis catholicorum animos atque sententias, subdola fidei formula proposita, Concilium Chalcedonense fuit revera abrogatum. Sed utrumque injuria damnatum censuere ii Episcopi; lecta vero epistola fuit in Concilio Constantinopolitano an. 536. adversus Severum, Petrum, & Zoaram hæreticos e grege Acephalorum. Joannis hæc est subscriptio. *Joannes episcopus Odetarum*, l. *Odessytarum civitatis subscripsi*.

LEO EPISCOPUS ODYSSEUS V.

Idem, uti videtur Lequienio, qui an. 787. subscripsit Concilio Nicæno II. adversus Iconomachos; *Leo episcopus Bares*, scilicet *Odysseus*, quod initio monuimus, *similiter*. Leo Ep. Odysseus an. 787.

BASILIUS EPISCOPUS ODYSSEUS VI. AC POSTREMUS.

Anno 879. adfuit pseudo-synodo Photianæ, qua Photius, mortuo S. Ignatio Patriarcha Constantinopolitano, hanc Sedem arripuit auctor fatalis schismatis, & iniquæ Græcorum a Latina Ecclesia secessionis. In serie Episcoporum hujusce Conventus est Basilius Βαῆς: *Baæ* Episcopus; quidni Βάρης, *Bares*, idest *Odyssi*, adnotat Lequienius. Verum & Clemens Βαῆς *Baæ*, & Stephanus Βαρέως *Bares* ibidem nominantur. Quæ ratio, cur e tribus Basilius hujus Ecclesiæ dicatur Antistes? Ex his unus Auloniæ præfuit, *Bare* appellatæ; Βαρέως vocabulum aliam fortasse urbem & Ecclesiam indicat ab Odysso & Aulonia diversam. Hinc arguimus, sive Basilium velis, sive Clementem, aut etiam Stephanum, fuisse aliquem eo tempore Odyssi Antistitem, qui aversatus Romanam Ecclesiam Photiano sceleri assensus est, & in Odyssitas extremam intulit religionis & animarum perniciem. Basilius Ep. Odysseus an. 879.

EPISCOPI SEXANTAPRISTENSES.

De urbe Sexantapristensi quædam notantur.

QUæ a Ptolomæo Tiriста urbs dicta fuit, & in Mœsia secunda ponitur, hanc *Sexantapristem* appellat Antoninus in Itinerario; & illac transeundum erat abeuntibus Viminacio Nicomediam versus. Danubii ripæ videtur assedisse, ibi enim *Præfectura ripæ* Danubianæ morabatur, *legionis* scilicet *primæ Italicæ*, *cohortis quintæ pedaturæ inferioris*, idest *valli Sexaginta pristæ*, inquit Pancirolus in notit. Imp. In tabulis Peutingerianis idem urbi nomen, ac in Itinerario, quam Anonymus Ravennas *Pristim* appellat, & *Antipristenam* Auxilius presbyter in defensione Formosi Pontificis; *Antapristenam* vero Nicephorus Callistus, de quo mox; fallitur autem Ortelius, qui eam cum Distra confundit. Nominis etymon inquirere vanus omnino labor. Civitas fuit Episcopalis; sed ejus origo suorumque Antistitum memoria prorsus oblivione deleta. Socrates lib. 7. hist. eccl. cap. 26. unius meminit; id est

POLYCARPUS EP. SEXANTAPRISTENS. UNICUS.

Sed nulla temporis nota adjecta est; & ex Socrate in suam historiam illum retulit Nicephorus Callistus lib. 54. cap. 39. ibique Polycarpum admiscet cum iis Episcopis, qui plurimi *necessaria utilitate vocante* in alias transierunt Ecclesias; quam ob caussam *Polycarpus* etiam *ex Antapristena Mysiæ urbe Nicopolim Thraciæ* migravit. Policarpus Ep. Sexantapristensis an. inc.

Digitized by Google

EPISCOPI SUGDÆENSES.

Sugdææ notitia.

DOrostoro haud procul Sucidava olim extitit, urbs ad ripam Danubii, ubi *Cuneus equitum Stablesianorum* stativa habuere, uti Pancirolus adnotavit in Notitia Imperii. Loci hujus mentio apud Ptolemæum, in Itinerario Antonini, & in tabulis Peutingerianis; hinc corrupto nomine Sugdæa civitas Episcopalis sub Marcianopolitana metropoli. Nihil de illa memoria dignum produnt historici Scriptores. In notitia Leonis Imp. vulgo Sapientis Sugdæa dicitur *Archiepiscopatus trigesimus quintus, & Sugdæa cum Phulla Archiepiscopatus trigesimus sextus*. Jam enim ab schismate Photiano cum Hierarchia Ecclesiastica immutari in imperio cœpisset, ac novi Archiepiscopatus, novæ instituerentur metropoles Impp. aut Patriarcharum arbitrio, & Antistitum ambitione, Mœsia inferior, ipsa nempe Bulgaria, a communione cum Romano Pontifice dirempta easdem passa est vices ecclesiastici regiminis. Hinc Sugdæa primum Episcopalis civitas, Archiepiscopale decus obtinuit, quin & metropolitica potestate donata fuit; *Sugdæa civitas ex archiepiscopatu metropolis evasit*, inquit Andronicus Senior Imp. in *Expositione* metropoleon, quæ suberant Throno Constantinopolitano; ac inferius, *Sugdæa & Phulla duo erant Archiepiscopatus; sed conjunctæ unam nunc metropolim efficiunt, quæ Sugdææ & Phullarum nominatur*. Phullæ situs ignotus est ipsi Lequienio; prope tamen abfuisse videtur a Sugdæensi diœcesi. Sucidavæ, seu Sugdææ Ecclesia & Episcopatus tum forte habuere initium, cum cœteræ in Mœsia urbes Christianis mysteriis instructæ perhibentur, & Evangelicis disciplinis imbutæ ab Apostolis, aut Apostolicis viris. Quid in ea gestum, qui fuerint Antistites, prorsus latet ad octavum usque sæculum; nam unum habeo quem proferam, & nostri instituti non est, Schismaticos Græci ritus Episcopos recensere. Ex his aliquot enumerat Lequienius tom. 1. Orient. Christ., iique sequioribus tantummodo sæculis Sugdæensem Sedem occuparunt, laceraverunt miserrime Ecclesiam.

STEPHANUS EPISC. SUGDÆENSIS UNICUS.

Stephanus Ep. Sugdæensis an. 787.

Notus ex actis Concilii Nicæni II. & VII. Œcumenici an. 737. Actione prima *Stephanus*, al. *Theophanes episcopus Sugdaorum* nominatur cum Patribus Synodi; & actione secunda subscripsit decreto de cultu sacrarum Imaginum adversus Iconomachos; *Stephanus sanctissimus episcopus Sugdensium*. Rursum actione IV. anathematismos probavit editos in hæresis sectatores, fautoresque; *Stephanus indignus episcopus Sugdensium libenter omnia quæ præscripta sunt suscipiens subscripsi*. Actioni VII. aderat & *Stephanus episcopus Sugdaensium*, qui Fidei formulam suo adscripto nomine confirmavit, *Stephanus indignus episcopus Sugdaensium similiter*.

APPENDIX

DE SANCTO DIONYSIO RUSSORUM APOSTOLO

CUm Leo Sapiens imperaret (annos vero circ. XI. Græco præfuit imperio) Sugdæa voluntate regia aut Constantinopolitani Patriarchæ Archiepiscopali honore, uti diximus, insignita fuerat, Schismaticis obnoxia dogmatibus; & a nono sæculo usque ad dimidium fere XII. suos si habuit Archiepiscopos, quorum nulla superest recordatio, eos profecto a Romana Sede sejunctos fuisse arbitramur. Hoc tamen sæculo XII. unus e tenebris emergit Sugdæensis Archiepiscopus Catholici Romanique cultus S. Dionysius, de quo hæc notat Græcum Synaxarium an. 1679. dono missum Danieli Papebrochio Soc. Jesu Hagiographo Antuerpiensi, *S. Dionycii Archiepiscopi Suchedalici qui in urbe Nisi-Novogrod ædificavit monasterium Bischericum, & Kioviæ obiit in catacumbis subterraneis conditus an. MCLXXX. sub Manuele*; dies signatur VI. Kal. Julias.

Hic quæritur a Papebrochio, quinam sit Archiepiscopatus *Suchevaliciensis*; & *Sugdeensis* vocabulis similitudine conjicit unam eamdemque esse hujus Archiepiscopalis Ecclesiæ appellationem. Sed si vetus urbis nomen *Succidava* inspicias, & corruptæ hinc voces *Suchsdala*, *Sugdala*, *Sugda*, *Sughæa*, non conjicere, sed affirmare tuto possumus *Succidavensem*, *Suchsdalensem*, *Sugdalensem*, & *Sugdensem* & *Sugdaensem* Archiepiscopatum ipsissimum esse *Suchedaliciensem*, seu *Suchedaliviensem* Dionysii. Et, cum hoc titulo nulla trans Danubium unquam extiterit Sedes Episcopalis in iis provinciis, quæ ad antiquum seu novum Russorum regnum aut imperium pertineat, hanc in Mœsia secunda, nunc Bulgaria col-

Digitized by Google

colloeamus probatis, non Baudrandi, sed veterum, quos superius citavimus, testimoniis; ac eruditissimum Papebrochium fugit Succidavæ notitia, unde Sugdææ nomen vitiatum; qua ex urbe condita ad Danubium pervia erat in Russorum regionem transvectio. Fuit igitur Dionysius Sugdæensis in Bulgaria, non Bulgarorum, Archiepiscopus, uti visum Papebrochio est; tum enim Bulgarica sacra procurabant Antistites Zagorenses, qui an. 1204. Ternobum translati totius regni Primatum adepti sunt. Præterea aliæ hujus provinciæ Ecclesiæ eo tempore Archiepiscopali ornabantur dignitate; Marcianopolitana non omnino pristinum decus amiserat, & Dorostorensis Archiepiscopatus honore a Græcis donata jam fuerat; nec potior ratio potest afferri, cur præ cæteris Sugdæensis Antistes diceretur Archiepiscopus Bulgarorum.

Deinde de Dionysii in Russia Apostolatu existimat Papebrochius fuisse illum ad eas gentes missum a Patriarcha Constantinopolitano, cum Græci Romanæ Sedi adhærebant, ac Russos nondum schismaticis erroribus infectos in Catholica religione sanctum Archiepiscopum confirmasse. Ægre quidem adducor, ut credam, tantam fuisse Græcorum cum Romana Ecclesia consensionem, quam effert Papebrochius, post nefariam ab illa defectionem Michaelis Cerularii Patriarchæ Constantinopolitani ineunte sæc. XI. & quam præseferebant unitionem, plerumque callida detecta est, & crebris turbata fuit dissidiis. Non immoramur in perscrutandis aut Imperatorum, aut Constantinopolitanæ Sedis Antistitum animis sensisque usque ad Manuelem Imp. & an. 1180., quo Dionysius vita functus perhibetur; certo constat Bulgaros, qui in Mœsia imperabant eodem sæc. inito, annuentibus Constantinopolitanis Imperatoribus, a Romanis alienos Græcorum doctrinis obsequentes se præbuisse; cum autem anno 1204. ad sinum Romanæ Ecclesiæ revocati sunt ab Innocentio III. Joannitius rex in litteris ad Pontificem testatus est, se, suosque antea fratres cupiisse jam in Romanam communionem reverti, & missos etiam Internuncios, qui negotium agerent; sed Græcorum vi & insidiis in irritum cessisse studia omnia, quin & Basilium Zagorensem Archiepiscopum, Dyrrhachii cum esset Romam profecturus, a Græcis prohibitum, vita etiam periclitatum esse; vide quæ in Ecclesia Ternobensi de his sumus dicturi. Hinc mea quidem sententia est, S. Dionysium, non a Græcis jussum, sed divino actum instinctu Apostolicam ad Russus peragrationem suscepisse; præsertim quia in Ecclesias Mœsiacas nullum Græcis jus ecclesiasticum competebat, quod, immutato Episcopatuum ordine, & Photianis in Sedes illas intrusis, sibi arrogarunt multo ante sæc. X. Neque id obstat, quominus Dionysius rite consecratus Archiepiscopus Sugdæensis Romana dogmata libere profiteretur, eaque in provincias transdanubianas invexerit; dum & fervente schismate, non defuere e Græcis Episcopis, qui cum Latina Ecclesia sentirent; ipsique Cerulario fortiter præ aliis obstitit Patriarcha Antiochenus, atque ejus scelus redarguit. Adde Hungarorum in regnum Bulgaricum irruptiones & bella sæc. XII. Hi quippe Danubium transgressi non modica Bulgariæ parti potiti sunt Ripariensi præcipue tractu, ubi Sugdæa; hinc Joannitius aliis ad Innocentium P. litteris suo loco proferendis conqueritur, quinque Episcopales Ecclesias sibi ereptas fuisse ab Hungaro rege; unde valde fit verisimile, Archiepiscopatum & urbem Sugdæensem jam in potestatem Hungarorum venisse, cum Dionysius suum ad Russos Apostolatum exorsus est.

Attamen certum tempus initi ab illo tum Archiepiscopalis regiminis, tum Apostolici muneris statui nequit. Videtur vero Dionysius alias circum regiones Valachiæ & Moldaviæ ante obivisse, quam in Russia iis in Septentrionem conterminam excurreret; cum & illæ gentes Christianæ fidei vel ignaræ vel rudes evangelicis indigebant operariis, a quibus instruerentur. Kioviam itaque profectus est, urbem in Polonia equidem positam ad Russiæ fines, quam ferunt an. 861. conditam fuisse a Kio quodam Dynasta Russico; ubi imperii Russici sedes stetit diu, eaque alio translata, paruit Kiovia propriis Dominis & an. 1615. vastata a Tartaris antiqua decŏra prorsus amisit. Hic, exstructo prius monasterio Bischericense in urbe Nisi-novogrodi, sanctissime obiit, & ad catacumbas funebri pompa elatus est; quo in loco ob sanctitatis famam, & patrata a Deo ejus meritis prodigia ab incolis hactenus colitur die Junii 26. Lubet postremo de Kiovianis catacumbis adnectere, quæ Papebrochius tom. I. Junii die VI. in vita S. Joannis martyris enarrat, auctore Guillelmo Vassovio; *vicus est Riczary dimidio infra Kioviam milliario cum claustro, in quo Archimandita ordinariam, Metropolita vero honorariam habet sedem. Ibi subtus montem claustro vicinum reperire est cavernas plurimas plenas cadaveribus, ultra mille ac quingentos annos sepultis, necdum tamen dissolutis.... Dicitur passim cavernas hasce a priscis Christianis, gentilitiæ violentiæ se subducentibus, Deoque vero quiete servituris conditas esse;* quod non est veri

ri dissimile, subdit Papebrochius; etenim Romanum imperium in Dacos & Sarmatas ultra Borystenem fines olim protulerat, & potentiam.

Non omittenda tamen hoc in loco animadversio Assemani tom. 6. de Kalendariis &c. pag. 446. qui Dionysium *Suzdalensem* in Russia rexisse Ecclesiam contendit; est enim revera *Suzdalensis* inibi Episcopatus; & in Slavorussico Synaxario Dionysius perspicue *Suzdalensis* Antistes nominatur; ast latinus interpres pro *Suzdalensi* nomen Episcopatus convertit in *Suchodalicensem*. Non diffiteor, gravis esse momenti Assemani argumentum; sed cum pro aris & focis pugnandum non sit, certamen non ineo, in quo etiam me casurum provideo.

EPISCOPI TIBERIOPOLITANI.

Tiberiopolis

AD oram Ponti Euxini, ac prope fluvium Strymonem condita urbs Tiberiopolis nomen dedit Ecclesiæ Tiberiopolitanæ. Sive Romanus primo æræ Christianæ sæculo, sive Græcus quis Tiberius Imperator, aut vir princeps sequiori ævo hac appellatione locum ornaverit, exigua tamen civitas fuit, nec ullis clara insignibus, quæ postea a Strymone barbaro vocabulo *Strumitza* dici cœpit, eoque in nova Geographia innotescit. Sed illam distinguas oportet ab alio oppido *Strumitza*, quod Nicephorus Gregoras lib. 8. describit prærupto & excelso monti impositum, ac triduano itinere Scopia dissitum, & Lequienius idem esse putat, ac Tiberiopolim. Etenim duo fluvii Strymonis nomine duas alluunt provincias longe inter se disjunctas, alter Mœsiam inferiorem, & in Pontum influit, de quo Ovidius lib. 3. Trist. eleg. 3.

nunc Strumitza ad Pontum Euxinum;

Strymona venisti, Marticolamque Geten.

alter Macedoniam ab Hæmi jugis exoriens, in *Ægæum* mare se exonerat, ubi sinus Strymonicus efficitur, *Golfo di Contesa* vulgo dictus. aut etiam *Golfo di Monte Santo*. Narrat autem Nicephorus eo in loco, qua via sibi eundum fuerat, cum Constantinopoli profectus est comes legationis jussu Andronici Senioris missæ ad Stephanum cognomento Crapalem Serbliæ regem, qui Macedoniæ partem ad Strymonem usque, & urbem Serras occupaverat. Recto igitur itinere e regia civitate perrexit in Macedoniam ad fluvium Strymonem, *qui maximus est inter Macedonicos & Thracios omnes;* hoc prætervecto, densus illi saltus objicitur, & gens sylvestris occurrit, *Mysorum coloni*, & loci incolæ; quæ pagum indicat, ubi *de via fessi refici omnes possent;* ac postridie Strumitzam intraverunt. Hæc ne igitur Mœsiaca Strumitza, quam in campis Macedonicis positam adeo clare designat Nicephorus? unde *Scopiam Triballorum oppidulum, quod ab Axio flumine alluitur post triduum pervenerunt;* & hic itineris terminus. Scopiam vero aliam intellige a Dardanica trans Hæmum sita haud procul a Margi origine; fuit enim & Scopium in Thessaliæ & Macedoniæ finibus memoratum a Polybio, & Axius ab iisdem, a quibus Strymon, scaturiens montibus ad utriusque provinciæ limites Thermaico sinui admiscetur; adde Nicephorum Thessalonicam in reditu divertisse, quæ Scopio, seu Scopia proxime aberat. Nec obest, Scopiam *Triballorum oppidulum* dici; Triballi Mœsiam quidem inferiorem antiquitus incoluere; devecta illuc natio a Romanis plura multo ante sæcula perierat; nomen vero a Serbliis postea inditum, qui, Heraclio imperante, sedem in Dalmatia, & Dardania obtinuerant a Triballis fortasse oriundi, & qua parte Hæmus Scardo conjungitur, in Macedoniam irruperant, Nicephori ævo, circumposita Axio oppida primum adepti, & Strymonem Serras usque prætergressi. Qua de re fusius disserui, ut certo constet Strumitzam, de qua Nicephorus, non esse eandem, uti Lequienius asserit, cum Strumitza seu Tiberiopoli Mœsiæ secundæ urbe Episcopali. Nonnullorum opinio est, quæ olim Tiberiopolis, nunc Varnam appellari, urbem Euxini maris, & Hungarorum clade an. 1444. memorabilem; sed cum Lequienio existimamus, Varnam esse ipsam Dionysiopolim.

diversa a Strumitza Macedoniæ,

& ab urbe Varna.

Historia ecclesiastica nullos suppeditat Episcopos Tiberiopolitano Catholici ritus; viget tamen Græca Ecclesia, ac metropolis, de qua Andronicus Palæologus senior in Expositione metropoleon, quæ subsunt Patriarchæ Constantinopolitano; *Tiberiopoleos sive Varnæ metropolis LXIII. fuit, & facta est LXXV.* ac inferius; *Varna, ut quidam sentiunt, est Tiberiopolis; propterea in Expositione non comparet neque inter Metropoles, neque inter Archiepiscopatus, neque inter Episcopatus; sed Antistes Varnensis idem est Tiberiopolitanus.*

EPI-

Digitized by Google

EPISCOPI DIONYSOPOLITANI SEU VARNENSES.

Dionysopolis situs;

IN eo tractu Mœsiæ inferioris, qui per oram Ponti Euxini protenditur versus Septemtrionem, haud procul Odesso, non incelebris olim civitas sita fuit Dionysopolis, a Dionysio, seu Baccho, cui sacra erat, ita appellata; hinc Ovidius peragrandum nautis iter ad Tomitanam urbem hisce versibus describit.

Inde Mesembriacos portus & Odesson, & arces
Prætereat dictas nomine, Bacche, tuo.

Hanc Mœsiæ nostræ attribuit Ptolemæus; Ammianus Marcellinus, & Hierocles Scythiæ urbibus illam adnumerant eam fortasse ob caussam, quia Scythiæ Ponticæ confinis esset prope lacum Devinam, & ostia Zyræ fluminis, a quo alluebatur commodo mercatoribus portu. Verba Marcellini lib. 27. cap. 9. hæc habe; *juxta* Mysiam *Scythia, in qua Dionysopolis, Tomi Calatis;* ut proinde mirere, Lequienium potuisse decipi, cum eam urbem ab Ammiano in Mœsia positam affirmat. Plures hoc nomine urbes reperies in aliis provinciis valde a Mœsiaca dissitas, quibuscum nihil habuit commune præter falsi numinis cultum. Hanc primum a Bulgaris occupatam tradunt Græci Scriptores, cum Istrum transgressi in Romanum Imperium irruere cœperunt an. 679. Constantino Pogonato Imperatore; sed nihil de illa memoratu dignum occurrit in historiis. Fuit quorumdam opinio, veterem Dionysopolim nunc mutata appellatione Temisvarium dici; quod a vero longissime abest; hæc enim civitas trans Danubium Themesio fluvio assidet, unde illi nomen, & ad Hungaros pertinet in Banatu Themesiensi, Themesia latine vocata. Probabilior sententia, quam cum eruditis plerisque sequimur, Varnam collocat, ubi extitit Dionysopolis; immo unam eamdemque esse urbem nonnullis placet; cum vetus numquam exciderit, sed Varnam postea nominarunt Bulgari eorum lingua; hodieque portu perquam opportuno in Ponticum mare magnam vim navium, & mercium emittit. Cellarius in Mœsia antiqua hic olim stetisse *Crunum* existimat, quæ urbs ex advecto Bacchi simulacro Dionysopolis appellari cœpta est; atque qui Zyras fluvius est, vulgo *Varne, Cruni* eum urbe nomine potitum esse censet Bonbardius in Hungarica Topographia. Sed in hisce tempus non terimus.

eadem urbs cum Varna.

Dionysopolitæ Ecclesiæ origo, progressus, status ignota sunt. Verisimile est, eosdem tum Apostolos, tum Apostolorum discipulos, a quibus Mœsia Christianis mysteriis ac disciplinis imbuta fuit, iisdem Dionysopolim excoluisse. Verum nullius Episcopi Dionysopolitæ ne minimum quidem vestigium superest usque ad sæculum XII., nam Chariton, seu Charis qui Chalcedonensi Concilio interfuit, quemque Carolus a S. Paullo Dionysopolitanum in Mœsia Episcopum fuisse arbitratur, in vetustissimo Codice Episcoporum Chalcedonensis Synodi edito tom. 4. Concil. Venetæ Edition. Coletianæ pag. 1750. ponitur cum Episcopis *Provinciæ Phrygiæ Pacatianæ Charis Dionysupolitanus;* idem, cujus nomen exhibet Concilium Romanum Symmacho Pontifice an. 503. & recte animadvertit Baronius ad hunc annum num. 9. Orientales Episcopos paucos, qui cum Charitone ibi memorantur, ex alia Synodo Chalcedonensi propriori fuisse oscitanter in hanc Romanam invectos. Dionysopolitana æque ac postea Varnensis Sedes Metropolitæ Marcianopolitano subjecta fuit; id affirmat & Carolus a S. Paullo; ac miror Lequienium, qui Dionysopolim cum Varna recte conjungit, illam rejecisse e Marcianopolitanæ metropoli, hanc Ternobitanæ subdidisse, licet enim Marcianopolis e gradu Metropolitico aliquamdiu deciderit, antiquam ditionem recuperavit, cum instituto ab Innocentio III. Ternobensi Primatu, reddita illi fuit dignitas; hinc Dionysopolis seu Varna paruit quidem Ternobitano Primati uti & Marcianopolitana metropolis, sed veteri jure huic suberat directe. In illa rerum perturbatione, qua Christiana religio in Bulgaria labefactata est, imminuta, ac pœne extincta Bulgarico schismate, bellorum calamitatibus, Græcorum perfidia. ac Turcarum impietate ad hæc usque tempora, certum est Varnensi Ecclesiæ ingens illatum fuisse detrimentum, dum stetit, suosque interdum habuit Episcopos, qui desiisse videntur sæc. XVI. deinceps Titulares creati; & diœcesi aut aliis commissa Episcopis, aut per illorum diœceses divisa, nunc tota regio Russorum paret imperio, cura Marcianopolitani metropolitæ gubernari dicitur. Varna sedes est Archiepiscopalis Græcorum in Expositione Andronici Palæologi Senioris, sed Tiberiopoleos titulo; vide quæ in Tiberiopolitanis disserui.

Hujus Ecclesiæ status,

Cum Joannes XXII. urbem Caffam in Taurica Chersoneso Episcopali dignitate or-

ornasset, Antistitem primum præfecit anno 1320. F. Hieronymum insignem e Franciscana familia inter Tartaros Evangelii præconem, ac peramplam ei tradidit diœcesim regendam, *a villa de Varca in Bulgaria usque Saray inclusive in longitudine, & a mari Pontico usque ad terram Ruthenorum in latitudine;* ex diplomate Joannis penes Waddingum tom. VI. Pro *Varca* legendum puto *Varna;* unde per oram Ponti in Ruthenos trans Istrum late patebat Caffensis jurisdictio; quo tempore aliquid adjumenti allatum esse conjicio Ecclesiæ Varnensi. Sub exitum tandem hujus sæculi & anno 1393. primus emergit e tenebris Episcopus Dionysopolitanus, ac in Pontificio diplomate Varnensis appellatus, quem nobis suppeditat, tomus 2. Bull. Dominic. pag. 336. Ab hoc igitur seriem exordiamur, brevem licet, nostrorum Antistitum; atque is est

JOANNES EP. DIONYSOPOLITANUS seu VARNENSIS I.

Notus unice ex litteris Bonifacii IX., quibus illi sufficitur

NICOLAUS EP. DIONYSOPOLITANUS seu VARNENSIS II.

Nicolaus Ep. Varnensis an. 1393. Cognomento Stayneckerius, in Germania natus Ordini Dominicano nomen dedit, & ad hanc Sedem evectus est an. 1393. qui fuit quartus suscepti a Bonifacio IX. Pontificatus, uti recte sentit Ripolius Tom. 2. Bull. pag. 464. & Echardum corrigit in Tom. 1. de Scriptoribus Dominic. a quo signatur annus 1394. in Indice Episcoporum pag. 26. Erravit etiam Echardus, cum Varnam primum Odessam, postea Tiberiopolim appellatam fuisse asserit nimis fidenter. Litteras Bonifacii subjicio.

Bonifacii IX. ad eum litteræ. *Bonifacius &c. dilecto filio Nicolao Staynecker Electo Varnen. &c.*

Suscepti cura regiminis &c. Dudum siquidem Johanne Episcopo Varnen. regimini Varnen. Ecclesiæ præsidente &c. Postmodum vero præfata Ecclesia per obitum ejusdem Johannis, qui extra Roman. Curiam diem clausit extremum, Pastoris solatio destituta &c. ad te Ordinis Prædicatorum Professorem &c. direximus oculos mentis nostræ &c. teque illi præficimus Episcopum & Pastorem &c. Volumus autem, quod quamprimum præsentes litteras habueris expeditas ad præfatam Ecclesiam Varnen. te transferas, & resideas personaliter in eadem, quodque extra tuas civitatem & diœcesim Varnen. Pontificalia officia nequeas exercere &c. Dat. Perusii IX. Kal. Febr. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Postrema Bonifacii verba aperte indicant, tum quieta fuisse omnia in Ecclesia illa adeo ut Nicolao libera foret sui Episcopatus administratio; acta tamen perierunt; post triennium aut Sedem aut vitam reliquit. Nam videtur ei successisse an. 1396.

ANTONIUS EP. DIONYSOPOLITANUS seu VARNENSIS III.

De quo Herrera tom. 1. Alphab. August. ex Reg. Vatic. Erat Augustinianæ familiæ alumnus; dictus *de S. Canciano.* Præterea nihil de illo. Ughellius Tom. 2. Ital. Sacr. in Episcopis Calliensibus narrat Nicolaum de Marciariis Perusinum post Tiphernatis, & Urbevetanæ Ecclesiæ regimen ad Calliensem transisse an. 1398. qua etiam dimissa, titolo Dionysiensis Episcopi donatus fuit *in partibus Infidelium* an. 1414. De alia ne, an nostra Dionysiensi Ecclesia id sit intelligendum, ambigimus. Etenim eo anno Turcæ in Bulgariam jam imperii fines protulerant, victis sæpe fugatisque Hungarorum copiis, præcipue ad Nicopolim anno 1396. Hinc suspicor & Antonium titulo solum Ecclesiæ Dionysiensis ornatum fuisse; & quæstio adhuc vigeat necesse est cujusnam Episcopatus Dionysopolitani titulum gesserint. Antonius Ep. Varn. an. inc. fortasse Titularis.

ANTONIUS II. EP. DIONYSIENSIS seu VARNENSIS IV.

Cognomento de Antoniis, Patavinus & S. Augustini familiæ obstrictus, erat an. 1398. 19. Septembris Varnensis Antistes, & Vicarius Stephani de Carraria Ep. Patavini. Idem an. 1409. 21. Septembris Vicarius ad Pontificalia Petri Marcello ejusdem urbis Episcopi, cujus vice eo mense, & an. 1410. 11. 12. 13. 8. Aprilis sacris Ordinibus Clericos Patavinos impertitus est; quo munere fungebatur etiam an. 1424. Hæc ex tabulis Ecclesiæ Patavinæ, in quibus *Antonius de Antoniis* & *F. Antonius de Padua Ordinis Heremitarum* dicitur, & *Varniensis* & *Varensis* Episcopus; videtur autem paulo ante an. 1391. creatus Episcopus plerumque Patavii degisse, sed ubi, & quo obierit anno, est prorsus ignotum. Nicolaus Ep. Varnensis an. 1398.

Interea Bulgaricum regnum intestinis Hungarorum ac Turcarum bellis discissum & lacerum, hisce modo, modo illis una alterave in parte serviebat. Cæsa etiam sæpe multa Turcarum millia ab Hunniade Hun-

Digitized by Google

Hungaro duce strenuissimo in spem erexerant Christianorum animos, fore ut aliquando exterminatus hostis disperiret. Amurathes autem Turca Imperator sibi metuens inducias ad certum tempus poposcerat a Ladislao rege & pactæ fuerant; sed hic paullo post contra datam fidem bellum instaurare aggressus est procerum consilio, & Cardinalis Cæsarini Pontificii Legati, qui sacræ expeditioni præerat, ad Varnam cum Amurathe conflixit IV. idus Septembris anno 1444. Atrox utrinque prælium; & major quidem Turcarum strages fuit; cecidere peditum triginta millia; equites obtruncati, magna pars; nihilo tamen secius victoria cessit Amurathi; nam Ladislaus, dum in Prætorianos milites temere irruit, circumseptus confossusque interiit cum Cæsarino Legato; casu regis secuta illico Hungarorum consternatio, & præceps fuga, & clades integra; indeque extremum Bulgariæ exitium, cui relevando novem fere post annis remedium omnino omne sublatum est, capta a Turcis Constantinopoli, & imperio Græcorum deleto anno 1453.

Clades Varnensis.

Medias inter hujuscemodi calamitates nonnulli fuere Dionysienses Episcopi, quos dubito iidem ne cum Varnensibus censendi sint. Duos profert Waddingus ad an. 1465. Joannem & Arnoldum *ab Isca de Botensen* Franciscanum *in Arabia* inquit *sub Patriarcha Hierosolymitano*; potius sub Antiocheno. Uterque Titularis Episcopus videtur; Arnoldo certe data a Pontifice facultas exercendi Pontificalia in diœcesi Verdensi Saxonicæ ditionis. Annon Episcopalis hic titulus ad Dionysopolim Bulgaricam potest referri? Alium Arnoldum Dionysiensem, seu Dionysopolitanum Episcopum reperio in Tom. 3. Bull. Dominic. pag. 637. cui a Sixto IV. suffectus fuit Joannes de Ilten ejusdem Ordinis an. 1476. Num idem hic Arnoldus cum Franciscano? tempus congruit. Hic Ripolius utrumque Varnam transfert, quæ & Dionysopolis; ego utrumque expungo; quippe Pontifex in litteris a Ripolio allatis jubet Joannem suo metropolitæ Archiepiscopo Jadriensi obtemperare. Iadriensis, Ecclesia quæ sit, quove in loco, perscrutanti mihi detegere adhuc non licuit; & siqua olim fuit, in Mœsia inferiori seu Bulgaria nunquam extitit. Unus est, quem non rejicio,

NICOLAUS II. EP. DIONYSOPOLITAN. SEU VARNENSIS V.

Nicolaus Ep. Varn. an. 1491.

Gallus, de Kempia cognomine, vel de Ripis, Ordinis Dominicani, electus ab Innocentio VIII. an. circ. 1491., quem Ripolius tom. 4. pag 84. perspicue nominat Varnensem in Bulgaria Antistitem; Varnutensis dicitur typographico mendo in Theatro Fontanæ. Hunc duo sequuntur ejusdem Instituti Episcopi Dionysienses Joannes & Corradus, qui an. 1494. electus fuit ab Alexandro VI., uterque Varnensis creditur a Ripolio; nec abnuo; verum tum Nicolaus, tum Joannes, vix annum Pontificatum gesserint, necesse est, si Corradus an. 1494. Episcopatum conscendit. Nicolaus morte fortasse præreptus fuit, dum suam adire Ecclesiam cogitabat; id & Joanni accidit, quem subjicio.

JOANNES II. EP. DIONYSIENSIS SEU VARNENSIS VI.

Hoc tempore quiescebat Bulgaria; & aditus patebat aliquis Catholicis incolis juvandis; quare conjicio, non defuisse Joanni animum, quo se Varnam conferret; sed mors obstitit; in cujus locum successit

Joannes II. Ep. Varn. an. circ. 1493.

CORRADUS EPISC. DIONYSIENSIS SEU VARNENSIS VII.

Quem Scriptores Dominicani Cavalerius & Fontana ignotum omisere.

Corradus Ep. Varn. an. 1494.

Eodem anno, eodemque die, quo ab Alexandro VI. dictus est Dionysien. Episcopus, Hildesemensi Antistiti Vicarius datus est, & adjutor in Verdensi Ecclesia administranda. Habeo utrasque Alexandri ad Conradum literas, Tom. 4. Bull. Dominic. a Bremondo insertas pag. 195., altera est de Conradi electione, altera de Vicario munere eidem collato, quas hic exscribo.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Conrado Antonii electo Dionysien. Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Apostolatus officium &c. Dudum siquidem bonæ memoriæ Joanne Episcopo Dionysien. regimini Dionysien. Ecclesiæ præsidente &c. deinde dicta Ecclesia per obitum dicti Joannis, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ persolvit &c. demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Professorem, in Sacerdotio constitutum, religionis zelo conspicuum, litterarum scientia præditum, vitæ munditia, ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, & in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum donis, prout fide dignorum testimonia accepimus, insignitum, direximus oculos nostræ mentis &c. teque illi præficimus in Episcopum, & Pastorem, curam, & administrationem ipsius Ecclesiæ tibi in spiritualibus, plenarie committen-

Ad eum litteræ Alexandri VI.

Digitized by Google

do &c. Volumus autem, quod postquam præsentes litteras habueris expeditas ad præfatam Ecclesiam te transferas &c. quodque extra tuam Civitatem, & Diæcesim Dionysien. Pontificalia nequeas officia exercere. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarn. Domin. 1493. 9. *Cal. Febr. Pontificatus Nostri Anno II. i. e.* 1494.

Alexander &c. dilecto filio Conrado Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ professori electo Dionysien. &c. Sinceræ devotionis affectus &c. Cum autem sicut accepimus, tu ad præfatam Ecclesiam, quæ in partibus Infidelium consistit, commode nequeas te transferre, & apud eandem personaliter residere, nos volentes te præmissorum intuitu favore prosequi gratioso, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, te, quod ad Ecclesiam prædictam accedere, nec apud eam personaliter residere minime tenearis, quodque postquam munus consecrationis susceperis, in Civitate, & Diæces. Verden. dummodo per venerabilem Fratrem nostrum Bartoldum Episcopum Hildesemen., qui Ecclesiæ Verden. administrator perpetuus per Sedem Apostolicam deputatus existit, seu ejusdem Ecclesiæ Verden. administratores, vel Episcopos pro tempore existenter requisitus fueris, & de eorum speciali licentia hujusmodi pontificalia exercere, & licite valeas &c. indulgemus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarn. Domin. 1493. 9. *Kal. Febr. Pontificatus Nostri Anno II. i. e.* 1494.

Quare Corradus sua procul ab Ecclesia in Saxonia vitam egit reliquam, & finivit; quo anno incertum. Hæc quasi tentabundus exposui de Episcopi Dionysopolitanis; qui si præter unum, vel alterum, ad alias spectent Dionysienses Ecclesias, lubens illos restituo. Idem de hisce duobus confirmo, sane Titularibus; Joanne Antonio Ord. Min. Convent. Vicario in Spiritualibus Episcopi Leodiensis an. 1665. & Joanne Blavierio Suffraganeo Leodiensi an. 1685., prioris meminit Mantelius in descript. oppidi Hasseleti in Belgio; alterius Foppensius in hist. Episc. Sylvæducensium.

Episcopi duo Titulares.

AP-

Digitized by Google

APPENDIX

DE ECCLESIA TOMITANA.

Scythiæ Ponticæ,

SCythia Pontica, quam describit Farlatus in Tom. I. fuit olim pars non modica Mœsiæ inferioris; & inde avulsa provinciæ peculiaris formam obtinuit, ac in Illyrico universali comprehensa fuit una cum Mœsia ipsa Imperatore Tiberio. Anno 325. extra Illyricum a Constantino M. sejuncta suos habuit Præsides sub Vicario Thraciæ; neque Illyricæ provinciæ nomen postea recepit, sive cum Illyricum in Orientale & Occidentale divisum est, sive cum Justinianus novum illud compegit, constituitque, in quo historia nostra versatur. Etsi vero Scythia Pontica huc non pertinet, haud prætermittenda est Ecclesiastica illius notitia, quippe quæ & pars Bulgariæ hodie censetur, & quoad rem Christianam Bulgariæ Episcopis, præsertim Metropolitæ Marcianopolitano, cui propior, traditur administranda.

Tomitanæ urbis,

Tomis princeps Scythiæ civitas, clara Ovidii exsilio & carminibus ponitur, ad oram Euxini post Dionysopolim seu Varnam, & Danubii ostia respicit in Septemtrionem. Sozomenus magnam urbem & opulentam esse scribit lib. 6. cap. 10., quæ cœteris præcellebat urbibus ac Romanis Scythiæ municipiis, quibuscum deleta periit; nec locus certo dignoscitur, ubi extiterit. Falluntur, qui cum Temisvario aut Kiovia illam permiscent; ea enim loca nimium distant a Scythia Bolgarica. Babbæ oppidum illius ruderibus insidere nonnulli autumant; est ibi portus peramplus; & situs oppidi munitissimus.

& Ecclesiæ notitia.

Christiana religio primo Christi sæculo ibi viguit illata a quoppiam ex Apostolis eorumve discipulis, de quibus vide Tom. I. Hinc Tomitana crevit Ecclesia, & nobilis urbis Episcopatus, nulli Patriarchæ præter Romanum subjectus, cujus metropolitica auctoritas toti provinciæ dominabatur eo vel maxime, quia aliis Scythiæ urbibus nemo unquam Episcopali præfuit dignitate. Sed illustrior evasit Tomitanorum fides, & constantia in persecutionum procellis; ac plurimorum martyrum gloria celebratur hæc Ecclesia; & quamvis omnium nomina non legantur inserta ecclesiasticis fastis, attamen plurium memoria superstes est & colitur; de quibus necessario nobis ante agendum est, quam Episcoporum historiam describamus.

MARTYRES TOMITANI.

SS. Evagrius & socii.

Quorum agmen ducant Evagrius & Benignus omnibus ferme inscripti martyrologiis die 3. Aprilis. Hisce Codex ms. Reginæ Sveciæ adjungit quinque socios anonymos; qui tamen fuerint, indicant mss. Epternacense, & Lucensia Florentini, nimirum, Christus, al. Chrestus, Arestus, al. Aristus, Sinnidia, Rufus, Patricius, & Zosimus additus in ms. Corbejensi Parisiis edito; hinc octo habes fortissimos Christianæ religionis pugiles; & sunt Evagrius, Benignus, Christus, Arestus, Synnidia, Rufus, Patricius, Zosimus, iisdem mense ac die martyrii coronam consecuti. Varia menda, queis hæc nomina a librariis fuere expressa, inane est referre. Locum certaminis perspicue designant Usuardus, Ado, Notkerus, Bellinus, & quamplurima mss. martyrologia, nempe Tomos urbem Episcopalem Scythiæ Ponticæ; quapropter corrupti omnino hi Codices, qui præferunt *Theumis, Theusimiter, in Sicilia*; *in Nicea natalis SS. Thomæ, Evagrii &c.* pro *in Scythia civitate Tomis Evagrii &c.* Usuardus genuinus Sollerii duos tantum nominat, Evagrium & Benignum; *In Scithia civitate Thomis, natalis sanctorum Evagrii & Benigni*; nec aliter est in Romano martyrologio. Hæc autem vide pluribus acta ab Henschenio tom. I. Apr. Boll.

SS. Paulus & socii.

Plures itidem numero, & pari cum superioribus fortitudine pro Christo decertarunt Martyres Tomitani, quorum nomina consignata sunt XII. Kal. Julias in antiquis Hieronymiani martyrologii apographis. Sunt autem Paulus, Cyriacus, Paula, Feliciana, Thomas, Felix, Emilius. Petrus de Natalibus l. 2. cap. 176. Felicianam virginem appellat. Cætera vero martyrologia sive edita, sive mss. ab Henschenio laudata eosdem exhibent hac die; & in mss. Florentinis magni Ducis Hetruriæ *Paulinus, Cyprianus, & Felicianus* inscripti sunt pro *Paulo, Cyriaco, & Feliciana;* additurque *cum aliis plurimis;* de loco martyrii consentiunt Martyrologi omnes. Usuardus vero, & Romanum martyrologium duos solummodo proferunt Paulum & Cyriacum; *Tomis in Ponto sanctorum martyrum Pauli & Cyriaci*.

SS. Strator & socii.

Dies etiam quintus Julii nobilitatus est alia Martyrum Tomitanorum turma, quorum

rum meminere apographa Hieronymiana. Nomina vero in Codicibus corrupta librariorum culpa correxit Sollerius Tom. 2. Julii Boll. quoad conjectura fieri potuit, & martyrum numerum ad novem redegit. Ab Usuardo omittuntur, sed Grevenii Auctaria tres tantum commemorant *in Sicilia* mendose pro *Scythia* martyres. En illi; Strator, Theodotus, Merona, Marina vel Marinus, Rodofia, Magrinus, Secundinus; Thomas seu Theonas, Sodera seu Sodepha, de qua nonnihil dubitat Sollerius; sed Romano martyrologio inserta est cum sociis unice duobus. *Tomis in Scythia sanctorum martyrum Marini, Theodoti & Sedophæ*.

Præter hosce alii quinque enumerantur in eodem martyrologio VI. Kal. Septembris; *Tomis in Ponto sanctorum martyrum Marcellini tribuni, & uxoris ejus Manneæ; & filiorum Joannis, Serapionis & Petri;* cui vetera Hieronymiana & Ado & Usuardus fere consentiunt; & Romanum vetus duos habet, *Tomis Marcellini & Manneæ*. Sed sincera horum Martyrum acta edita a Stiltingo tom. 6. Aug. Bolland. Oxyrinthi, quæ Ægypti civitas est, eos esse passos affirmant. Quid igitur? actis certe major fides habenda; num hi ab illis diversi? sed utrorumque tanta est similitudo, ut iidem omnino diei debeant. At rejicienda ne vetustorum in Martyrologiis Codicum auctoritas? Definiant alii.

SS. Priscus & Socii. Non sunt vero Tomitanæ Ecclesiæ adimendi Priscus, Crescens, Evagrius, qui *Tomis in Ponto*, ait Romanum martyrologium, nobili corona martyrii donati fuere Kalendis Octobris. Eadem leges in Usuardo; ubi Sollerius tom. 6. Junii Bolland. part. 2. hæc monet; *de tribus illis martyribus meminere Hieronymiana, etsi hinc inde luxata. Clare eos signat Romanum parvum, ex quo Ado, ex hoc Notkerus & Usuardus noster, iisdem ubique terminis, nisi quod Usuardus pro* Crescentii, *vel ut Hieronyminiana* Crescenti, *posuerit* Crescentis. Non est autem cur disputemus cum Florentinio, utrum martyrii locus *Thmuis*, seu *Thomi*, in Ægypto civitas dici debeat an vero Tomi in Ponto; perspicuum enim est in laudatis Martyrologis vocabulum *Tomis*.

SS. Argeus & socii. Neque Dioclesianea solum persecutione, sed etiam Liciniana, quæ an. circ. 320. in Oriente erupit, Tomitanorum in fide constantia enituit; ac tres præ cœteris, quorum memoria nulla superest, a Martyrologis celebrantur IV. non. Jan. Argeus, Narcissus & Marcellinus. Ac nemo est, qui eorum martyrium Tomis perfectum neget; varia tamen certaminis descriptio est, adeoque obscura, ut haud leves pariat difficultates. Ac primum Codex Hieronymianus vetustissimus alios adjungit socios; *in civitate Tomis Claudonis, Eugenis, Rhodi, trium fratrum Argei, Narcissi, Marcellini pueri Christiani, & Diogini, Eugenti Rhodonis, Primæ;* quæ corruptissima recte emendat Bollandus ad diem tertium Januarii. *In civitate Tomis trium fratrum Argei, Narcissi, Marcellini pueri;* reliquos nominat *Claudonem*, *Eugenem*, *Rhodum*, *Diogenium*, *Eugentum*, *Rhodonem*, *Primam*, qui videntur a Tomitanorum societate disjungendi & absunt ab aliis martyrologiis, ubi de Tomitanis mentio; vocabulum *Christiani* vel inepte additum, vel pro *Christiano* irrepsit. Deinde genus martyrii, quo dicitur affectus Marcellinus, ad alium martyrem profecto spectat. Etenim aliqua quidem Martyrologia tum edita cum Romano, tum manu exarata, quæ profert Bollandus, de Marcellino hæc subdunt; *qui sub Licinio principe inter tyrones comprehensus, cum nollet militare, cæsus ad mortem, & diu in carcere maceratus, atque in mare mersus martyrium consummavit;* additur ab Adone, Maurolyco, & Codice Antuerpiensi Soc. Jesu, *cujus corpus ad littus delatum, & a religiosis viris depositum magnis coruscat virtutibus;* & Galesinus narrat, Argæum & Narcissum fuisse a satellitibus comprehensos, cum fratrem Marcellinum in carcere inviserent, & gladio postea interemtos, qua pœna etiam Romanum martyrologium mulctatos perhibet. Sed eadem omnino a Notkero tribuuntur Philo Episcopo, a Rhabano Tito item Episcopo Tomis, inquiunt, in mare projectis III. non. Januarias; alii autem Diogenem, seu Theogenem hac die occubuisse ferunt in Hellesponto verbis formulæ superiori pœne similibus. Notkeriana formula est hujusmodi; *In Ponto civitate Tomis trium fratrum Argei, Narcissi & Marcellini pueri. Item Tomis Phili episcopi. Qui sub Licinio* &c., eadem Rhabani de *Tito Episcopo;* verum ab aliis martyrologis hæc de S. Theogene scripta sunt. Cum iis conveniunt acta primo vulgata a Bollando die tertia Januarii; & Theogenis martyrium Cyzici ponunt in Hellesponto. Sollerius in suo Usuardo animadvertit, martyrologium Romanum parvum summæ præ cunctis vetustatis & auctoritatis brevissime hæc afferre; *& Tomis, martyrum Argei, Narcissi, Marcellini;* quæ sequuntur, ab Adone, ab Usuardo exscripta, a Rhabano *Tito*, a Notkero *Philos* Episcopis attributa; *Titum* Rhabani nemo novit; in Notkeri vero formula jam allata legere oportet; *item Tomis Theogenis*

filii

Digitized by Google

filii Episcopi &c. nam & in actis *filius Episcopi* nominatur; uterque vero erravit in loco martyrii, qui Cyzicum fuit urbs Hellesponti. Sic igitur utrumque corrige; *in civitate Tomis trium fratrum* &c. *item Cyzici in Hellesponto Theogenis filii Episcopi* &c., de nostris vero martyribus simplicior, & veræ propior formula esto; *Tomis in Ponto sanctorum trium fratrum Argai, Narcissi, Marcellini, qui sub Licinio Imp. gladio perempti sunt*; quam & Baronius suo martyrologio inscripsisset, si nota illi fuissent hactenus adducta argumenta. Denique de loco & die martyrii non est ambigendum; annus inter 319. ac 324. statui potest; hoc enim Licinius imperium jam amiserat; & insequenti vita sublatus est jussu Constantini. His, de quibus actum est, Tomitanis Martyribus duos adjungimus, ejusdem Scythicæ provinciæ Epictetum presbyterum, & Astionem monachum Almiride pro Christo interfectos, utrumque abscisso capite post diutina & exquisita tormenta sub Imperatore Diocletiano die octava Julii. Utriusque meminit Farlatus tom. 2. in catalogo Martyrum Illyricorum, & Almiridem in Mœsia inferiore collocat. Verum de urbis situ dubitant eruditi; etenim Rosweydus, qui primus horum martyrum acta edidit in vitis Patrum lib. 1. autumat ibi extitisse, ubi lacus *Halmiris* dictus a Plinio lib. 4. ad ostia Danubii; & Nicephorus lib. 22. *Halmyridem Mysiæ in Europa locum* nominat *ad Istrum situm*. Joannes Pinius in Julio Bolland. ad diem dictam hæret anceps; præterquam quod de Actorum fide veretur, quam suspectam habet, nec illorum aequiescit auctoritati; convenit vero cum Rosweydo, nulla horum Martyrum monumenta neque Græca, neque Latina reperiri, si excipias Florarium Sanctorum ms., in quo hæc; *In oriente sanctorum martyrum Epicliti & Astionis pro Christo interfectorum sub Diocletiano Imp. quorum miri actus & passiones leguntur. Passi sunt anno salutis CCXC*; & Grevenium in additamentis Usuardinis, atque Castellanum in Martyrologio universali, qui paullo longius de illis texunt elogium. Igitur Mœsiæ quidem inferiori attribui possunt, utpote quæ una erat provincia cum Scythia Pontica, a qua ante Diocletianum avulsa fines ad Pontum nunquam extendit; sed martyres Scythæ potius dicendi, si Almiridæ positionem spectes, quam Mœsiaci. Annus martyrii consignatur in Florario nonagesimus supra ducentesimum, cum Diocletianus persequi Christianos coeperat; Farlatus illud rejicit in an. 305. aut 306. regnante Galerio; nulla pro alterutro certa probatio. Acta non exhibemus tum quia prolixa nimium, & fidei incertæ, tum quia in Illyrico nostro sanctissimi martyres revera nequeant comprehendi.

Nunc de Episcopis Tomitanis, e quibus Philium expungo perperam intrusum in vetera martyrologia, unde error Lequienii Tom. 1. Or. Chr. ubi de Eccl. Tomit. Dixi superius Phili & Titi Episcoporum nomina e Notkero & Rhabano esse rejicienda; utriusque vero formulam Sollerii auctoritate ita correxi; item *Cizici in Hellesponto Theogenis filii Episcopi* &c. vide Bollandum die II. & III. Jan. & Usuardum Sollerii. Ita & Bedæ formula, quem Lequienius citat, vitiose se habet. Equidem sincerum Bedæ martyrologium ab Henschenio præfixum tom. 2. Martii Bolland. *IV. nonas* Januarii *vacat*; & ab Floro postea inserti sunt Argeus, Narcissus & Marcellinus; nihil de Philio. Bedæ vulgo dictum, usitatumque martyrologium III. non. Januarias hanc formulam exhibet; *& natale S. Theogenis martyris & S. Petri martyris, in Tomis civitate S. Filii episcopi* &c. quæ *transposita*, subdit Bollandus, *lege; in Tomis civitate natale S. Theogenis martyris filii Episcopi* &c., & *Tomis* vocabulum servat ad Bedæ sensum; deinde Theogenis martyrium Cyzico in Hellesponto adscribit. Fictitium itaque Philium rejicimus; &, quamvis existimare jure liceat ante sæc. IV. aliquos saltem Tomitanæ Ecclesiæ Antistites præfuisse, qui in Fide cives continerent, & inter persecutionum pericula incenderent ad asperrima quæque & crudelia toleranda pro Christo, cum illorum nomina & gesta perierint, ab exitu ejusdem sæculi Episcoporum seriem, quæ brevis est, exordiamur.

I. Evangelicus an. circ. 290.
II. II. NN. an. 325.
III. Bretanio an. 371.
IV. Gerontius an. 381.
V. Theotimus an. circ. 390.
VI. Timotheus an. 431.
VII. Joannes an. circ. 440.
VIII. Alexander an. circ. 448.
IX. Theotimus II. an. circ. 455.
X. Paternus an. 519.
XI. Valentinianus an. circ. 549.

EVANGELICUS EP. TOMITANUS I.

Evangelicus Ep. Tomitanus anno circ. 290.

Hæsi diu incertus, hunc ne Tomitanos inter Antistites adscriberem, cum ejus nomen unice innotescat ex actis sanctorum martyrium Epicteti, & Astionis, quæ, uti monuimus paullo superius, dubiæ fidei visa sunt Joanni Pinio, & a Rosweydo non improbata prorsus, nec probata omnino dici

ci queunt. Attamen si falsa quædam, & narrationi incongrua, & ingenioso auctoris arbitrio iis addita deprehenderis, qua ratione convinces fictam esse de Evangelico historiam? Hic igitur, cum Epictetus & Astion Almiride in urbe Scythiæ Ponticæ detinerentur in carcere, erat *Pontifex & præpositus sanctarum Dei Ecclesiarum*, inquiunt acta; cap. 3. & recte; etenim Scythicis Ecclesiis unus præerat, præfuitque semper Episcopus, isque Tomitanus, quem Evangelicum fuisse tunc, recte judicamus. Posteaquam beati martyres capite plexi sunt, Astionis parentes Christianam fidem edocti a Bonoso presbytero sacrum baptisma Evangelici manu susceperunt. *Igitur cum quadraginta dormitionis eorum dies illuxisset, & Christi Pontifex Evangelicus in urbem Almiredensium devenisset, assumens eos Vigilantius una cum sancto presbytero Bonoso ad eum perduxerunt, exponentes illis per ordinem cuncta, quæ acta fuissent, rogabant, ut in numero fidelium eos Christo consecraret. At ille nimium gavisus in Domino assumens eos & orans pro eis sufficienter, sacramentum baptismi tradidit. Et exultans cum eis per dies octo in aliam civitatem, quæ in proximo habebatur, remeavit;* hæc in actis cap. 4. nec aliud præterea quidquam de gestis Evangelici, cujus Episcopatus ad exitum sæc. III. potest referri; quippe illorum martyrum certamen an. 290. affigatur, aut 305. vel 306.

NN. EP. TOMITANUS II.

N. N. Ep. Tomitanus an. 325. Eusebius in vita Constantini lib. 3. cap. 7. testis est, nec *Scytham abfuisse a choro* Patrum Concilii Nicæni; & a catalogo latino Nicænorum Antistitum hujus nomen abest. Valesius in notis Eusebianis credit, Theophilum Gotthiæ Episcopum innui ab Eusebio. Verum quam Scythiam is intelligat, non liquet; & verisimilius videtur, de Pontica eum esse loqutum, in qua Christiana doctrina multo ante sæc. IV. late fuerat diffusa; & suus Episcopus Tomitanis non deerat. Hanc ob causam, auctore Eusebio, Anonymum istum duximus non rejiciendum, qui an. 325. Nicæam advenerit pro Jesu Christi divinitate & ipse propugnaturus.

S. BRITANIO EP. TOMITANUS III.

Bretanio Ep. Tomitanus an. 371. Bretannio etiam & Britannio appellatus hanc Sedem tenebat an. 371. Fidei Nicænæ defensor fortissimus adversus Valentem Imp., a quo in exsilium actus, paullo post suæ Ecclesiæ restitutus est; metus enim Valentem incesserat, ne Scythæ sui Episcopi desiderio defectionem a Romanis molirentur, utpote qui Barbaris Istri, Daciæque Trajanæ incolis finitimi sibi illos auxiliares poterant ad reipublicæ perniciem impellere. Rem narrat Sozomenus lib. 6. cap. 20. cujus verba exscribo. ejus acta;
Prædicant fideles Scythæ simili de causa in ea ipsa fide, Nicæna, *persistere. Gens ista multas habet urbes, pagos & castella; sed principatum obtinet Tomis, quæ est urbs magna & opulenta prope mare sita ad lævam, eum quis ad Pontum Euxinum navigat. Vetus consuetudo est, quæ ibi etiamnum servatur, ut unus Episcopus totius illius gentis Ecclesiis præsit. Itaque tempore, de quo jam loquimur, illas administravit Bretannio, quando etiam Imperator Tomim advenit. Postquam autem accessit ad Ecclesiam, & pro more suo ei persuadere conatus est, ut cum Arianis communicaret, Bretannio constanter admodum apud Imperatorem, & libere pro doctrina Concilii Nicani locutus recessit ab eo, & ad alteram Ecclesiam se contulit, quem populus quoque secutus est. Fere autem ab universa civitate eo concursum est, partim quo Imperatorem viderent, partim quod aliquid novarum rerum eum moliturum exspectarent.*

Valens igitur cum suis derelictus illud velut contumeliæ loco factum graviter tulit. atque Bretannionem comprehensum in exsilium deduci mandovit, quem non multo post denuo reduci permisit. Nam cum videret, credo, Scythas Episcopi exsilium iniquo animo pati, non parum veritus est, ne novis rebus studerent, quos quidem & fortes esse sciret, & ipso locorum situ necessarios imperio Romano, quippe qui impetum Rarbarorum illam orbis partem incolentium propulsarent. Itaque Imperatoris conatus sic a Bretannione compressus est, viro cum in aliis rebus spectato, cum ob divinam virtutem adeo insigni, ut etiam ipsi Scythæ laudis testimonium ei tribuerent.

Bretanio ante annum 381. terrenam cum cælesti vita commutavit. Illius memoria & cultus. colitur VIII. Kal. Februarii & nomen martyrologio Romano hisce inscriptum est. *Tomis in Scythia S. Britannionis Episcopi, qui mira sanctitate & zelo Catholicæ fidei sub Valente Imp. Ariano, cui restitit, in Ecclesia floruit.*

GERONTIUS EP. TOMITANUS IV.

Gerontius Ep. Tomitanus an. 381. Unus e centum quinquaginta Patribus, qui in Concilio I. Constantinopolitano Macedonium hæreticum damnaverunt an. 381. subscriptus *Gerontius Tomensis;* idemque unus

unus e paucis, quos commendat Theodosius M. in decreto ad Ausonium Asiæ Proconsulem; iisque Episcopis jubet reddendas esse Ecclesias, qui *in Scythiæ urbibus cum Terentio* l. Gerontio *Tomorum convenirent;* inquit Sozomenus lib. 7. cap. 9. adeo spectata erat viri fides & sanctitas; vide dicta in Martyrio Ep. Marcianopolitano.

S. THEOTIMUS EP. TOMITANUS V.

Theotimus Ep. Tomitanus an. circ. 490. Scythicam Ecclesiam eximiis virtutibus, ac miraculis collustravit; cujus laudes brevi narratione complexus est Sozomenus lib. 7. cap. 25. Theotimo fere coævus; inquit autem.

ejus elogium, *Eadem memoria Tomiensium & reliquæ Scythiæ Ecclesiam gubernabat Theotimus Scytha vir in philosophia enutritus, quem ob virtutem admirati Hunni, Istri incolæ barbari, Deum Romanorum appellabant; nam sane divinas in eo virtutes experti fuerant. Fertur enim, quod aliquando iter per hanc barbarorum terram facienti eadem via obvii facti sunt, qui ad deprædationem adequitabant. Lamentantibus igitur ejus sociis, perinde ac jamjam essent perituri, ille descendens ab equo orabat. Quo facto barbari neque eo, neque comitibus ejus, neque equis, quibus insidebant, conspectis, præterierunt. Cum autem crebris incursionibus Scythas infestarent Hunni, quamvis natura feri essent, tamen ad mansuetudinem convertit, cum conviviis tum muneribus eos libenter excipiens. Qua quidem ex re vir quidam barbarus suspicatus cum esse opulentum dolo capere studuerat. Parato igitur ad hoc laqueo ad scutum alligato, sicut in hostes confueverat, illi dum colloquitur, sublata dextra funem immissurus erat, tamquam eum ad se & ad contribules attracturus. At vero manus in ipso elevata in aere remansit; nec antea barbarus ex invisibilibus istis vinculis liberatus est, quam aliis pro ipso intercedentibus, Theotimus Deum exorasset. Ajunt porro quod hic in comu nutrienda, & philosophiæ studium, uti cæperat, prosecutus, ac tenui victu usus sit, sumendique nutrimenti non semper idem, sed in fame & siti tempus determinaverit.* Hactenus Sozomenus. Hinc recte arguit Baronius ad an. 402. num. x. ex hisce barbaris plurimos Theotimi mansuetudine delinitos, ac sermonibus victos Christianæ religioni nomen dedisse.

& affuit Constantinopoli. Erat is Constantinopoli an. 400., & adfuisse videtur Synodo, quo Antoninus Ephesi Episcopus, præside Joanne Chrysostomo, plurium flagitiorum reus damnatus est; teste Palladio in vita S. Joannis Chrys. cap. 13. *Tertiadecima indictione venerunt Constantinopolim Asiani Episcopi necessitatum quarumdam gratia; ii nobiscum commorabantur, præsentibus aliis ex Scythia Episcopis, Theotimo scilicet, atque ex Thracia Ammone Ægyptio, & ex Galatia Arabiano metropolitis omnibus ac senibus, usque ad viginti duorum Episcoporum numerum. Et omnibus congregatis* &c. hæc Palladius. Fuit autem gravior per eadem tempora contentio adversus Joannem Chrysostomum, in qua Theotimus etsi *non justa causa, justo tamen causæ prætextu,* inquit Baronius laudato in loco, pro illius sententia firmiter stetit. Convenerant ad urbem regiam Theophilus Alexandriæ, Epiphanius Salaminæ in Cypro Episcopi, uterque osor acerrimus Origenistarum; ille enim Origenem ejusque errores in Concilio Alexandrino an. 401. anathemate confixerat, & quos detexit ea labe imbutos, acriter insectabatur; ac Epiphaniis Teophili suasione indicta anno eodem Cypriorum Antistitum Synodo in Origenis libros sententiam tulit, ac rejiciendos decrevit. At Chrysostomus mitius cum iis rebatur agendum, qui Origenianæ hæreseos fuerant insimulati; quia monachos plurimos ex Ægypto profugos comiter exceperat in ecclesiasticam precum, non vero mysteriorum communionem; negavit etiam a se illos damnatum iri, nisi prius causa in Synodo, & eorum cum Theophilo expostulationis audirentur. Quamobrem & Epiphanius Chrysostomi vitabat consuetudinem, & Teophilus illius perdendi consilium fovebat tempusque & occasionem quærebat; quæ a Baronio, & ab Ecclesiasticis Scriptoribus habes fusissime tractata. Ferunt itaque Theotimum, cum in urbe versaretur anno scilicet 403., & Epiphanius ab eo peteret, ut Cypriæ Synodi decretis nomen adscriberet, respondisse *nequaquam esse fas, eum, qui jampridem esset mortuus, afficere contumelia, neque extra blasphemiam esse majorum censuram calumniari, & quæ ab illis decreta sunt reprobare. Hæc ubi dixisset, librum quemdam Origenis in medium profert, ac recitat; & recitata Ecclesiis utilia esse demonstrans, ineptum quiddam, inquit, his accedit, qui ista vituperant; periculum enim est, ne ea ipsa damnent, de quibus hi libri conscripti sunt;* ex Sozom. lib. 8. cap. 14. Cæterum hanc narrationem oppugnat Baronius ad illum annum ceu falsam, & ab Epiphanio non libros Origenis proscriptos fuisse, sed errores affirmat; in notis tamen martyrologio subjectis die Aprilis vicesima, Theotimum floruisse scribit temporibus Arcadii Imp., *interfuitque Synodo Constantinopolita-*

tanæ, stetitque pro Joanne Chrysostomo, in qua actum de abolendis Origenis operibus, fuitque de ea re ejus sententia, ne Origenis scripta tollerentur, qua esse sinceræ fidei probarentur; quæ mens & Hieronymi est in epistola ad Tranquillinum, & Augustini in ep. 9. ad Hieronymum, & Gelasii P. in Can. de Scripturis authent. Synodus, quam hic Baronius commemorat, haud alia est, quam conventus Episcoporum, qui cum Theophilo & Epiphanio de hac controversia disceptarunt.

ejusdem scripta

S. Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis Theotimum iis adjungit verbis; *Theotimus Scithiæ Tomorum Episcopus in morem dialogorum & veteris eloquentiæ breves commaticosque tractatus edidit. Audio eum & alia scribere.* Periere vero Theotimi libri, qui supererant adhuc sæc. VIII. cum S. Joannes Damascenus sua Paralella texeret; atque in ea tres retulit Theotimi sententias; priorem tit. *de laudatione Dei* pag. 778. tom. 2. edit. Paris. *Theotimi. Vere quoque memorem esse Dei, hoc est vitam memoria versare, illius autem oblivisci, idem prorsus ac interire;* posteriores duas ibidem pag. 781. tit. *de quærendo Deo; Theotimi episcopi Scythiæ ex oratione in illud,* si offers munus tuum; *Ultra Deum nihil rescire convenit. Ejusdem. Sic recte quispiam ad Deum accedit, cum totum ei tribuit, a quo nempe totum quod accepit, habet; atque ipsamet curas, & ea quorum causa illa accidunt.*

obitus & cultus.

Obiit Theotimus vicesimo circ. anno sæc. V. & haud minus doctrina quam virtutibus clarus in Divorum numero colitur a Græcis æque ac a Latinis XII. Kal. Majas; inscripta illius memoria martyrologio Romano; *Tomis in Scythia S. Theotimi episcopi, quem ob insignem ejus sanctitatem & miracula etiam infideles & barbari venerati sunt.*

TIMOTHEUS EP. TOMITANUS VI.

Timotheus Ep. Tomitanus anno 431. interest Conc. Ephesino.

Unus ex Patribus Concilii Ephesini an. 431., qui dolo captus ab Episcopis Nestorianæ factionis subscripsit epistolæ datæ Cyrillo & Patribus ne scilicet quidquam de Nestorio decerneretur ante adventum Joannis Episcopi Antiocheni & Orientalium Antistitum; *Timotheus episcopus e Scythia.* Sed cognita schismaticorum fraude atque versutia, ab eorum conventu recesseit; atque cum Orthodoxis Concilii Patribus Nestorii damnationem suo suffagio, subjectoque decretis Synodi nomine probavit; *Timotheus episcopus provinciæ Scythiæ civitatis Tomorum.* Ante an. 440. jam vita excesserat.

JOANNES EP. TOMITANUS VII.

Joannes Ep. Tomitanus VI. anno circ. 440. Eutychianæ & Nestorianæ hæresis oppugnatur.

Cui hæc laus tribuitur a Mario Mercatore, oppugnasse illum suis sermonibus Nestorii & Eutychis errores; hi vero sermones non ore tantum prolati, sed videntur, calamo fuisse descripti; quippe Marius in *Refutatione Nestorianismi*, & in operis calce testatur, *necessario profecto* se credidisse, *utramque pravitatem*, Nestorii & Eutychis *sua per plurimos ignoratione serpentem beatissimi Patris nostri Joannis Tomitanæ urbis Episcopi provinciæ Scythiæ sermonibus prodere;* vel quia ex iis opus confecit, aut potiora excerpit argumenta; & *serpentem*, inquit, *pravitatem;* nam Nestoriana hæresis a Patribus Ephesinis an. 431. & ante quam hæc scriberet Mercator, damnata, clam velut ignis latens adhuc serpebat verbis scriptisque Nestorianorum; & Eutychis error tum disseminari jam cæperat ante an. 440. quo anathemate perculsus est in Concilio Constantinopolitano anni ejusdem. Et Joannes e primis quidem in Eutychianam blasphemiam arma movit; & cum Mercator *Refutationem* composuit, jam is obierat; sive illud opus cum Garnerio affigas an circ. 446., sive cum Lequienio an. 448. Concilio siquidem Constantinopolitano an. 449. intererat Alexander Episcopus Tomitanus. Et recte, ait Marius, hasce hæreses *sua ignoratione per plurimos* serpisse, qui doctrinam verba sensusque S. Cyrilli prave interpretabantur, cujusmodi fuere Nestoriani, vel in erroris præsidium & columen detorquebant, scilicet Eutychiani. Joanni successit

ALEXANDER EP. TOMITANUS VIII.

Alexander Ep. Tomitanus anno circ. 448. in Conc. Constantinopolitano & Chalcedonensi.

Sedit cum Patribus concilii Constantinopolitani an. 449. in causa Eutichetis hæretici, *Alexander reverendissimus episcopus Tomitanorum civitatis provinciæ Scythiæ;* & an. 451. erat in Concilio Chalcedonensi, cujus decretis subscripsit; *Alexander episcopus Tomitanorum provinciæ Scythiæ subscripsi.*

THEOTIMUS II. EP. TOMITANUS IX.

Theotimus II. Episc. Tomitanus anno circ. 458.

Hujus exstant littesæ an. 458. ad Leonem Imp, pro Chalcedonensi Concilio, de quo Leo sententiam Orientalium Episcoporum quæsiverat & de Timotheo Æluro in Sedem Alexandrinam nefarie intruso, & perfido Concilii hoste. Sunt vero hujusmodi.

Domino piissimo, & Christianissimo impera-

Digitized by Google

ejus litteræ ad Leon. Imp. *ratori nostro Leoni Theotimus humilis Scythiæ regionis Episcopus.*

Decet tuam pietatem, venerabilis imperator Auguste ecclesiarum tranquillitate gaudere, & tribulationes populi conturbati & tempestates tranquillissimis vestris allocutionibus ad pacis jura transferre. Propterea siquidem vos Deus cælitus divino suo auxilio munivit, ut ea quidem, quæ sana sunt, imperiali potestate integra semper salvaque custodiatis, quæ vero vexata sunt atque corrupta, vestræ pietatis medicina curetis. Nihil itaque Deo est amabilius, nihil acceptius, quam ut illa vos sapiatis, quæ a Dei Patris sapientia didicistis, & illa doceatis, quæ ab ipsis fidei vestræ incunabulis saluberrime estis eruditi. Et quoniam sacratissimis vestris syllabis admonuistis, ut quæ sapimus de sancto Chalcedonensi Concilio, nostris litteris referamus ad vestræ notitiam pietatis, cognoscat vestra Serenitas, quoniam nihil amplius, nihil minus quam quæ in Chalcedonensi Concilio a sanctis patribus integre atque perfecte definita sunt, credimus atque consentimus. Neque enim aliud nos ultra sapere... quam ea, quæ tantorum patrum termino Sanctus Spiritus erudivit. Unde mansuetissime imperator, & ego, & omnis ecclesia Dei sic sapimus, & in consensu nostro sanctorum patrum definitiones fide & devota confessione confirmamus. De Timotheo vero sic sapimus; quoniam secundum virtutem precum, adhuc vivo existente episcopo, impudenti intentione ab excommunicatis est ordinatus, exordinatum & excommunicatum ecclesiastica regula eum esse decernit; neque manus impositionem illorum episcoporum in sancta ecclesia permittit quamdam habere virtutem, qui Christi fidem violantes ordinationem impositam sibi amiserunt. Nunc igitur nostræ confessionis verbum facientes saluberrimis vestris auribus manifestum deposcimus dominum nostrum Jesum Christum, ut vestrum imperium catholicæ fidei robore confortatum & crucis virtute munitum ab omni suspectione bellorum intactum semper custodire dignetur. Optamus vestram tranquillitatem divina providentia semper incolumem, & coronam imperii vestri intemeratam & impollutam multis annis nobis divinitas donare dignetur, domine sacratissime & venerabilis imperator.

Theotimi vitæ & Episcopatus finis ignotus est.

PATERNUS EP. TOMITANUS X.

Paternus Ep. Tomitanus anno 519. Huic Ecclesiæ præfuit quo tempore monachi Scythæ, quorum plurimi in monasteriis vel eremis Ponticam Scythiam incolebant, gravissimas in discrimen orthodoxæ fidei, & in ipsum Paternum turbas excitarunt. Historiæ hujus, quam Baronius ad an. 519. & insequentes, ac ibidem Pagius in notis chronologicis enarrant, summa est. Cum Eutychiani Concilium Chalcedonense, a quo Eutiches damnatus fuerat, criminationibus, ac blasphemis tum sermonibus tum scriptis impeterent, quo dogma de duabus in Christo naturis e Catholicorum animis abigeretur, Scythis monachis visum est, nova dicendi ratione Concilii doctrinam clarius esse explicandam; & hanc fidei tesseram proposuere, unde ab hæreticis discernerentur Ortodoxi profitentes nimirum *Unum de Trinitate in carne passum esse;* ita fieret perspicua divinæ ab humana natura in persona Christi distinctio; tanto vero æstu id cujuscumque auribus inculcabant, ut qui aliter sentiret, illico Nestorianum esse palam, impudenterque inclamarent. Hinc commota Constantinopoli, quo hanc ob causam advenerant an. 519., inter Catholicos contentio & in varias opiniones de recto hujusmodi phraseos sensu discessio. Adiere Monachi Hormisdæ Pontificis legatos, qui tum in urbe versabantur; at hi nihil decernere se velle testati sunt absque peculiari Horsmidæ mandato. Et jam præsenserant, non modicas, nec leves turbas inter Catholicos esse exorituras; propterea Pontificem illico certiorem fieri curarunt duplici ad ipsum *Suggestione;* extstat utraque tom. v. Concil. pag. 646. & seq. Venet. edit. Petavius part., Ration. temp. *otiosa*, inquit, *Constantinopoli commota quæstio est a Scythis monachis, utrum unum de Trinitate passum dici oporteret, de qua Catholici inter se ipsi non leniter altercati sunt;* & sane *otiosa* quæstio verbis tantum constans ambiguis. Quare Scythæ Romam profecti obtulere Pontifici libellos fidei eorum testes, & adjunctas preces, decerneret ia de oppugnata sententia, & catholicam esse pronuntiaret. At Hormisdas sapientissime non edixit hæreticam, sed ut novam improbavit, & Synodo Chalcedonensi injuriosam perinde atque Patres sanam fidem de duabus in Christo naturis aut ambigue aut obscure explicuissent contra Eytichis hæresim & Nestorii. Quot hujus causæ pro Monachis patroni, quot adversarii pugnaverint, legere quisque potest in Baronio & Pagio; & ille quidem Scythas hæreseos accusat, hic æquior ut videtur, illos cum Norisio absolvit; merito tamen reprehendendi, quia contumaces in Pontificem ab novitate opinionis disseminanda, quoad possent, ac tuenda non desti- a Monachis Scythis

tere; & quot Romæ tumultus exciverint, ipse Hormisdas describit in sua ad Episcopum Possessorem epistola. Qui Monachis acriter obstiterit, nimirum Paternus fuit, quem Episcopale munus urgebat, ut in sua provincia servarentur intacta Chalcedonensia decreta, neve dubiæ vocis ac formulæ puram sui gregis fidem ac religionem offenderent. Quare Monachos suæ obnoxios jurisdictioni cum redargueret, & ab hisce loquendi de fide novitatibus absterreret, velut Nestorianus apud Legatos Hormisdæ accusatur; quippe qui, si negaret, *unum de Trinitate in carne esse passum*, duas in Christo personas cum Nestorio defenderet; quod profecto a rejecta Scytharum propositione non sequebatur. Hæc Hormisdæ significant ejus Legati in epistola seu *Relatione* ad eumdem missa, cujus hujusmodi est porticula de Paterno; apud Baronium an. 319. num. 97. *isti de sua provincia Episcopos accusant, inter quos est Paternus Tomitanæ civitatis Antistes*. Suscepta est a Legatis defensio Paterni, qui suam fidem ingenue ac perspicue illis probaverat; sed, contempta a monachis Legatorum auctoritate, Justinus Imperator in publico conventu, cui & hi adfuerunt, ita dissidium componi jussit, ut Vitalianus quidam Magister militum, & Monachorum acerrimus fautor gratiam cum Paterno iniret, & hi veniam ab illo exposcerent, qui hæreseos nota eum infecissent; at Monachi ne Justini quidem sententiæ acquievere, & fuga elapsi sunt; *& quia nobis diu laborantibus, illis nullam suscipientibus rationem, nihil proficiebat in eo, quo tendebamus, clementissimus Imperator in conventu publico ubi & nos interfuimus Paternum prædictum Episcopum & magnificum virum Vitalianum reduxit ad gratiam, accusatores quoque ejus suo præcepit Episcopo supplicare; Monachi vero cum similiter ad concordiam quærerentur, fuga lapsi maluerunt de civitate discedere, quam ad concordiam pervenire;* hactenus Legati.

Nestorianismi accusatur,

& absolvitur.

Hic inquirit Lequienius, quinam ii Episcopi in Scythia Pontica fuerint a Monachis in judicium, ceu hæretici, vocati; unus quippe toti provinciæ Antistes, isque Paternus, præerat; fortasse Paterni adjutores erant ab eo expetiti, aut finitimæ alicujus urbis Episcopi, qui veluti Scythæ haberentur, & Monachorum opinionibus infensi; certe, uti a nobis animadversum est, Dittas Episcopus Odyssi in Mœsia inferiori hanc subscriptionem adjecit epistolæ Synodicæ ad Leonem Imp. *Dittas Episcopus civitatis Odyssæ Scythiæ*, cui esset confinis; & verisimile est, unam aliquam Ponticæ regionis urbem, quæ plures erant, teste Sozomeno jam laudato, fuisse Episcopali dignitate donatam, quo commodius, atque utilius res ecclesiasticæ administrarentur; nullius tamen in hac provincia Episcopatus præter Tomitanum mentio inest in Geographia & Historia ecclesiastica. Paternus, suspicione hæresis prorsus deleta, erat Constantinopoli an. 520. cum Epiphanius ad Sedem Constantinopolitanam evectus est, suumque nomen subscripsit *relationi Synodi Constantinopolitanæ* ad Hormisdam, *de Ordinatione Epiphanii; Paternus misericordia Dei episcopus provinciæ Scythiæ metropolitanus, ut supra*, idest, *subscribens in Synodalibus saluto vos in domino, domine*. Inde in Scythiam reversus est; & quamdiu suam rexerit Ecclesiam, nullis constat monumentis.

VALENTINIANUS EP. TOMITANUS XI. AC POSTREMUS.

Valentinianus Ep. Tomitanus an. circ. 549.

Par Episcopis superioribus merito doctrinæ, ac religionis & pietatis. Gessit Episcopatum. quo tempore Græca æque, atque Latina Ecclesia gravissimis jactabatur dissidiis trium, ut ajunt, Capitulorum causa, quorum historiam habes in tom. 2. Operis nostri. Quod ad hanc rem pertinet, summatim hic expono. Post Chalcedonense Concilium an. 451., in quo Ibas Episcopus Edessenus, damnato Nestorio prius & Eutyche, communioni Catholicæ fuerat restitutus, unaque Theodoretus Cyrensis Antistes, Nestorii olim fautor, & S. Cyrilli adversarius, Justinianus Imperator suo decreto Origenem anathemate configendum censuit, suoque edicto subscripsere Patriarchæ omnes, tum Vigilius ipse Romanus Pontifex. Ægerrime id tulit Theodorus Episcopus Cæsariensis Origenis patronus atque Acephalorum, eorum scilicet, qui Eutychiana polluti labe, & Synodi Chalcedonensis hostes Acephali idest sine Capite Alexandriæ primo dicti sunt, cum & a Catholicis partibus dissiderent, & a proprio Episcopo Alexandrino, nempe Petro Moggo impiissimo hæretico. Quare Theodorus callide suggerit Justiniano, ut suo præcepto anathemati subjiciatur Theodorus Mopsuestenus Nestorii præceptor, tum Ibæ Edesseni epistolam ad Marim Persam, in ea quippe Theodorum impense commendat cum Cyrilli ac Nestorii acri objurgatione, ac Theodoreti anathematismos in Cyrillum injectos; hinc fiebat, ut Concilii Chalcedonensis imminueretur auctoritas, quasi Patres hæc tria capita neglexissent, plurimum sancitis in Synodo dogmatibus nocitura, & incaute Ibam & Theodoretum excepissent, quin eorum scri-

In controversiis trium Capitulorum

pta

Digitized by Google

pta antea reprobarentur; inde sequebatur etiam, Acephalos tenacius a Concilio aversos fore, & Theodorum pro injuria condemnati Origenis se se, uti cupiebat, aliis injuriis ulturum. Huic consilio intercessere Catholici complures; sed vicit Justiniani assensio & voluntas, qui an. 546. edito libro tria illa *capitula* rejecta & damnata edixit, ac Patriarchas Orientalis Imperii, & Vigilium Pontificem Constantinopolim accitum etsi reluctantem coegit suæ sententiæ subscribere. Vigilius tamen an. insequenti decretum, *Judicati* titulo, publice emisit, quo priorem firmavit consensum, at *salva Concilii Chalcedonensis reverentia & auctoritate*, quam formulam cum deleri juberet Imperator, fortiter obstitit Pontifex; & ne verbum quidem decreti passus est immutari.

Interea delatus per provincias rumor est, scriptis etiam libris vulgatus, Romanum Pontificem, iis Capitulis damnatis, oppugnasse Patres Concilii Chalcedonensis, Ibam & Theodoretum, quos ii absolverant, male ab illo habitos, & ab Ecclesiæ cætu ejectos, Chalcedonensis dogmata & decreta fuisse labefactata. Quare his non pauci Catholici vehementer perculsi a Vigilii communione abhorrebant; prudentiores alii

scribit Virgilio P. rem accuratius investigandam censuerunt; inter quos Valentinianus falso edoctus ab negotiorum suorum curatoribus, qui in urbe regia versabantur, litteras misit Constantinopolim ad Vigilium petens & orans sollicite, vellet eum veritatem edocere de iis, quæ contumeliose, & maximo cum fidei catholicæ detrimento ferebantur in vulgus. Valentiniani litteræ periere; exstat vero Pontificis responsum, quo quid a se judicatum, quid in hac causa sit actum, clare exponit, mendacia adversariorum refellit, monetque, ne fidem iis adhibeat suumque gregem de illorum calumniis, & veteratoriis instruat scriptis; data est hæc responsio an. 550.

ad eum Vigilii responsio. *Dilectissimo fratri Valentiniano Episcopo de Tomis provinciæ Scythiæ, Vigilius.*

Fraternitatis tuæ relegentes scripta Pontificalem in vobis sollicitudinem inesse gratanter accepimus, quia prophetica sibi possunt verba competenter aptari, quibus ait;

Ezech. xxxiii. 22. Salvabo gregem meum. *Oportet ergo charitatem tuam ea quoque Domini nostri verba sectari, per quæ dixit;* Speculatorem

ib. iii. 17. te posui domui Israel, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis iis ex me; *& congregatos eos, quos scandalizari diversis rumoribus retulisti, incessanter hortari, ne per hos forsitan seducantur, qui sub prætextu Catholico nequissimo spiritu simplicium Christianorum corda fallacia sua decipere moliuntur, & patris sui diaboli consuetudinem maligno sectantes spiritu Ecclesiam tibi commissam diversis mendacibus scriptis conturbare desiderant; quibus Apostolica lectio congruenter adaptatur, dicens;* Rom. xvi. 17. Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis; *& infra;* & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. ib. v. 18. 19. Vestra autem obedientia in omni loco divulgata est; *quatenus fraternitatis vestræ, adhortatione sæpe commoniti nulla fideles eorum animosa rectitudine viæ, quæ Christus est, qui ait,* ego sum via, veritas & vita, Joan. xiv. 6. *qualibet maligna annunciatione submoveant; sed si quod non oportet, ab adversariis conturbati aliquid, quod Deus avertat, contra fidem factum forte formidant, cum mansuetudine, qua convenit Christianis, prophetica verba sectentur dicentis;* interroga patrem tuum & annunciabit tibi, seniores tuos, & dicent tibi; labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore ejus. Deuter. xxxii. 7. Malach. ii. 7.

Et quoniam Besmianus illustris, & magnificus vir filius noster, cum his, qui pro actibus tuæ fraternitatis Ecclesiæ in Constantinopoli observant, pari ratione dixisse noscuntur, etiam hoc Dei inimicos fuisse mentitos, quod personæ Episcoporum Ibæ atque Theodoreti in nostro, quod absit, fuissent (1) Judicato *damnatæ, legant ergo, quæ de causa, quæ hic mota est, ad fratrem nostrum* (2) *Mennam Constantinopolitanæ urbis episcopum scribentes legimur definisse; & tunc cognoscent, nihil a nobis, Deo nos custodiente, commissum vel certe dispositum, quod contra fidem prædicationemque venerandarum quatuor Synodorum, quæ pro una eademque fide definita sunt, idest Nicænæ Constantinopolitanæ Ephesinæ primæ & Chalcedonensis reperiatur adversum, aut unius ex his, qui definitioni suprascriptæ Chalcedonensis fidei subscripserunt, tangat injuriam vel quod decessorum prædecessorumque nostrorum inveniatur, quod absit, constitutis forte contrarium; sed in omnibus Apostolicæ Sedis Præsulum, & beatæ recordationis Leonis Papæ & prædictarum Synodorum adversariis restitisse. Fraternitatem autem vestram credimus non latere, inimicos fidei Christianæ hoc semper seculari & reprobanda molitos astutia, ut Evangelistas quatuor contraria sibi, quod absit, dixisse monstrarent; qquibus a sanctis Patribus per Evangeliorum concordiæ libros est cælesti sapientia contradictum.*

Quod nunc quoque sancti Chalcedonensis Concili adversarii, (inter quos etiam Rusti-

3 *sticum & Sebastianum* (3) *comperimus istius scandali auctores, quos olim pro meritis suis a sacra communione suspendimus; in quibus nos, si non resipuerint celeriter, fraternitas tua noscat canonicam sententiam prolaturos; qui sub prætextu falsæ defensionis student, ut eamdem Synodum contra prædictas tres Synodos dixisse, quod absit, ostendant. Quibus hæc conantibus Prophetæ dicta consonanter aptantur dicentis;* Vere mendacium operatus est stylus mendax Scribarum; verbum Domini nostri projecerunt, & sapientia nulla est in eis; docuerunt enim linguam suam loqui men-
Hier. VIII. 8. 9. 10. dacium, *ut inique agerent, laboraverunt. Quibus, si non pœnituerint veniet Psalmistæ invocata sententia dicentis;* Ut de-
Ps. VIII. 3. struat inimicum & defensorem.

Credimus enim, Catholicis Ecclesiæ filiis ea, quæ tunc ad fratrem & coepiscopum nostrum Menuam scripsimus, idest de blasphemiis Theodori Mapsuesteni, ejusque persona, vel de epistola, quæ ad Marim Persam scripta ab Iba, & scripta Theodoreti, quæ contra rectam fidem, & duodecim capitula sancti Cyrilli facta sunt, aliunde
4 *posse sufficere. Qnippe dum in* (4) Constituto *nostro superius designato possit diligenter agnosci, quia ipsa defensione fidei, quam sancti Chalcedonensis Concilii sacerdotes secundum præcedentes eam tres alias sanctas Synodus protulerant, non aliquid mutaverunt; sed laudantes omnia, quæ a superioribus acta sunt, sancta definitione sua perpetuo roborare firmaverunt. Tamen si post hæc aliquis, quod non credimus, dubitare voluerit, hortamur, ut cum tuæ fraternitatis ordinatione ad nos venire festinet, quatenus lucida admonitione cognoscat, omnia, quæ decessorum, & antefatarum quatuor Synodorum sunt de una eademque fide acta scriptaque temporibus, a nobis inviolabiliter fuisse servata.*

Qua ratione percepta, sublato, sicut oportet, de Christianissimis animis scandalo, pax Deo placita in ejus Ecclesia illibata perduret. Hoc quidem fraternitatem tuam credimus adhortandam, ne ulterius prædictorum Rustici & Sebastiani, aut illorum, qui pravæ eorum præsumptionis probantur esse participes, scripta suscipiat, sed & universos ad tuam pertinentes ordinationem admoneas, ne vel ipsi a prædictis relegant aliquid destinatum, vel falsitati eorum ulterius animum suæ credulitatis accomodent. Deus te incolumem custodiat, frater charissime. Dat. XV. Kal. Aprilis, imperii domini Justiniani perpetui Augusti anno vigesimotertio, post Consula-
5 *tum Basilii viri clarissimi anno nono;* (5) est annus Christi 550.

Per Joannem presbyterum & Apocrisarium; & ipse direxit eam per Maxentium hominem suum.

NOTÆ.

1 Hujus *Judicati*, seu sententiæ, quam Vigilius protulit adversus tria Capitula, cum esset Constantinopoli, & Mennæ tradidit Patriarchæ, exstat fragmentum in epistola Justiniani Imp. ad Patres Synodi V. Œcumenicæ Constantinopolitanæ, quæ lecta est initio ipso Collationis primæ. Ibi Vigilius tria anathemata intorquet; primum *in Theodorum, qui fuit Mopsuestiæ episcopus, cum omnibus suis impiis scriptis, & qui vindicant eum;* alterum *in impiam epistolam, quæ ad Marim Persam scripta esse ab Iba dicitur;* tertium *in scripta Theodoreti, quæ contra rectam fidem & duodecim Capitula sancti Cyrilli scripta sunt.* Igitur mentiebantur revera, qui Ibam & Theodoretum a Vigilio damnatos susurrabant. Quin & Justinianus in laudata epistola id affirmat, & litterarum Vigilii ad Valentinianum meminit hisce verbis; *etiam Valentiniano episcopo Scythiæ scripsit, & manifestavit de condemnatione istorum Capitulorum, & præcepit eis nihil suscipere, quod a condemnatis diaconis,* Rustico & Sebastiano, *scribitur contrarium prædicto Judicato.* Hic Pagius erudite corrigit chronologicum errorem Baronii; quod ad annum Vigiliani Judicati; non enim an. 547. sed insequenti esse affigendum probat auctoritate Card. Norisii.

2 S. Mennas Patriarcha Constantinopolitanus tria Capitula invitus damnaverat, & a Vigilio hanc ob caussam fuerat communione interdictus; sed cum Pontifex Constantinopolim advenisset, Ecclesiasticam ei pacem reddidit; vide de re tota Baronium & Pagium. Colitur S. Mennas VIII. Kal. Septembris.

3 Rusticus & Sebastianus diaconi Ecclesiæ Romanæ, & schismatis auctores fautoresque adversus Vigilium, qui verbis & scriptis *Judicatum* illius calumniati sunt, in Scythia præsertim; quare monet Pontifex Valentinianum, ne is neve suæ provinciæ Catholici fidem ullam adhibeant illorum obtrectationibus atque mendaciis. Hos a se removerat Vigilius comminatione anathematis, nisi resipiscerent; contumaces vero canonica mulctatos sententia ab Ecclesia demum ejecit; hanc habes in Collatione VII. Synodi V. Œcumenicæ.

4 *Constituto*, idest Judicato; duo autem Constituta edidit postea idem Pontifex; alterum, quo de Synodo queritur jam coacta contra atque pactum fuerat cum

cum Justiniano; & longam instituit de tribus Capitulis tractationem; alterum seu decretum quo Synodi acta confirmat an. 553. queis adde tertium an. 514., pro condemnatione trium Capitulorum, quod etiam inscribitur, *Definitio fidei sancti Chalcedonensis Concilii*. Insunt hæc tom. 5. Concil. Venet. Edit. primum scilicet Constitutum; alia duo tom. VI.

5. Et hic Pagius animadvertit recte contra Garnerium anno 550. omnino illigandam esse hanc epistolam Vigilii; convenit enim cum illo & annus XXIII. imperii Justiniani, qui desinit Kalendis Aprilis, ante quas datæ sunt Pontificis litteræ, & annus IX. post Consulatum Basilii; quare Tom. VI. Conciliorum Venet. Edit. Colet. tollenda adjecta in margine huic epistolæ notatio, *forte* 24. *Justin.* & 10. post Consulatum Basilii *annos*.

Valentinianum, acceptis Vigilii litteris, morem gessisse Romano Pontifici, non dubitamus, conatumque esse, pullulantia schismatis semina statim evellere. Abest ejus nomen in catalogo Episcoporum Synodi V. biennio post celebratæ; & fortasse obierat ante hunc annum 553. postremus, qui innotescat, Tomitanæ Ecclesiæ, & Scythiæ Ponticæ Episcopus; quæ, veluti nobilissimus ager, plurium Martyrum sanguine fœcundata, & suorum Antistitum, religione, doctrina & sanctitate sollertissime culta, post barbaricas vastationes, direptionesque nunc horridæ sylvæ formam exhibet luctuosam, erroribus, vitiis ac flagitiis obsitam, in qua pauca invenias avitæ Christianæ fidei vestigia, nulla antiquæ celebritatis & gloriæ. Videant Episcopi, & Apostolici viri, qui eas regiones peragrant, aut administrant, in terra se esse Sanctorum; & Deus faxit aliquando, ut, excussa, qua premitur, tyrannide, eorum curis, studiis, laboribus ad verum Dei cultum, & in unam Catholicæ Ecclesiæ fidem reviviscat, sanctisque refloreat Christianæ vitæ institutis atque exemplis.



EPI-

Digitized by Google

EPISCOPI BELGRADENSES,

SEMANDRIENSES, ET VIDINENSES.

TRes hosce Episcopatus a cœteris sejunctos hic adnecto, cum nulli certo Metropolitæ fuerint firmiter subjecti; nec cui hodie pareant, mihi liquet, nec tuto licet asserere; etsi Semandriensis & Vidinensis jam desierint; & de Belgradensi præsens nobis ignota sit conditio.

EPISCOPI BELGRADENSES.

Belgradi nomen, & situs.

ALii isti sunt ab iis, quorum series edita a Farlato fuit in Tom. IV. quique Spalatensi Archiepiscopo suberant, & alia civitas & Ecclesia Belgradensis, de qua hic agimus. Belgrado in Dalmatia maritima everso, decus Episcopale an. 1225. Scardonam transiit; & occupato ante dimidium sæc. VII. a Serblis Singiduno in Mœsia superiori immutatum nomen est, quod *Belgradum* dixere eorum lingua, idest *Albam Arcem* Serblianum igitur Belgradum idem est ac vetus Singidunum; neque commune quidquam habet cum Tauruno trans Savum sito, ubi nunc Semelinum; vide, quæ Salagii auctoritate diximus tom. VII. in Ecclesia Singidunensi. Quare Bonbardii sententiam in sua Topograph. Hungar. pag. 275. omnino rejicimus, cum e Tauruni ruinis Belgradum conditum fuisse affirmat; quæ quidem civitas, dum Serblorum pertulit dominatum, ingentes perpessa est clades a Græcis & a Bulgaris Serblorum hostibus, & ab Hungaris, ubi primum ultra Danubium eorum regni fines dilatari cœpti. *Alba* etiam *Græca* appellari solet a vetusta Græcorum possessione, qui Serblis urbem eripuerant, unde & discrimen ab *Alba regali;* hæc enim ad Hungariam pertinet, illa ad Serbliam; quam Salamon rex Hungariæ an. 1073. suo imperio adjunxit, Græcis inde ejectis, Serblique postea in potestatem sibi rursum vindicarunt. Laudatus Bonbardius hæret anceps, pag. 276., quinam fuerit Neemanes Bosnæ rex, qui Belgradum instaurasse dicitur auctore Isthvanffio lib. 7. dum Ludovicus I. Hungaris dominabatur; nullus enim eo nomine Bosnam

Domini plures.

regebat Ludovici ævo, sæc. scilicet XIV. statuitque Neemanem seniorem, ex quo regia orta Neemania familia, sub exitum sæc. XII., Belgrado resarciendo admovisse manum; a Ludovico autem capta urbe, arcem Belgradensem exstructam adversus Serblorum hostiles incursus. Verum fallitur Isthvanffius, qui Neemanem Serbliani regni hæredem loco Bessæ patris Bosnæ dominum autumat, nam vectigales tantummodo habuit Dynastas Bosnenses. At hic auctor, meo quidem judicio, Stephanum Duscianum intelligit e Neemanis stirpe, quo titulo ornabantur vulgo Serbliæ reges; is vero *Romaniæ*, *Sclavoniæ* & *Albaniæ* ob relatas contra Græcos victorias *Imperatorem* se jactitavit, numquam Bosnæ regem; idemque bella gessit cum Ludovico, cujus socer non erat; nam hic uxorem duxerat Helenam Alexandri Bulgariæ regis sororem, & Stephanus an. 1556. in Thracia obiit. A neutro Neemane Belgradum restitutum comperio. Sed cum Ludovicus arma in Serblianum regnum eo anno movisset, & Rasciam aggrederetur, veluti Hungarici juris provinciam, non dubito, quin Belgrado potitus fuerit, & urbem muniverit, ne Serblorum pateret insultibus; quamquam inter se discrepent Hungaricarum rerum Scriptores, cuinam e suis regibus Belgradensis munitio sit attribuenda. Certum tamen est, Georgium, unum e Serblianis Dynastis hanc urbem cum pluribus in Hungaria oppidis commutasse an. 1425. Sigismundi regis & Imperatoris consensu, ac voluntate, cui optatissima erat Belgradi possessio, & tuendo ea parte regno perutilis; hæc Isthvanffius part. 3. dec. 2. p. 322., quamvis Orbinus pag. 327. hanc permutationem rejiciat in an. 1438. Alberto II. Austriaco in Hungaria rege. De Neemanis satis actum tom. VI. in Catharensi, tom. VII. in Antibarensi Ecclesia; & paullo ante in hoc tomo, ubi de Patriarchatu Ipechiensi. Pergit Bonbardius, & Belgradi calamitates enarrat, cum anno 1440. ab Amurathe II. oppugnatum fuit irrito tamen conatu; post annos fere duodecim

decim

Digitized by Google

decim Mehemetes II. idem facinus cum moliretur, Joannis Hunnisdis virtuti cessit & turpi fuga in Thraciam reverti coactus est. Tertio autem a Solimano II. validissime objessa urbs, ducum suorum ignavia & proditione in hostium cecidit potestatem an. 1521. Ac ducentis fere annis ingemuit sub barbarico jugo; a quo Eugenii Sabaudi invicta fortitudine, & exquisita rei militaris scientia, ac christiana præsertim pietate an. 1717. XVI. Kal. Septembres liberata est. Ast quo nescio fato, Dei certe justo judicio, Turcicam iterum paullo post subiit servitutem & adhuc experitur.

veteris monumenta. Veteris Singiduni nulla, quod ego sciam, supersunt vestigia; Verantius in in suo Itiner. ms. viam a Romanis stratam describit, quæ prope Belgradum caput habet, & ad Constantinopolim desinit; Turcæ *Trajanam* appellant; *constrata est lapide non quadrato neque grandi, sed communi & mediocri, eoque qui ubique obvius fit. Ejus autem latitudo est passuum soliti humani incessus novem; nec alibi uspiam partem vel frustum illius integrius & exactius vidimus, quam in exitu ab oppido Nis, quod erat longum passus circiter* 140. *In aliis locis modo a dextra, modo a sinistra frustim occurrit, apparetque per intervalla, quod passim obtrita & disjecta sit; partim luto obruta & fruticibus hausta est.* hæc Verantius sæc. XVI. De hac via eadem ferme Marnavitius narrat in lib. de Principibus Nissienibus pag. 6., ut hujus apud nos schedæ innuunt; quamvis communi deceptus errore Taurunum stetisse credat, ubi nunc Belgradum assurgit *ad confluentem cum Danubio Savum &c. A quo Tauruno*, Belgrado, *via olim Romana majestate ad Byzantium ducta nomen a Trajano authore retinens adhuc per ipsam urbem Nissensem, ut patitur longi ævi vetustas, strata videtur*. Quod vero ad urbem spectat Rusbequius in prima epistola an. 1554. de sua legatione Constantinopolitana Belgradi exhibet conspectum, graphica hujusmodi descriptione;

urbis descriptio. *Belgradum situm est ad confluentem Savi & Danubii; in eoque, velut in extremo promontorii angulo, urbs vetus exstat, antiqua structura, multis turribus & duplici muro munita; duabus ex partibus, quæ dixi, fluminibus alluitur; at ea parte, qua terræ jungitur, editiore loco bene firmam habet arcem ex pluribus & excelsis turribus lapide quadrato constructis. Ante urbem ingens ædificiorum congeries suburbiaque amplissima, in quibus variæ habitant nationes, Turcæ, Græci, Judæi, Hungari, Dalmatæ, aliæ item plures*. Parum dissimilis facies urbis pingitur a Bonbardio post Turcarum inde expulsionem, si pauca excipias; *Domus*, inquit, *quod reliquis Turcarum stationibus commune, ex tribulis plerumque contexuntur, si sex septemve excipias, quæ ex concamerationibus, fornicatisque conclavibus constant. Paucula hæ in vetustatis primævique decoris testimonium supersunt, quibus addes nonnulla a curiosioribus deprehensa primorum regum monumenta, potissimum autem eorum insignia lapidibus incisa, inter quæ Uladislai regis Hungariæ & Bohemiæ in quadrato, qui muro insertus est, lapide visuntur;* & descriptis, quæ tum extruebantur, operibus pro urbis munimine & ornamento subjicit; *quæ longius seposita a Danubio ad Savi usque ripam porriguntur ab adversa munitionis parte, a Rascianis incolis* Rascianæ civitatis *appellationem obtinuere. Quod autem infra eamdem munitionem, ut vocant, situm propter Savi in Danubium prolabentis littora protenditur*, urbs aquatica *vulgo audit*. Nunc Belgradum quovis bellico protecta validiori munimento præcipua est Turcarum arx, & imperii propugnaculum in Serbliæ finibus, qua proxime Hungariam respicit; & locupleti diversarum gentium commercio patet. Neque omitto, Belgradum claruisse olim natalibus Georgii Thurii inter Hungaros poetas plurimum celebratus; ejus elegias, epitaphia atque epigramma edidit Parens in libro inscripto *Delitiæ Poetarum Hung*, vide Czivittingerum in *Specim. Hung. Litter.*

Nunc de Ecclesia Belgradensi, quam si cum Singidunensi conjungimus, illius ortus ad priora Ecclesiæ sæcula rejiciendus est; Ecclesia Belgradensis & Episcopatus. si vero sejungatur, post Serbiorum adventum in Mœsiam superiorem sæc. VII., & occupatum ab iis Singidunum tum cœpisse videtur novo urbis nomine nova etiam Ecclesia, novusque Belgradensis Episcopatus. In tom. VII. deduximus seriem Antistitum Singidunensium ad exitum ferme sæc. VI., aliosque consecutos conjicimus quorum periit memoria. Serblis itaque Singiduni dominis, quam urbem Belegradam dixere, Salagius a nobis sæpe laudatus existimat lib. 3. de statu Ecclesiæ Pannonicæ cap. XI. institutum fuisse sæc. IX. Episcopatum Belgradensem a S. Ignatio Patriarcha Constantinopolitano, cui Serbli subjicerentur ad sacra Christiana conversi, quique in Salonitani metropolitæ jurisdictione esset, quippe hujus jura in Mœsiam usque superiorem porrecta jam fuerant hoc ipso IX. sæc. vide tom. 2. in Petro Archiep. Salonitano. Neque huic repugno Salagii sententiæ; & hinc Belgradensis Ecclesiæ initia cognoscimus vere ca-

tholica, S. Ignatio auctore, & catholicæ communioni junctos priores Antistites quicumque ii fuerint. Nam qui primus nominatur Belgradi Episcopus tum Schismatica peste, tum aliis infamis sceleribus hanc Sedem Photianorum vi ac perfidia arripuerat, & iccirco non est cæteris adnumerandus. Cum Bulgari Mœsiaca Serbliorum regione potiti essent, & schisma Photianum etiam ante obitum S. Ignatii Patriarchæ an. 878. hac illac serperet haud latenter, Georgius nescio quis Bulgarorum se jactabat Episcopum, & hos schismaticæ factioni magis adstringere, & Serblianos a Romana Sede avellere conabatur; quod ut a Serblianis assequeretur, Episcopum Belgradensibus præfecit Sergium monachum, quo nullus vitiis deterior, & sacerdotio, in quod malis artibus irrepserat, sui Episcopi judicio dejectus. Impium facinus delatum est Joanni VIII. Pontifici; qui de utriusque gentis salute perquam sollicitus eodem an. 878. scripsit Michaeli regi Bulgarorum, ut illum quidem ad amplectendam Romanam fidem alliceret, sed moneret etiam, Sergium a se damnatum, suoque judicio ab Episcopali sede depulsum; caveat itaque, nequis nefarii hominis sese immisceat consortio, ejusve adhæreat communioni; *Cæterum gloria vestra sciat, Sergium Monachum, al. Eunuchum, qui cum genere Sclavus esset, & multis pravitatibus irretitus, sacerdotium per subreptionem obtinuit, & post etiam super aliis detectus, & convictus excessibus ab Episcopo tunc suo depositus fuisse dignoscitur, & post indigne satis a Georgio, qui falso sibi nomen Episcopi usurpat ad Episcopatum Belogradensem provectus est, Apostolorum Principum & sanctorum canonum auctoritate, etiam nostri esse sententia decreti depositum. Quod tam vobis, quam vestræ omnium generalitati canonice patefacimus, ut hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur, ne, quod non optamus, simili cum eis pœna judicii teneantur adstricti*. Censet hic Salagius, Michaelem Pontificis jussa neglexisse, & Sergio servatam Episcopalem dignitatem, cum & Georgius Sergii fautor, ac defensor, quem Pontifex Pseudoepiscopum appellat, a Bulgaris suus Episcopus libere habitus atque agnitus fuerit. De Georgio & Bulgarico Patriarchatu agemus in Ecclesia Achridensi.

Hæc vero rei summa est, usque ad sæc. XV. ignotos esse Episcopos Belgradenses, nullamque exstare hujus Ecclesiæ notitiam, quæ modo Catholicis, modo Schismaticis subjecta Principibus luctuosas sæpe doluit religionis vices, &, & siquando creati fuere Antistites, modo lupos habuit, modo Pastores. Antequam Georgius Semandriæ Dynasta Belgradum cederet Sigismundo regi, pacta cum aliis Hungariæ oppidis commutatione an. 1425. Latini ritus Episcopus Belgrado præerat; nec dubito, id studio, cura, consilioque effectum Patrum Ordinis Franciscani, quorum incredibiles labores, & ingentia in excolendis Catholica fide Serbliæ ac Bulgariæ regionibus nullus quisquam satis valet commendare. Cuinam porro Metropolitæ Belgradensem episcopatum Pontifex tum subdiderit, affirmare non audeo; pro temporum certe varietate in jus unius alteriusve metropolis Ecclesiasticæ transiisse puto; quod suis locis animadvertam; fortasse aliqua permissa est Antibarensi Archiepiscopo in hunc jurisdictio, quamvis ad illius provinciam non attineat; & hæc Ecclesia cum aliis nunquam censetur, quæ in catalogis Episcopatuum illi Metropoli dicuntur subjectæ; & quæ in Bulgaria, Serblia, ac Dardania erant Metropoles Scopiensis, Sophiensis, Marcianopolitana vix nomen, nedum metropoleon potestatem per ea tempora retinebant. Sed nec de amplitudine vel finibus hujus diœceseos certum quid possumus affirmare; nam dominatuum vicissitudines, bellorum calamitates, Schismaticorum injuriæ, violentia Turcarum vix quidquam reliquere Episcoporum necessario victui & cultui. Ferunt Antistitum Belgradensium jurisdictioni Themisvarium & Lippam in Temesiensi Comitatu paruisse, qui Belgrado millia passuum decem Hungarica abest. Age nunc de Episcopis Belgradensibus, quos reperire licuit. sub diversis Metropolitis.

I. N. an. inc.
II. Gregorius an. 1419.
III. Matthæus an. 1420.
IV. Nicolaus an. inc.
V. Blasius Joannes an. 1429.
VI. Nicolaus Joannes an. 1525.
VII. Petrus an. 1615.
VIII. Marinus an. inc.
IX. Matthæus II. an. 1650.
X. Lucas an. inc.
XI Stephanus an. 1755.

N. EPISCOPUS BELGRADENSIS I.

Quem indicant acta Consistorialia, quæ profero.

GREGORIUS EP. BELGRADENSIS II.

An. 1419. *pridie Kal. Junii provisum est* a Martino V. *Eccl. B. Mariæ Nanderalbensi vac. per mortem de pers. F. Gre-* Gregorius Ep. Belgradensis an. 1419.

gorii

gorii de Nexa Ord. Min. Resideat. Hungarica lingua Belgradum *Nander-Alben.* appellatur. Ædes Cathedralis titulo Deiparæ Virginis dedicata fuit, ejusque effigies erat olim præcipua veneratione culta ob miraculorum in Hungaria & Serblia celebritatem. Gregorius ex Ordine Franciscano electus jubetur a Pontifice in sua Ecclesia degere, cum quieta esset a tumultu belli diœcesis; sed vix annuum gessit Pontificatum.

MATTHÆUS EP. BELGRADENSIS III.

Matthæus Ep. Belgraden. anno 1420. Eodem cum Gregorio Franciscani instituti anno 1420. *Kalendis Septembris provisum est Eccles. Nander-Alben. vac. per mortem de pers. Fr. Matthei de Chiappa Ord. Min.* cui successit

NICOLAUS EP. BELGRADENSIS IV.

Notus ex actis; huic suffectus

BLASIUS JOANNES EPISCOPUS BELGRADENSIS V.

Blasius Ep. Belgr. an. 1429. Franciscanus; *6. idus Februarii an.* 1429. *provisum est Ecclesiæ Nander-Alben. Provinc. Coloc. vac. per obitum Nicolai de pers. D. Blasii Joannis Ord. Min. in sacr. Pagina Professoris*. Cum quadriennio ante Belgradum in ditionem regni Hungarici translatum fuisset, uti superius innuimus, hinc factum, sive Colocensis Archiepiscopi opera, sive Sigismundi regis voluntate, Martini quidem Pontificis assensu, ut Belgradensis Ecclesia provinciæ Colocensi uniretur; quo etiam constat testimonio, de permutatione urbis hoc tempore Georgium inter & Sigismundum conventum esse, licet alii ad Alberti II. regnum negotium referant; vide Bonbardium in Topog. Hung.

Post Blasium secutum videtur Episcopale Interregnum, dum Turcæ annorum ferme septuaginta cursu infestis armis Serbliam & Hungariam lacessebant, sæpe victi, aliquando cruentissimis præliis victores, magnisque conatibus vires omnes in Belgradi expugnationem intendebant; quod bis frustra oppugnatum an. 1449. ab Amurathe II., & a Mahomete II. an. 1456. tertio demum corruit in Solimani II. potestatem an. 1521. Urbis casu eversa est Belgradensis Ecclesia, cui tamen sublevandæ, si fas fuisset, curam aliquam impendit Clemens VII. Pontifex, ejusque decreto renuntiatus est an. 1525.

NICOLAUS JOANNES EPISCOPUS BELGRADENSIS VI.

In actis; 23. *Apr.* 1525. *providit* Clemens VII. *Ecclesiæ Nandor-Alben. in partibus Infidelium constitutæ certo modo vacanti de pers. Nicolai Jo. Pettij cum facultate exercendi Pontificalia in Civit. & Diœc. Vesprimiensi tantum de consensu Ep. Vesprimien. & quod non teneatur accedere, ac cum retentione obtentorum*. Nicolaus fortasse Hungarus natione fuit; Ecclesia Vesprimiensis subest metropolitæ Strigoniensi, ac tum illi præerat Paullus de Varna, & paullo post Thomas de Zalahasa; ille enim an. 1524. hic an. 1526. dicuntur a Prayo tom. 1. Speciminis Hier. Hung. Episcopi Vesprimienses. Hinc ad initium sæc. XVII. lacuna interjacet Antistitum Belgradensium, dum ea regio Turcica tyrannide premebatur, & rei Christianæ nullum aderat adjumentum, atque solatium. Visum itaque Paulo V. Pontifici, utile fore tot animarum saluti, si ex operariis Evangelicis selecti quidam eo mitterentur, qui disjectum atque mærentem Christi gregem Apostolica excursione inviserent, & verbi divini atque sacramentorum pabulo nutrirent atque roborarent. Grave hoc munus & innumeris objectum periculis inter Christiani nominis hostes contulit Pontifex P. Bartolomæo Cassio S. I. patria Ragusino, hujusmodi sæpe perfunctus ministeriis, qui an. 1612. duobus e Franciscana familia sibi sociis adscitis illud alacriter aggressus est. Annum integrum non Serbliam solum, sed finitimas Bosnæ, & Albaniæ provincias peragrarunt mercatorum, quo solent Ragusini, gerentes habitum, ut eorum consilium Turcas lateret, & non modica collecta animarum fruge, Cassius an. 1613. Romam profectus est, quo Pontifici miserrimum religionis & Catholicorum per ea loca statum significaret. Et Paullus quidem Cassii narratione permotus intellexit, consultius futurum, si iis incolis præficeretur Episcopus, cujus præsentia & auctoritas promptius atque salubrius afferret subsidium. Jamque de Cassio eligendo cogitabat, qui prece & opera hanc a se dignitatem avertit; quare in Petrum Cathium presbyterum moribus & doctrina probe perspectum conversus animo Pontifex illum paullo post Belgradensis Ecclesiæ titulo Episcopum designavit an. circ. 1614. aut 1615. quem propterea in nostra serie jure censeo locandum.

Nicolaus Ep. Belgr. an. 1525.

Interregnum Episcopale.

PETRUS EP. BELGRADENSIS VII.

Petrus Ep. Belgr. an. 1615. Cui Paullus Pontifex & Prisrensis Episcopatus titulum tribuit, ac Serbliæ lustran-

strandæ potestatem. Nec tanto muneri defuit Petrus, quod ut utilius exsequeretur, Episcopali visitationi an. 1619. susceptæ præire voluit P. Cassium, aliosque Evangelicos operarios, qui excipiendæ Pastorali curæ eas gentes efficerent paratiores sacrorum ministerio piisque monitis atque hortationibus. Hæc, quæ hactenus a nobis sunt exposita, e vita collegimus ejusdem P. Cassii, quam ipse descripsit, suaque manu exarata extitit olim in Collegio Ragusino Patrum Soc. Jesu; & hic adverti volumus erratum, quo in Tom. VII. pag. 666. Cassius Franciscanæ familiæ adscribitur; is vero Apostolicis assidue muneribus tum in Serblia tum Ragusii intentus, ac laboribus fessus in ea urbe obiit V. Kal. Januarias an. 1650. cum pios libros plures & scripsisset ipse, & e latina vel Itala in Illyricam linguam vertisset fovendæ religioni, & moribus ad christianam virtutem componendis valde utiles. Nec de Petri Episcopatu alia nobis suppetunt monumenta, nec quo anno diem supremum obiverit.

MARINUS EP. BELGRADENSIS VIII.

Marinus Ep. Belgr. an. inc.

Cognomine Scimmonichius, patria Possegiensis, sive Possegæ ortus, sive in Comitatu, ut ajunt, Possegiensi, qui e præcipuis Sclavoniæ unus habetur; illiusque fines Dravo flumine Septemtrionem versus, & Savo in meridiem clauduntur, ad Orientem vero Valkonensi, ad occasum Zagrabiensi & Crisiensi adhærent territorio. Præter hæc nihil de Marino notum, nisi obitus ex litteris Patrum Sirmiensium Ordinis Franciscani Romam missis an. 1650. nonis Majis. Habeo tamen exemplum supplicum litterarum mensis Februarii anno 1651. queis cives Possegienses Marinum conterraneum suum appellant, & mortuum ajunt ob calumnias in eum structas penes Turcam præfectum; tum orant Pontificem velit jubeatque Possegiensem provinciam non a Bosnensi Episcopo regi, sed a Belgradensi administrari. Is erat

MATTHÆUS II. EP. BELGRADENSIS IX.

Matthæus II. Ep. Belgr. an. 1650.

E familia Benlichia ortus Banjalukæ in Bosnia & Franciscanæ familiæ alumnus, an. 1650. huic Ecclesiæ præpositus ab Innocentio X. Cum Possegienses, de quibus paullo superius, subesse renuerent Bosnensi Antistiti, rursum de Belgradensi cogitarunt; & an. 1653. omnem, pœne dixerim, moverunt lapidem, quo hujus jurisdictioni subjicerentur; idque testatur Paullus Posilovichius Episcopus Scardonensis suis ad Sacram Congregationem litteris, quæ nihil innovandum censuit; immo exorta inter Bosnensem & Belgradensem Episcopos contentione an. 1658. de jure in eam regionis partem, quæ Savi & Dravi limitibus continetur, eam in potestate Bosnensis servari jussit. Nihilo tamen minus Matthæus quædam sibi munera vindicare videbatur; de quibus ambigua fortasse erat jurisdictio, utri deberetur; verum hoc ipso anno Petrus Petraticius Episcopus Zagrabiensis Matthæi in Episcopatu gerendo prudentiam, & recta consilia plurimum per litteras commendavit datas sacræ Congregationis Præsidibus. Graves sane tum exstitere controversiæ de confiniis diœceseon; acriterque decertabant Bosnensis, Scardonensis, Macarensis, & ipse Belgradensis Antistites; præsertim cum per Chrobatiam & Slavoniam Turcæ late dominarentur, nec liceret Episcopis subdita sibi loca invisere, & proprio fungi Officio; qua in rerum perturbatione facile eveniebat, ut alter Episcopus alterius finitimi jura ad se pertrahere, & diœceseos aliquam partem adjungere studeret. Et hæc potissima Possegiensium simultatum caussa; vetustissimo jure regio illa ad diæcesim Zagrabiensem pertinebat; hanc Marianus Maravichius Bosnensis Episcopus sibi adtribuit, ut suam diœcesim amplificaret, invito Antistite Zagrabiensi; hinc Possegienses, qui Mariani arrogans & injustum imperium ægre ferebant, depelli eum conati sunt, seque Belgradensis administrationi committi. Et Marianus quidem Congregationis jussu ab iniqua usurpatione dejectus est; at Possega e Bosnensium potestate eripi non potuit, conniventibus, aut certe non repugnantibus Episcopis Zagrabiensibus; donec Stephanus Scliscsevicius Zagrabiensem adeptus Ecclesiam paullo post an. 1691. integram provinciam Bosnensibus ademptam suæ diœcesi recuperavit; vide Tom. V. pag. 590. Possegiensis contentio.

Interea quo in statu res esset Christiana Belgradensis, nos docet epistola Archiepiscopi Ragusini Francisci Perotti data an. 1659. ad Sacram Congregationem. Ac de urbe primum & diœcesi Belgradensi; *Cathedralis est modo Mesquita. Palatium Episcopi a Turcis occupatum. Episcopus nullas habet ædes, nullos redditus. Si diæcesis sui juris esset, foret satis ampla, haberetque conterminos Bosnensem, Semandriensem, & Sirmiensem. Belgradi unica Ecclesia S. Joannis Baptistæ tribus ornata altaribus, omnibus provisa; aluntur ibi duo sacerdotes Ragusini; Armeni & Schismatici habent singuli suum templum. In prædicta Ecclesia S. Joannis adsunt quatuor Confraternitates, SS. Corporis Christi, Rosarii, Conceptionis, & Carmeli B. Virginis,* Status Ecclesiæ Belgr. an. 1650.

nis, singulæ cum suis Indulgentiis. Hujusmodi Ecclesia nulla indiget reparatione, licet indigeat amplificatione, quia in ea nulla reliquia Sanctorum præter insertam in sacra petra altaris. Hanc autem Ecclesiam DD. Ragusini mercatores post tot lites obtentam gubernant & provident omnia ad cultum divinum pertinentia; salarium vero pro sustentatione sacerdotum, Curato, & ejus socio tam Ragusini, quam Bosnenses mercatores subministrant. Qui etiam Episcopum, dum ad visitandos eos accedit, caritative suscipiunt, domum procurant, & qua possunt paupertate, colunt. Ipse vero Episcopus, dum adest, in prædicta Ecclesia sua plene Pontificalia exercet, concionibus hortatur populum, omnemque, quæ pastoralem dignitatem concernit, operam ad satisfactionem omnium peragit.

In eadem civitate Belgradi reperiuntur centum sexaginta sex domus Catholicorum mercatorum, videlicet Ragusinorum triginta & una, Bosnensium vero centum triginta quinque, inter quas reperiuntur animæ utriusque sexus octingentæ quadraginta, & aliæ centum animæ aliorum Catholicorum advenarum, ita ut in totum sint animæ nongentæ quadraginta Catholici ritus. Extra civitatem quoque Belgradi spatio trium milliarium adest una villa Visnicza dicta continens præter Schismaticas domus septuaginta quinque Catholicas, personas centum utriusque sexus subjectas eidem Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ, cujus Curatus in dicta villa solet quandoque in privatis domibus propter metum hostium, carentiamque Ecclesiarum sacra perficere, aliaque Sacramenta administrare; communiter autem solemnioribus diebus omnes hi ad propriam confluunt Ecclesiam.

Matthæus diœcesim lustrat. Matthæus anno post adeptam hanc Ecclesiam nullis territus difficultatibus, & quoad ei licuit, suam diœcesim lustravit, iterumque ac tertio an. 1653. & 1657., & Belgradum ingressus plurimum solatii & adjumenti attulit Catholicis incolis. Nec minus gravis & incommoda illi fuit administratio aliarum Ecclesiarum, quæ Dravum inter & Savum, Danubium ac Tibiscum carebant Episcopis; quod munus Sacræ Congregationis jussu impigre ac diligentissime obivit; solitus postea in Franciscano Cœnobio Velikensi requiescere. Cum vero apud Leopoldum Imp. offendisset, quia Petri Jurevichii electionem ad Episcopatum Sirmiensem improbaverat, perinde atque id in injuriam cederet Ferdinandi fratris, a quo Petrus designatus fuerat Episcopus an. 1654., Cæsar egit, ut Belgradensis cum Bosnensi Ecclesia jungeretur, titulo Belgradensis Episcopatus suppresso. Aliter tamen visum Pontifici Alexandro VII. nullaque secuta est rerum immutatio; videtur tamen, eodem Leopoldo Imperatore, decreta Belgradensis Ecclesiæ cum Semandriensi conjunctio; quo anno definire nequeo; sed hac de re in Semandriensibus Episcopis. Interea fervente Turcico, & rebellium Hungarorum bello adversus Leopoldum, Tartari per Hungariam, & finitimas regiones an. 1663. palantes oppida & agros cœdibus ac rapinis vastabant; quorum insolentia, ac feritate Matthæus in maxima adductus vitæ discrimina & extremam egestatem scripsit anno insequenti ad Sacram Congregationem; Evangelicos operarios fuga omnes elapsos esse, parœcias desertas, parochorum neminem a se visum, præterquam Sirmii, quibuscum nocturno conventu provisa aliqua tantæ calamitati magis necessaria, parœciam vero Dragutinam, unde sibi victum comparabat redditibus a Sacra Congregatione attributis, hostili depopulatione penitus destructam, fortuito incendio Cœnobii Franciscani Foinicensis Episcopalem sacram supellectilem, quæ ibi servabatur, flammis fuisse absumptam. Tartarorum in eam irruptio, & Matthæi litteræ ad Sacram Congreg.

Verum ipso anno pactis a Leopoldo ad annos viginti induciis cum Turca Imperatore, respirare visa est Belgradensis diœcesis; & Matthæus quanto quietius, tanto ferventius ad reparanda Ecclesiæ suæ damna incubuit, nullisque pepercit sui muneris laboribus, quem plurimum juvit etiam apud Turcas suæ virtutis existimatio. Cum anno 1666. controversia esset inter Bosnensem & Macarensem Episcopos de Rama, quæ regio est non exigua appendix regni Bosnensis, & uterque ad propriam diœcesim spectare contenderet, Sacra Congregatio secundum Bosnensem Antistitem sententiam tulit, Matthæi judicium comprobans, qui senserat nullum Macarensi Ecclesiæ jus in eam provinciam competere, potioremque præ illa valere Dumnensis Episcopatus rationem; vide Tom. IV. pag. 82.

Matthæus adhuc erat vita superstes an. 1671. quo Sacram Congregationem de statu suæ Ecclesiæ per litteras certiorem fecit; & quamvis Tartarorum sævities, ac rapacitas in diœcesim ingentia mala intulissent, videntur, ait, Belgradenses Catholici nullam a Turcis injuriam in urbe passi. Nec multo post vita excessit. Nam an. 1675. Robertum Carlovizium, an. 1679. Matthiam Bernavichium hunc communioris, illum strictioris Franciscanæ disciplinæ asseclam nominatos invenio Episcopos Belgradenses a Leopoldo Cæsare. Neutrum probavit Pontifex; de jure enim eligendi hosce Antistites adhuc agebatur quæstio; & de Augustalibus nominationibus vide dicta tom. 4. Matthæi obitus.

in

Digitized by Google

in Bosnensibus ac tom. 7. in Sirmiensibus Episcopis sæc. XVII.

Bellum Viennense. Caruit itaque aliquot annis suo Episcopo Belgradensis Ecclesia. Et cum anno 1684. acrius, atque periculosius instauratum fuisset Turcicum bellum, alio conversæ sunt omnium mentes ac sollicitæ curæ; prope enim abfuit, ut Vienna Imperii sedes & propugnaculum ab hoste expugnaretur, unde Europæ universæ fatale impendebat exitium. Sed divinæ opis prodigio salvata urbe, cæsi, victi, fugatique ignominiose barbari Austriacas regiones, magnam partem, deserere coacti sunt; quæ historici illius temporis fere omnes descripsere. Bellum tamen diuturnius fuit, quam communis ferebat opinio, & obstinatior Turca fretus Hungaricis præsidiis pacem indignabatur, qui crebris postratus cladibus an. demum 1717. Belgrado a Cæsareis depulsus est.

Belgrado Turcæ pelluntur.

Inter vero truces adeo, & continuatos belli tumultus non defuit Pontificis Clementis XI. cura, quominus Belgradensibus aliquem præficeret Episcopum, qui longis gravibusque afflictos ærumnis in summo animarum discrimine solaretur, & Christianis tutaret præsidiis; isque fuit

LUCAS EPISCOPUS BELGRADENSIS X.

Lucas Ep. Belgrad. an. inc.

Civis Belgradensis, e familia Natalia. In Collegio Urbano de Propaganda Fide humanioribus litteris, sacrisque doctrinis egregiam operam navavit. Sacerdotali donatus ordine ac munere, & in patriam redux omnibus sese addixit ministeriis, quorum adjumenta poscebat jactata in Serblia Christiana religio, & animarum salus. Neque alium hunc fuisse autumo a Luca Natali, quem in tom. VII. pag. 569. diximus Vicarium Apostolicum administrasse Ecclesiam Sirmiensem an. 1709. sed decepti mss. excerptis e tabulario Collegii Illyrici Lauretani a Turcis eundem confossum fuisse innuimus. Fortasse, cum eo tempore barbarorum ferveret in Catholicos odium, & Lucas sæpe ad necem quæsitus esset, falsus rumor de illius morte pervaserat animos, & in Italiam delatus ansam præbuit consignandæ in tabulis ejusdem cædis. Sive tamen unus extiterit Lucas, quod mihi est verisimilius, sive alterum ab altero distinguas, huic nostro Belgradensem commendavit regendam Ecclesiam Clemens XI. quo tamen anno mihi incompertum, sed septennium saltem ante quam civitas e Turcica captivitate fuerit erepta. Episcopali ardore incensus pro sui gregis custodia, pius, mitis, de se demississime sentiens, omnium existimatione vir

ejus acta,

sanctus habitus, aspera quæque patienter toleravit, ut omnium prospiceret utilitati. Cum Cæsarei urbe potiti essent, ipse ab ingressu abstinuit, quippe Leopoldus illius electioni assensus non fuerat, & alium cogitabat animo præficiendum Episcopum. Nihilominus Lucas, quæ sui erant officii, nunquam per diœcesim intermisit ad annum 1730., quo grandis ætate, laboribus fessus vitam, qua sæpissime periclitatus pro religione fuerat, placida morte finivit sacro magni Jejunii tempore in pago Hemezii Sirmiensis diœcesis.

& mors.

Restitutus Belgradi publicus religionis cultus.

Vix Leopoldi victoriis & felicibus auspiciis Belgradensis Ecclesia & civitas, excusso Turcarum jugo, libertatem adepta est, de religione publice instauranda, & excolenda primum consultum est. Christianus Augustus Dux Saxoniæ, Archiepiscopus Strigoniensis & Cardinalis in hanc curam religiose ac sollicite incumbere cæpit Cæsaris voluntate, hac etiam suasione motus, provinciam Belgradensem uti in partem regni Hungarici adscitam suo Primatis juri subesse; quod nostrum non est in quæstionem vocare. Missi statim illuc quinque e Patribus Societatis Jesu; iisque assignata ædes prope templum Deiparæ Virginis in cœlum Assumptæ, vulgo *de Nebula* nuncupatæ propter nubium cœlestium splendorem, quas inter emicat, & eximia etiam ab exteris colitur religione; ibique Patres quælibet sui Instituti munera ferventissime obibant. Aliis religiosis Ordinibus datus locus, Trinitariis nempe, Franciscanis quos *Conventuales* nuncupant, quosque *Observantes* e Bosna accitos, & Paulinis; iisque Turcarum ædes in Cœnobia, & Meschitæ sacra lustratione in templa conversæ distributæ ea urbis parte, quæ ab alluente Danubio Danubiana appellatur; ibique Armeni excepti cum Metropolita Caphensi, & Græci Romanæ communionis, cum e proximis barbarorum provinciis Belgradum in Cæsaris tutelam profugissent; ac Primatis nomine delectus Vicarius unus e Societate Jesu, qui cunctis præesset animarum cura, & rerum Ecclesiasticarum administratione. Tum & Colocensis Archiepiscopus & Cardinalis Emericus Csakyus metropoliticum sibi jus repetere visus est in Belgradensem Ecclesiam, & ad urbem presbyterum misit, qui vicario munere fungeretur; sed obstitit Primatis auctoritas. Hisce autem provide pieque compositis, nova belli procella funditus evertit omnia; & Carolo VI. Imperatore infelix civitas in barbaricam recidit servitutem, cujus catenis adhuc obstringitur. Post Lucam tamen Episcopum, ne Christiana religio prorsus in urbe ac diœ-

Urbs rursum Turcis subditur.

ce-

Digitized by Google

ceai periret utrique præfectus est dimidio sæc. XVIII.

STEPHANUS EP. BELGRADENSIS XI. ET POSTREMUS.

Stephanus Ep. Belgr. an. 1755. & postremus. Qui cognomine Putzius in oppido Mikoulyo dioecesis Zagrabiensis natus est an. 1698. & ad hanc Sedem evectus est IV. idus Majas an. 1755. Quæ gesserit, quo anno obierit, omnino ignotum, immo ignoti, siqui fuerunt post illum Episcopi. Suspicor postremum hunc esse Belgradi Antistitem, & Ecclesiam Belgradensem, quæ aliquot ante annos unita fuerat Semandriensi vel cum alia proximiori esse conjunctam, vel regi sub Nicopolitani Antistitis jurisdictione.

EPISCOPI SEMANDRIENSES.

Semandriæ notitia & vices. IN monte, qui ad Danubium justa altitudine attollitur, & Belgrado distat sex passuum Hungaricorum millibus, Semandria visitur Septemtrionem versus fere ad Moravæ ostia, nobile olim oppidum, Simendria etiam, & Samandria appellatum; a Græcis Sphænderovia dicitur, ab Hungaris Veg-Szenero; detorta a D. Andrea appellatione. Ignota urbs veteribus Geographis & Historicis, quippe nondum nata; ejusque origo inter XIV. sæc. & XV., potest affigi; neque enim assentior, e ruderibus Singiduni illam exsurrexisse; Singidunum, mutato nomine, idem est ac Belgradum; de quo jam egimus; & vide in tom. VII. Ecclesiam Singidunensem. Serbliano regno extincto sæc. XIV. & plures in partes discerpto, Semandriæ provinciam sibi adtribuit Stephanus Serbliæ Dynasta filius Lazari Chrebelanovichii; ejusque soror Maria Vuko Brancovichio nupta fuit, e quo ortus Georgius, cui, Stephano mortuo absque liberis masculini sexus, obtigit materno jure Semandriensis Principatus; illiusque insignia a Joanne VIII. Palæologo Imperatore Constantinopolitano per Legatos accepit an. 1425. inquit Bonbardius in Topograph. Hung. pag. 282. Tum Semandriæ metropolia decus fuit quodammodo collatum; nam, Serbliæ regno florente, non una fuit regia civitas, & firma regum sedes; alii enim Scopiam, alii Pisrenam alii etiam Semandriam sibi delegerunt prout cuique libuit, vel regni tuendi necessitas postulavit. Ferunt a Georgio refectam urbem fuisse, quam an. 1439. amisit unaque Semandriense territorium; nam Amurathes II. Turca rex Serbliam adortus Semandriam obsidione cinxit, & ad deditionem compulit, Georgio Dynastæ filio incassum obsistente, qui cum Stephano fratre ab hoste Adrianopolim captivus abductus est. Georgius pater iniqui animi vir, & Græci schismatis tenacissimus, dubiæque in omnes fidei, qui illum dolo malo nunc amicum experiebantur, nunc infestum, Turcas, quibuscum fœdus aliquando inierat contra Hungaros, Semandria expulit an. 1455. ac biennio post miserrime periit. Atque is est Georgius, qui Belgradum Hungaris cesserat, ut alibi diximus, quod oppidum cum Semandriensi Dynastia erat conjunctum. Hujus perfidiam & dolos, ac improba facinora describit Orbinus ubi de Lazari Chrebelanovichii familia disserit pag. 311. ac illud imprimis memoriæ prodiderunt historici, Georgium, cum Viennam profectus esset ad Ladislaum regem, qui tum ibi degebat, argumentorum vi, & orationis ardore ac facundia convictum fuisse a S. Joanne de Capistrano, ne schismaticis fidem præberet erroribus, iisque ejuratis, ut vellet in Romana Ecclesia sibi salutem comparare. Cui Georgius, malle se inquit mori, quam accepta a pueritia dogmata exsecrari; nec multo post secuta dira punitio; nam inflicto, dum præliaretur, vulnere in ejus manus digito, vehemens adeo effluxit sanguinis copia, ut nulla medica ope sisti potuerit, donec animam efflaret. Lazarus ejus filius in dominatum successit. Is uxorem duxerat Helenam Thomæ Palæologi filiam, qui in obsidione Semandriensi ab Amurathe comprehensus & ardenti ferri lamina excæcatus vitam reliquam infeliciter consumpsit. At Georgius, seu Gregorius & Stephanus Lazari fratres invidia regni in eum Mahometis odium & arma concitarunt; sed cum sublata matre veneno, subditorum a se animos ac fidem avertisset, paullo post mœrore confectus, & Turcarum metuens minas & iram extinctus est; & Helena mariti testamento Principatus regimen adivit, ac Semandriæ consedit, Georgio ac Stephano invitis. Interea Mahometes victoriis & Constantinopolitanæ urbis imperio elatus e Serblianis discordiis quasi ansam arripuit ad totius nationis exitium. Admovit itaque Semandriæ castra; ejusque ag-

Sedes Serbliani Dynastæ.

aggressione territi cives urbem dedidere, quos victor sivit abire liberos, & Helenam cum regiis opibus in Hungariam secedere; tum immissis quamlibet in partem copiis universam Serbliam aut vi aut pactione subegit. Et Georgius quidem in Hungariam aufugit, Stephanus in novam Epirum; siquidem nulla iis spes relicta esset paternæ ditionis recuperandæ. Hæc ex Orbino de Genealogia Lazari Serbliæ Comitis; quæ paucis post annis evenere ab eversa Copoli an. 1453.

nunc subjecta Turcis

Semandria duobus ferme sæculis jugum pertulit barbaricæ servitutis, quod tandem excussit, Leopoldi I. Augusti auxilio & armis sæc. circiter XVIII. ineunte; sed post an. 1720. rursum in Turcarum recidit captivitate, qua constringitur hactenus. Culta ædibus urbs, & mercatura dives habita est, altis mœnibus cincta & turribus quadratis. Nunc Turcæ paret Præfecto cujus lata jurisdictio in meridiem Scopiensi & partim Sophiensi agro terminatur, in solem orientem Naissensi adhæret, & Belgradensi in occidentem, ac Danubio concluditur ad Septemtrionem. Obscurissima sunt Episcopatus Semandriensis initia; neque ante sæc. XVI., reperies ullum hoc titulo Antistitem. Nam Ansolinus, quem Viridarium Seraphicum Semandriæ Episcopum dicit, is Scenadiensis est, forte Csanadiensis aut Chanadiensis in Hungaria sub Archiepiscopo Colocensi, etsi a Prajo non memoratus tom. 2. sui Speciminis Hierarch. Hung. uti docet diploma Cœnobii Patavini S. Antonii datum Avenione an. 1306. quo Ansolinus Scenadiensis, & Martinus Albensis Episcopi certam canonicæ pœnæ veniam elargiuntur iis, qui pie sacra Divorum lipsana inviserint in templo Antoniano servata.

de Ecclesia Semandriensi.

Causa etiam hujus institutæ Ecclesiæ nobis est ignota; quæ non Antibarensi metropolitæ suberat, sed Sophiensi fortasse, dum stetit, aut Scopiensi; licet Colocensis etiam Archiepiscopus jus in illam sibi vindicare visus sit, præsertim cum Hungariæ reges in Serblia dominabantur. Mihi quidem fit verisimile, continuas & tristissimas Ecclesiarum tum Serbliæ, tum Bulgariæ vicissitudines & ruinas id effecisse, ut Romani Pontifices modo uni, modo alteri Metropoli Semandriensem Ecclesiam subjicerent vel commendarent, uti animarum cura & salus poscebant. Semandriæ Episcopi, quos novi, hi sunt.

I. Blasius an. 1544.
II. Cornelius an. 1551.
III. Nicolaus an. inc.
IV. Stephanus an. 1605.

BLASIUS EPISC. SEMANDRIENSIS I.

Ex actis Consistorialibus Paulli III. 4. *Junii* 1544, *providit Ecclesiæ Semandrien. in regno Bosnæ in dominio Turcarum certo modo vacanti de persona Fr. Blasii Fabritii, ita tamen, quod possit exercere Pontificalia in dicto regno*. Cressenius forte cognomine aut patria ut in actis quæ subjicio, ac Ordinis Franciscani alumnus; hinc conjicimus alios præcessisse Episcopos Semandriensis; sed latet adhuc, quo tempore horum series incœperit; & qui fuerint, nullis invenio monumentis proditum; in Bosna vero Semandria ponitur, tum ea, quæ provincias ac regna miscebat, perturbatione locorum, tum eorumdem ignoratione. Blasius an. 1551. jam obierat.

Blasius Ep. Semandrien. an. 1544.

CORNELIUS EP. SEMANDRIENSIS II.

Acta Consistor. Julii III. 27. *Aprilis an.* 1551. *prov. Eccl Samandriensi in Prov. Bosnensi, quæ per Turcarum Tyrannum occupatur, vacanti per obitum Fr. Blasii Fabritii Cresseni Pastoris solatio destitutæ de persona* Cornelii *Scorontelbi Ord. FF. Min. & Theol. Prof. cum indulto exercendi Pontificalia in quibuscumque dictæ provinciæ civitatibus vel locis prout in Cedula &c.* Præterea nihil de illo, cui suffectus

Cornelius Ep. Semandriensis an. 1551.

NICOLAUS EP. SEMANDRIENSIS III.

E familia Ugrinovichia postea Sinovichia appellata, Politiensi, e valle scilicet Politiæ vulgo Polizza in ditione Veneta, qui Ordini Franciscano cum nomen dedisset, inde ob præclare gesta hanc Sedem conscendit, & virtutibus ac meritis ornavit. Erat Episcopus ante annum circiter 1570., uti conjicio; nam, vita functo an. 1574. Antonio Episcopo Bosnensi, illi Bosnensis Ecclesiæ administratio tradita est, quam ad an. 1587. retinuit, cum celebratum est Concilium Provinciale Spalatense; atque ejus nomine eidem interfuit P. Franciscus Crassus Arbensis, uti docent acta Concilii; *Reverendus F. Franciscus Crassus de Arbe sacræ Theologiæ magister ord. Minor. Convent. sancti Officii Vicarius pro Reverendissimo P. D. Nicolao . . . Ep. Semandriensi, & Administratore Ecclesiæ Bosnen. Argentinæ*. Traditam illi etiam administrationem Dumnensis & Macarensis Ecclesiæ, narrat Farlatus pag. 181. & 193. tom. 4. a qua illum deturbare conatus est M. Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatensis; sed annus suscepti utriusque regiminis non congruit cum anno emortuali Nicolai,

Nicolaus Ep. Semandriensis an. inc.

Digitized by Google

colai, qui signari debet an. circ. 1587. neque cum Farlato ejus vita protendi potest ad an. 1606. quo erat jam Semandriensis Episcopus Stephanus Cecchius. Certum vero est Nicolaum, dum in patriam proficisceretur, crudeliter a Turcis fuisse interfectum an. fortassis 1587. Corpus in villam Dubravam, quæ Polizzæ est, delatum in Æde S. Lucæ quiescit; *sepulchrum lapideum, quod in pavimento Ecclesiæ Parochialis S. Lucæ in villa Dubrava provinciæ Politiensis ante altare privilegiatum erectum a latere dextro Altaris majoris reperitur*, *habet sequentem inscriptionem*

a Turcis occisus.

ejus sepulchrum.

Nicolaus Ugrinovich Episcopus
Semandriensis 1577.

Hæc in nostris schedis, sed mendose signatus annus 1577., vel in lapide, vel exscribentis incuria, nam an. 1587. vitam agebat, quo & interiit. Ferunt, Ecclesiam S. Lucæ ab eo donatam Calice aureo, & gemmis ornato, quo regia mulier eum muneraverat.

Nicolai interitu Patres Franciscani juvandis hujus Ecclesiæ Catholicis, ope præsertim Sacramentorum, assiduam operam diu præbuere, dum suo caruit Antistite, illius cura Tribuniensi Episcopo commissa.

STEPHANUS EP. SEMANDRIENSIS IV.

Stephanus Ep. Semandriensis an. 1605.

Ex honestis parentibus cognomento Cecchiis natus est an. 1567. in ea Transylvaniæ provincia, quæ Sicula dicta est, aut Siculica a Siciliæ populis, qui eo colonias deduxerint; quamvis Scythulam & incolas Scythulos appellare potius velit auctor Topographiæ Hungaricæ pag. 263., sumpto a Scythis vocabulo, cum in Daciam Trajani commigrassent. Stephanus Franciscanum institutum amplexus est; & virtute ac doctrina adeo excelluit, ut concionatoris suscepto munere eximius divini verbi præco haberetur, & uberes ederet pietatis, ac Christianæ salutis fructus in florentissimo assiduoque auditorum concursu. Hac nominis celebritate motus Pontifex Paullus V. illum Episcopatu honore decoravit, & Semandriensi præfecit Ecclesiæ an. 1605. 6. *Novembr. provid. Eccl. Samandrien. in parte Infid. per obitum Nicolai Ugrinovich a Turcis cæsi vac. de pers. Fr. Stephani Cecchii Ord. Min. de Observ. in Sicilia prov. Transylvaniæ nati ætatis annorum* 38. *verbi Dei concionatoris egregii, cum decreto quod possit exercere Pontificalia tam in civit. & diæc. Samandrien. quam in toto Comitatu Szcorconien. ac finitimis civitatibus & diæc. Pastorum solatio destitutis, attento quod nec intra nec extra Transylvaniam ob Turcarum tyrannidem tercentum milliaria & amplius nullus Episcopus apud suam civitatem & diæcesim residere dignoscitur.* ex act. Consist. Comitatus Szcorconiensis, idem ac Zeurinensis in Hungaria attingit ad orientem solem limites Transylvaniæ, quæ, præsertim Sicula, intestinis motibus, & Turcarum insolentia ac feritate miserrimè jactabatur.

Acta Stephani Episcopalia nobis ignota sunt. Vitam perduxit ad an. circ. 1624.

Post Stephanum qui fuerint Episcopi Semandrienses, nullos habeo. Illius cura ab Urbano VIII, tradita fuit Petro Massarechio, qui an. 1624. Antibarensem Ecclesiam suscepit gubernandam cum administratione quinque in regno Serbliæ Episcopalium Ecclesiarum; erant quippe in Turcarum potestate, & hasce inter Samandria. Tum lis exorta adversus Episcopum Scardonensem; hic enim, cui commendata fuerat Ecclesia Bosnensis, in proximos diœcesis Semandriensis fines irrepserat, qua parte cum Sirmiensi diœcesi Turcis subjecta conjungebantur. Delata Romam contentio est; & Sacræ Congregationis de Fide propaganda Patres decrevere an. 1635. jus in Sirmiensem Ecclesiam unius esse Semandriensis Episcopi, dum, excussa Turcarum tyrannide, sui illi præficerentur Antistites; vide & Antibarensem & Sirmiensem historiam nostram ad hunc annum in tom. VII. Quæri tamen hic potest de Episcopatu Stephani Illiesii alumni Collegii Germanico Hungarici, quem Semandriensem & Belgradensem Antistitem nominat P. Julius Cordara S. I. in historia & catalogo alumnorum Collegii ejusdem, fuerit ne is hisce Ecclesiis præfectus ante Petri regimen, & initium sæc. XVIII., an vero postea; & utrum solum gesserit titulum Episcopalem. Annum collatæ Stephano dignitati silet laudatus Scriptor., Belgradenses Episcopi nunquam Semandrienses dicti fuere; & hinc una superest conjectura, eo temporis spatio, quod ab obitu Matthæi II. ad electionem Lucæ Antistitum Belgradensium procurrit, & annos complectitur forte quadraginta, scilicet ab octogesimo sæc. XVII. ad decimum circ. insequentis, Lepoldi Cæsaris opera, qui tum hæc loca Turcis ademerat, utriusque Ecclesiæ conjunctionem statutam fuisse, ejusque nominatione designatum Antistitem Stephanum; hæc in tenebris palpans. Procuratio hujus Ecclesiæ tradita etiam fuit Petro II. Archiepiscopo Scopiensi qui anno 1701. ad hanc Metropolim translatus annis septem supra viginti eam provide rexit.

Ecclesia Semandr. sub administratione posita.

Deinde Semandriensis Ecclesia paullatim collapsa est; quæ nunc vix suam speciem retinet atque Ecclesiasticam formam; nam dimidio circ. sæc. XVII. urbe incensa, vastata a Turcis diœcesi, una supererat Ecclesia S. Michaelis extra mœnia, & octo tantummodo numerabantur Catholicorum familiæ, nullius Sacerdotis adjutæ ministerio. Cum inito sæc. XVIII. in Austriacorum dominium rediisset, e ruinis emersit civitas, & civili & sacro cultu visa est reviviscere; at subacta rursum a Turcis regione, qui sit religionis status, quod Ecclesiasticum regimen nescire me fateor; quidquid vero vigeat Catholicæ professionis, subesse existimo Episcopo Nicopolitano, qui plurium in Serblia & Bulgaria Ecclesiarum exercet administrationem.

EPISCOPI BIDINENSES.

Bidini positio, nomina & origo.

IN Mœsia superiori seu Serblia ad ripam Danubii, qua parte respicit in Septemtrionem conjunctos Hungariæ & Valachiæ fines, situm est Bidinum munitissimum oppidum e regione ferme Orsauæ arcis trans fluvium positæ, & validis instructæ bellicis operibus. Nemo ex veteribus seu Græcis seu Latinis Geographiæ vel Historiæ Scriptoribus hujus urbis meminit; sequiori tantum ævo nominari cœpta est a Græcis Historicis, postea & a Latinis, modo Bidinum, & Bydena, modo Vidinum communiori vocabulo dicta; in actis tamen Consistorialibus Bodonum aut Bodona constanter appellatur. Sane in tabulis Geographicis Cantellianis Bodonum a Bidino distinguitur; hoc propius Danubio, illud aliquanto remotius; & fortasse, Bodono ab incolis paullatim deserto, Bidinum commodiori ac tutiori in situ exstructum crevit deinde civium populique frequentia, ac ædificiorum nobilitate. Budinos & Budinicam regionem commemorat Herodotus teste Ortelio, Bodenos Ptolemæus, Vidinos Ammianus; hique omnes Scythiæ, aut Sarmatiæ Europeæ dicuntur accolæ; num Danubium transgressi sæpissime Sarmatæ, & Scythæ coloniam aut nomen loco reliquere? Plinius Dudinos vel Budinos, uti Dalechampius adnotat, Illyrici populis adjungit; sed in Liburnia, de quibus diximus pauca tom. I. pag. 162. incerta videtur tamen eorum Liburnica positio. Non longo itinere distat Bidino pons Trajani, quo e superiori Mœsia nunc Serblia in Valachiam, olim veterem Daciam, transitus. Romani historici hoc Trajani opus ingens summis laudibus celebrarunt. Dio

pons Trajani descriptus a Dione Cassio;

Cassius imprimis lib. 68. cujus hæc verba affero & pontis descriptionem; *ejus pontis pilæ sunt XX. ex lapide quadrato, singulæ absque fundamentis, altitudine pedum LX. & latitudine pedum CL. distantibus inter se intervallo CLXX pedum, suntque inter se fornicibus conjunctæ. Cujus operis sumptus licet sint incredibiles, tamen plus admirationis habet, quod hæc in fluvio gurgitibus pleno, limosoque alveo facta sunt, quodque fluxus ejus fluminis alio averti non potuit. Neque vero latitudo ipsius idcirco a me dicta est, quod permagna sit; nonnunquam enim duplo triploque magis inundat; sed quod tanta sit in eo loco angustissimo, quo tamen nullus erat ad faciendos pontes accomodatior. Quo in loco quanto magis flumen ex lato in angustum fluit, rursumque ex angusto multo fit latius, tanto rapidius fertur, altiusque est, ut id pontis faciendi difficultatem maxime augeat. Is pons nulli quidem nobis est usui; non enim transitur; sed exstant pilæ ejus ostentationis causa, quasi tantummodo facta sint, ut constet ex iis, nihil esse quod humano ingenio effici non possit;* hactenus Dio, qui subjicit, tantam molem Trajanum aggressum esse, ut Romanis in Dacia jam degentibus celerius afferretur auxilium a Barbarorum insultibus; sed metuens Adrianus, ne iisdem facilior esset in Mœsiam superiorem irruptio, pontem disjici jussit. Supersunt adhuc illius vestigia, de quibus Ferdinandus Marsilius patria Bononiensis, quovis scientiarum & eruditionis genere conspicuus, ac dux copiarum Leopoldi I. Augusti, cum Viennense, & Hungaricum bellum adversus Turcas ardéret, doctam apprime epistolam Roma scripsit Bernardo Montfauconio clarissimo Græcis litteris & sacris doctrinis Monaco Benedictino. Ferdinandus enim, capto a Cæsareis Vidino an. 1689. cujus oppugnationi præsens aderat, de ponte Trajani quæ visu, quæ scitu digna erant, sollerter lustravit, curiose inquisivit, & in commentarios retulit. Nec piget hujus epistolæ partem hic exscribere, ex qua decus accedat Bidinensi urbi, ac subjectæ regioni & voluptatem sentiat antiquorum rerum studiosus amator. Nam, ut omittam quæ adversus Dionis narrationem disserit, ejusque historicam fidem; vestigia, inquit, *pontis* & a Marsilio.
hujus, quæ utraque in ripa ad hac usque tem-

tempora perdurarunt, non alia sunt, quam pila una, eaque fastigiata in opposita fluminis parte, tum alia ex parte, qua ripæ obvertitur, unus atque alter insigni altitudine murus. Dictæ vero pilæ solido e lapide compactæ sunt, atque immodicæ magnitudinis lateribus convestitæ. Quæ dein machina undique perforata conspicitur, est in crucis formam foraminibus distincta; siquidem tigna, quæ arcus junxerant & firmaverant cum craticulata concameratione, vetustate exesa sunt. Omnes autem pilæ illæ, quæ ipso in fluminis alveo constructæ sunt, vix aquis eminent, quippe fluentis impingentisque vehementius glaciei vi ac copia multum diminutæ atque detritæ adeo, ut humili modo aqua, certisque tantum in locis non æquabilis cursus beneficio vertice tenus conspicere eas liceat.

Extremi pontis hujus termini firmissimis operibus muniti fuerunt; quæ, ut ego mihi quidem persuadeo, in Mæsia saltem littore non alia sunt, quam quæ Justinianus Imperator figura quadrata, eoque in loco, ubi superiores Imperatores ea excitarunt, reparari voluit, cum paullo ante a Barbaris demolita destructaque fuissent, ut pluribus refert Procopius.

Romana Vidini monumenta. *Cæterum in Ripensi etiam Dacia egregia quædam ab eodem Justiniano restaurata, dein vero, cum unam Mæsiam imperii propugnaculum constituerat, ab eodem neglecta & contempta visuntur nescio quæ ædificiorum antiquorum vestigia iis plane simillima, quæ a Romanis rotunda plerumque forma exstructa sunt. Quod egregie confirmant tot atque tanta anaglyptici operis Romanorum monumenta, quæ studiose disquisivi ec.* ac de antiquis Romanorum viis per Pannonias, Daciasque & Mœsias, quæ in unam junctæ, quasi lineæ ad centrum in Pontem communem habebant ingressum, plurima extare a se visa testatur *antiquorum monimentorum, ædiliumque designationum reliquiæ, quibus Romani vias munire obsepireque consueverunt.*

Vidinum a Viminacio distinctum. Existimant nonnulli, Vidinum e ruderibus Viminacii surrexisse, de quo a nobis actum tom. VII. inter Ecclesias Sirmiensi metropoli subjectas. Sed aberat nimis a Danubii ripis ea civitas, ut cum Vidino conjungi queat, quod Danubiano aggeri proxime adjacet, & cum utroque Hungariæ Chorographo Sambuco, & Bonbardio alteram urbem ab altera distinguimus & separamus.

quod post varias vices Imperantibus Bulgaris, nobilis fuit præfectura Vidinensis; qua Alexander rex diviso inter filios regno, donavit Strascimirum ante an. 1362. quo etiam obiit. Is totius Bulgariæ imperium sibi vindicare aggressus in fratres arma movit, nec veritus est, Ludovicum Hungariæ regem hostiliter lacessere; a quo in prælio victus & custodiæ traditus, post annos fere duodecim Ludovici clementia liber ad suam rediit Præfecturam. Sed Vidino paucos ante annos gravis accidit calamitas a Bassarato quodam in Bulgaria regulo an. 1369. uti maluit Waddingus; nam cum proditione urbem cepisset, militum licentiæ illam permisit; ut vero Schismaticus Catholicorum sacra impie turbavit, & aliquot e Patribus Franciscanis religionis causa obtruncari consensit; sed de his commodius in Ecclesia Ternobensi. Non est autem omittenda brevis animadversio verborum Orbini, qui pag. 471. narrat Vulaicum quemdam Valachiæ regulum, dum Strascimirus a Ludovico captivus detinebatur, Hungaris infestum Vidino potitum esse, & civibus in Valachiam abductis, urbem incendisse; at cum in propiora castella arma vertisset, Ludovicus cum selecta suorum manu inde trans Danubium in fugam compulit; paulloque post pax inter utrumque sancita est, remissi in patriam Vidinenses, unoque tempore Strascimirus suæ redditus Præfecturæ. Ex hisce consequitur, Vidinum duodecim annorum cursu ab Strascimiri captivitate bis ab hostibus captum miserrime corruisse. Attamen suspicari licet, is ne qui Vulaicus dicitur ab Orbino, idem sit cum Dassarato, de quo superius ex actis martyrum Franciscanorum; si revera cœdes illa perpetrata fuit an. 1369., quæ est Waddingi sententia; &, si decennio post, ut aliis videtur, a Vulaico Dassaratum distinguimus, a quo altera clades in Vidinenses illata est. Deinceps Vidinensium deterior fortuna facta. Nam sæculi XV. initio, immo paullo ante, tot experti sunt luctuosas bellorum vicissitudines, ut in interitum prope ruerit. Turcæ an. 1390. in Bulgariam irrumpentes Vidinum ad deditionem compulere; & contra datam fidem incolæ omnes jussu Bajazethis I. crudelissime jugulati sunt. Mox Hungari imminentem regno hostem ut depellerent, Vidinum Turcarum propugnaculum sæpæ oppugnarunt; quod a Joanne Hunniade captum & flammis absumptum est, ne Turcis perfugium foret, ac munimen, unde hinc Bulgariam, illinc Hungariæ fines infestis armis depopularentur. Sed Dei ultoris justo judicio Bulgaria universa Turcicæ captivitatis poenas jam erat subitura; atque sæculo XV. in exitum vergente cervicem subdidit hostium jugo, unaque Vidinum, quod a Turcis in præstantiorem, tutioremque formam re-

restitutum fuit, & Præfectura, quam Sangiacatum dicunt, ornatum. Et annis quidem ducentis barbaricum servitium tulit; ac an. 1698. libertatem adepta est Vidinensis Ecclesia armis Leopoldi Augusti, qua diu frui non licuit; ante annum 1717. rursum in pristinam servitutem urbe delapsa, Vidinum subest adhuc Turcæ Imperatori, & a Præfecto regitur, cujus ingens apud suos auctoritas, & opibus, ac viribus major potentia.

Turcis subditur.

De Ecclesia Vidinensi.

Ecclesiæ Vidinensis origo eadem cum cæteris Mœsiacis a D. Petro præcipue. Episcopatus initia incomperta; religionis vices Bulgaricis æquales; Bulgari enim quandoque Romanis, quandoque, & crebrius Græcis sacris fuerunt addicti. In tabulario Pontificum Avenionensium an. 1. Joannis XXII. idest 1317. signatur, *gratia expectativa Canonicatus Ecclesiæ Bodonensis pro Alano de Basso consideratione Joannis Ducis Britanniæ;* & si ad nostram Ecclesiam hæc referas, quæ in actis Romanis *Bodonensis* appellatur, tum igitur aliquo enituit decore, & cum Canonicorum collegio, quorum non exigui redditus videntur fuisse, sedes fortasse stetit Episcopalis, subjecta aut Strigoniensi aut Colocensi metropoli; quod conjicio e Michaelis, Martini, & Georgii Episcopatu, maxime ab Hungarica hujus provinciæ dominatione. Vidinum equidem civium, atque incolarum frequentia floruit eo sæculo, quo regia Præfectura, uti dictum superius; religioni vero colendæ aderant Evangelici operarii ex Ordine Franciscano, qui etiam a Dassarato Tyranno martyrium passi sunt an. 1369. vel 1379. Siqui erant Episcopi, eorum periit memoria; & qui Bodonenses seu Vidinenses innotescunt, intra sæc. XV. unice continentur, quo etiam, Episcopatu antiquato, creari desierunt. Inde Christianus cultus imminui cœptus sub Turcarum imperio; immo extinctus est paullatim, adeo ut vel Catholici nulli urbem incolant, vel paucissimi e mercatoribus, & advenis, qui illac transeunt negotiorum caussa,

Episcopi Vidinenses.

I. N. an. inc.
II. Joannes Blasius an. 1423.
III. Michael Martinus an. 1433.
IV. N. an. inc.
V. Georgius an. 1498. Titularis & postremus.

N. EPISCOPUS BIDINENSIS I.

Ex actis Consistorialibus Martini V. quæ subjicio.

JOANNES BLASIUS EPISCOPUS BIDINENSIS II.

An. 1423. 12. *Kal. Junii provisum est Ecclesiæ Budnien. in Bulgaria vac. per mortem de persona Fr. Joannis Blasii Ord. S. Benedicti minoris Pænitentiarii;* quo tempore Hungari magnam Bulgariæ partem sub imperio tenuere, Turcis tamen eorum fines crebro lacessentibus, quare Joannes suam Ecclesiam adire commode potuit, dum Sigismundus rex Imperator rei Christianæ augendæ opem ferebat iis in locis, quæ Græco schismate fuerant a Bulgaris polluta. Joannes septem fere post annis vita excessit.

MICHAEL MARTINUS EPISCOPUS BUDINENSIS III.

An. 1431. 4. *Nonas Decembris provisum est ab* Eugenio IV. *Eccl. Bodonien. in Ungaria vac. per ob. D. Joannis de pers. Fr. Michaelis Martini monachi monast. S. Adriani de Haluuer Ord. S. Benedicti Vesprimien. diœcesis;* ex actis. Apud Sentivanium in dissert. paralip. pag. 106. est *Abbatia Szala S. Adriani mortyris in diœcesi Wesprimiensi;* eadem, puto, cum Monasterio in actis nominato. Michaeli quieto esse non licuit in Episcopatu; Turcicum bellum cito erupit; mox consecuta clades Varnensis an. 1344., quæ, si vita superstes fuit, Michaelem summo quidem mærore affecere, suamque Ecclesiam deserere coegerunt fere desertam, cum per id temporis Hunniades urbem ipsam flammis jusserit absumi; uti superius dictum. Post Michaelis obitum desiere Episcopi Bidinenses ad an. circ. 1490., nam ex actis, quæ proferam,

N. EPISCOPUS BIDINENSIS IV.

Dicitur jam tum vita functus, cum ab Alexandro VI. renuntiatus fuit

GEORGIUS EPISC. BIDINENSIS V.
TITULARIS AC POSTREMUS.

An. 1498, 18. *Januarii prov. de pers. D. Georgii Eccl. Titulari Bodonien. vac. per obitum D. N. ultimi illius Episcopi, & ad supplicationem Ippoliti Cardinalis Esten. deputatur Suffraganeus in Eccl. Agrien. cum retentione beneficiorum ad valorem* 300. *ducat. ascend.* Hinc & Anony-

Digitized by Google

nymus laudatus videtur titulo tenus Episcopus fuisse. Hyppolitus Estensis hoc anno Strigoniensem cum Agriensi Ecclesia commutaverat, teste Prayo tom. I. Specim. Hier. Hung., & hæc causa, cur Hyppolitus, qui Romæ erat, Adjutorem sibi Georgium postulaverit. Post hunc nec Titularis quisquam reperitur Bidini Antistes. Quare vix ortus Episcopatus Bidinensis uno ferme sæc. XV. stetit, exciditque.



Digitized by Google

ECCLESIA ACHRIDANA.

AGgressurus haud brevem, & multis implexam quæstionibus ac difficultatibus historiam Ecclesiæ Acrhidanæ nequeo, quin moneam, hoc titulo & Lychinensem Episcopatum, & celeberrimam Justinianæ primæ Sedem Archiepiscopalem comprehendi; idque & Lequienius effecit tom. 2. Orien. Christ. ita enim inter se conjunctæ sunt Ecclesiæ istæ, ut una pœne esse videantur. Nam Lychnidenses Antistites & dignitate & loco maxime aucti dicti sunt Archiepiscopi Justinianæ primæ; & his, eversa a Bulgaris eorum metropoli, Achridani successere, ibique non interrupta, sed in Græcis ritus, ac Latini cultores divisa, serie hactenus consistunt. Ita temporum ac rerum ordo clarius lumen afferet iis, quæ sum dicturus, quæque gravissima continent religionis & Ecclesiæ Catholicæ monumenta.

EPISCOPI LYCHNIDENSES.

Lychnidi situs.

IN nova Epiro sita olim Lychnidus haud ignobilis civitas adjacet lacui cognomini, quem Stephanus *Lychnittum* appellat, nunc *lacus Ochridæ* dicitur. Visum Geographis est recentioribus, inprimis Ortelio, lacum Ochridæ unum esse cum palude *Ascuride*, de qua Livius lib. 4. dec. 5. ubi *Lapathus* castellum, prope *Cambaunios* montes, qui *Volusiana* dicti, & ad Macedoniam spectant. Sane Strabo lib. 7. *via Egnatia*, inquit, *ex Candavia monte Illyrici iter fieri per Lychnidum urbem, & Pilonis locum, qui in ipsa via Illyricum Macedoniamque disterminat*; subdit vero, *circa Candaviæ viam lacus, & paludes exstare apud Lychnidum, ubi copiosa piscium habentur salsamenta*; quæ Strabonis verba cum Livianæ Ascuridis situ proxime conveniunt. Livius idem lib. 7. dec. 3. Lichnidum haud a Dassaretis procul collocat, quibus Dardani confines; & lib. 3. dec. 5. *Lychnidum Dassaretiorum* appellat, ubi Romanorum gesta describit in Macedonia adversus Perseum. Ex lacu porro Ocridæ Drilo seu Drinus vulgo *Niger* in Septemtrionem effluens ac variis mæandris per superiores Epiri novæ partes in occidentem deflectens ad Lyssum in sinum Illyricum, nunc *Drini* dictum, duplici ostio, & ingenti aquarum copia devolvitur. V. Tom. 1. pag. 141. Meminere hujus urbis Geographi & Historici veteres fere omnes tum Græci, tum Latini, eamque in Dassaretis ponit etiam Ptolemæus lib. 3. cap. 13. quos Macedoniæ attribuit; nec mirum; Macedonia enim antiquitus Epirum novam complectebatur; ut in Tom. 1. Operis nostri dictum est pag. 78. & Dassaretæ hujus provinciæ partem incoluisse videatur inter Macedoniam ipsam & Epirum novam. Hunc etiam Phœnices advenisse olim constans fama est, & a Cadmo eorum duce Lycnidum conditam asserit Bochartus part. 2. Geogr. Sacr. lib. 1. cap. 23. auctore Chrestodoro in Anthol. lib. 3. cap. 1. qui Joannem patria Lychnidium & Illyrici Præfectum sub Anastasio Imp. hisce versibus ornat.

Patria cui fuit a proavis veteri inclyta fama
Lychnidus a Cadmo urbs ædificata Syro;
Unde faces fulsere Heliconis, & unde Pelasgis
Cadmus Agenorides prima elementa dedit.

Nihil singulare de Lychnido memoriæ proditum reperio; fuit tamen urbs Episcopalis, Dyrrhachiensi subjecta Metropolitæ, quamvis initia lateant & Christianæ religionis eo invectæ, & constituti Episcopatus. Qui supersunt paucissimi Episcopi, e veteribus monumentis eos heic exhibemus.

I. Zosimus an. 347.
II. Antonius an. 449.
III. Laurentius an. 492.

ZOSIMUS EP. LYCHNIDENSIS I.

Anno 347. subscripsit decretis Concilii Sardicensis, cui & interfuit; ita enim in illus actis legitur; *Zosimus a Macedonia de Lignedo*; sed in fragmentis ejusdem Concilii e Codice Justelliano perperam *Dionysius ab Achaja de Lignedon* appellatus, uti advertit Venetæ Conciliorum editionis auctor Nicolaus Coletus; & subscriptio, Zosimus an. 347. in Concilio Sardicensi.

Digitized by Google

ptio, quæ in errorem induxit etiam Lequienium tom. 2. Orient. Christ. pag. 282. ad prioris formam corrigenda. Neque enim duæ hujus nominis urbes in veteri Geographia extitere unquam; & Lychnidum inter Achajæ urbes nullus Scriptor recenset; duos autem ejusdem urbis uno tempore fuisse Antistes nemo affirmabit. Cum vero tres Episcopi, nomine Zosimi, adscripti sunt epistolæ Patrum Sardicensium ad omnes Ecclesias in priori subscriptionum parte, unum ex hisce nostrum esse jure censemus.

ANTONIUS EP. LYCHNIDENSIS II.

Antonius an. 1449. in Conciliab. Ephesino.

Nominatus cum Luca Dyrrhachiensi Metropolita initio actorum Conciliabuli Ephesini anni 449., *Luca Dyrachii & Antonio Lychnidi*, iisdemque post Lucam subscripsit, *Antonius Episcopus Lychnidensis definiens subscripsi*, seu vi minisque adactus Dioscori Patriarchæ Alexandrini, qui Eutychem hæreticum palam tutabatur, suoque arbitrio imperioque res omnes illius conventus dolose regebat, seu hæresi Eutychianæ consentiens; de quo licet dubitare. Verum, si forte Eutychi fautor extitit, certe videtur resipuisse, cum an. 451. epistolam sua manu, suoque nomine probavit, qua Episcopi Epiri novæ Leonem Imperatorem orarunt obtestatique sunt, ut necem S. Proterio Alexandrino Antistiti impie ab Eutychianis illatam ulcisceretur; quippe *Antonius episcopus Lychnidi similiter*, legitur subsignatus.

LAURENTIUS EP. LYCHNIDENSIS III.

Laurentius an. 491. ad quem

Patria Lychnidensis, ad quem exstat epistola S. Gelasii Romani Pontificis an. 493. aut insequenti. In ea fidei formulam proponit, quam Illyrici occidentalis Episcopi profiteri debent tuerique adversus Eutychianam hæresim, & Acaciani schismatis sectatores, uti Laurentius suis ipse litteris Gelasium rogaverat, ac certiorem fecerat, omnes per Macedoniam Episcopos jussis Felicis III. Antecessoris sui obsequentes Eutychis & Acacii dogmata damnasse. Dolemus quidem Laurentii epistolam temporis injuria periisse; at Severinus Binius non videtur sensum Gelasianæ epistolæ assecutus; etenim non ad Episcopos Macedoniæ missa est, ut ipse ait, qui jam per Felicis litteras Eutychi & Acacio *anathema dixerant*; respondet vero Pontifex Laurentio in provincia Dyrrhachiensi Antistiti, ejusque precibus obsecundans Catholicæ fidei professionem describit ab Episcopis Illyrici, præcipue Occidentalis, qui Orientali, eidemque Dyrrhachii provinciæ erant propriores, amplectendam; idque a Felice antea factum affirmat; vide quæ de Schismate Acaciano breviter dicta sunt tom. 3. pag. 130. Binii error deprehenditur in ipso epistolæ initio, quam subjicimus

In prolixitate epistolæ dilectionis tuæ magno nos gaudio replesti in ea parte, in qua dictum est, quod in Thessalonicensi Ecclesia, vel in aliis similiter recitata epistola prædecessoris nostri de excessibus Acacii, cuncti eidem anathema dixerint, nec quisquam communioni prævaricatoris sese miscuerit. Unde quia nos admones dilectione fraterna ut velut medicinam quemdam fidei episcopis per Illyricum vel aliis ministrare debeamus, quamquam hoc copiosissime factum sit a beatæ recordationis prædecessore nostro, & quia mos est Romanæ Ecclesiæ sacerdoti noviter constituto formam fidei suæ ad sanctas ecclesias prærogare, hæc eadem compendiosa nimis brevitate studui renovare, ut sub qua fide vivendum sit secundum statuta patrum, in hac nostra epistola propter brevitatem sine fastidio lector agnoscat. epistola Gelasii P.

Confitemur ergo dominum nostrum Jesum Christum filium Dei unigenitum ante omnia quidem sæcula, sine principio, ex Patre natum secundum deitatem, in novissimis autem diebus de sanctissima virgine Maria eundem incarnatum & perfectum hominem ex anima rationali & corporis susceptione, homousion nobis secundum humanitatem. Duarum enim naturarum perfectarum unitas facta est ineffabiliter, propter quod unum Christum eundem filium Dei & hominis, unigenitum a Patre, & primogenitum ex mortuis confitemur; scientes quod quidem coæternus sit suo Patri secundum divinitatem, secundum quam opifex est omnium, & dignatus est post consensionem sanctissimæ virginis, cum dixit ad angelum; ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum; *ineffabiliter sibi ex ipsa ædificavit templum, & sibi univit, quod non coæternum de sua substantia e cælo detulit corpus, sed ex massa nostræ substantiæ, hoc est ex virgine, hoc accipiens, & sibi unicus, non Deus Verbum in carnem versus est, neque ut phantasma apparens, sed inconvertibiliter, & incommutabiliter suam conservavit essentiam, primitias naturæ nostræ suscipiens sibi univit. Nam principium Deus Verbum has nostræ naturæ primitias multa sibi bonitate unire dignatus est, qui non permixtus, sed in utriusque substantia unus est ipse visus secundum quod scriptum est;* solvite templum istud, & in tribus diebus resuscitabo illud. *Solvitur enim Christus Jesus secundum meram substantiam quam suscepit,* Luc. 1. Joan. 2.

& sa-

& solutum suscitat proprium corpus, hoc ipse secundum divinam substantiam, secundum quam & omnium artifex est. Nunquam autem post resurrectionem unitionis nostræ naturæ discessit a proprio templo, nec discedere potest ineffabilem suam benignitatem, sed est ipse dominus Jesus Christus & passibilis & impassibilis, passibilis secundum humanitatem, & impassibilis secundum divinitatem. Suscitavit igitur suum templum Deus Verbum, & in se naturæ nostræ resurrectionem & renovationem operatus est; & hanc dominus Christus noster Deus, postquam resurrexit a mortuis, discipulis suis ostendebat dicens; palpate me & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, quemadmodum me videris habere; *non dixit, quemadmodum me dicitis* esse, *sed* habere, *ut & qui habet, & qui habetur considerans, non permixtionem non conversionem, non mutationem, sed unitatem factam respicias. Propterea & fixuram clavorum, & fixionem lanceæ demonstravit, & cum discipulis manducavit, ut per omnia resurrectionem nostræ naturæ in se renovatam doceret; & quia secundum beatam divinitatis substantiam inconvertibilis, incommutabilis, impassibilis, immortalis, nullius indigens, perficiens omnes passiones se permisit proprio inferri templo, quod virtute propria suscitavit, & per propriam perfectionem templi sui renovationem nostræ naturæ operatus est. Qui autem dicunt subtilem hominem Christum, aut passibilem Deum, aut in carne versatum, aut non cognitum habuisse corpus, aut de cælo hoc detulisse, aut phantasma esse, aut mortalem dicentem Deum Verbum indiguisse, ut a Patre suscitaretur, aut sine anima corpus, aut sine sensu hominem suscepisse, aut duas substantias Christi secundum permutationem confusas, unam factam fuisse substantiam, & non confitentes dominum nostrum Jesum Christum duas esse naturas inconfusas, unam autem personam, secundum quod unus Christus, unus idem Filius, istos anathematizat catholica & apostolica ecclesia. Hæc ergo sunt frater dilectissime, quæ pro antidoto nos debere mittere flagitasti, quod nullum amarum, neque dulce noxium videndum refugite, nam & de nostro conventu disposueramus quosdam dirigere, si ratio id temporis fieri permisisset; quod facere credimus opportune, cum illarum partium correctio ad nos, juvante domino, legatione plenissima, sicut confidimus, fuerit nuntiata. Speramus etiam de Dei nostri misericordia, ut huic prædicationi nostræ clementissimus & Christianissimus imperator unanimitatem suam auxiliumque conjungat, quatenus pro fide, qua pollet, in illis regionibus coerceat, quin suis quæstiunculis & secundum elementa mundi, sicut vas electionis ante prædixit, superflua vanaque concinnant nolentes contineri salutaribus disciplinis; sed vos, sicut ait idem apostolus,* non ita didicistis Christum, *si tamen illum audistis, & in illo docti estis, sicut est veritas in Jesum, quam utique ille apphehendere poterit, qui Orthodoxorum patrum, sicut jam sæpe dictum est, observaverit instituta. Deus te incolumem custodiat frater carissime.*

Luc. 24.

Imperator, de quo hic Gelasius, erat Anastasius, qui an. 491. suscepit imperium, & simulationem catholicæ fidei aperte omnem abjiciens hæreticis partibus, se totum addixit. Ejus vero sævitiem experti sunt plures ex Illyrico Catholici Episcopi, quos nominat Marcellinus in Chronico ad an. 516. In his fuit Laurentius, qui acceptis Gelasii litteris firmiter veræ religionis dogmata inter suos propugnabat. Quare, licet pedum morbo affectus, Constantinopolim ab Anastasio accersitus est; ibique diu tentata ejus constantia, & animi fortitudine, nam ipse sæpe Imperatorem alloquens ejus errores convicerat, jussus est in Comitatu idest in palatio Imperatoris velut exul consistere; quo tempore id mirum accidit, quod a pedum ægritudine repente convaluerit, dum in atrio Ecclesiæ Sanctorum Cosmæ & Damiani orans illorum opem flagitabat. Ac, septennio fere sui exsilii absoluto, Lychnidum reversus est, ubi annos supra octoginta natus vitam ærumnis æque ac meritis erga Catholicam fidem & gloria plenam finivit; ita enim laudatus Marcellinus; *Laurentius Anastasium Imp. in palatio pro fide Catholica sæpe convincens, apud Comitatum, ac si in exilio, relegatus retentusque est; mobiliorque deinde corpore, quam Constantinopolim advenerat, effectus. Nam septimæ infirmitatis suæ anno idem Laurentius fide sua sed Christi gratia in atrio Cosmæ & Damiani sanatus est, pedibusque sistere propriis gressibusque meruit confirmari, suæque dein patriæ incolumis reddi, ubi major octogenario requiescit;* an. nimirum 516. adhuc vivens, cum Marcellinus chronicon suum exarabat.

Constantinopoli pro fide decertat, &

post an. 516. obit.

THEODORETUS EP. LYCHNIDENSIS IV.

Suffectus Laurentio paullo ante, quam legati Hormisdæ Pontificis ad ea loca pervenirent an. 519. Quod enim Gelasius animo constituerat de legatione Constantinopolitana, & ad Illyrici orientalis Episcopos, ut Acacianum schisma per eas ecclesias penitus tolleretur, id effecit Hormisda,

Theodoretus anno inc. 518.

misda, & ingenti cum fructu est consecutus. Itaque ejus legati iter per Epirum novam & Macedoniam aggressi Constantinopolim versus, uti in aliis, quæ circum, Ecclesiis, ita & Lychnidi, composuere turbas, & Theodoretum Antistitem, ac Lychnidenses cives in doctrina & communione Romanæ Ecclesiæ confirmarunt. Præstat, quæ acta sunt, ex eorum & Andreæ Episcopi Prævalitaui litteris ad Pontificem cognoscere. Itaque in secunda *suggestione*, seu epistola ad Hormisdam missa, postquam Roma discesserant, *istam epistolam,* inquiunt, *jam ante triginta milliaria a Lignido fecimus, sperantes ipsa die in eadem civitate eum Dei adjutorio pervenire. Et quomodo ad nos pervenit Scampinus episcopus, speramus & ipsius civitatis Lignidi episcopum similia facere. Quod si factum fuerit, data occasione rescribemus.* Nec spes illos fefellit; nam gestientibus lætitia civibus, legati in urbem excepti fuere a a Theodoreto, qui ab iis oblatam fidei professionem prompto alacrique animo probavit, eique similem sua manu scriptam atque obsignatam tradidit Legatis; utque universi suam publice fidem testarentur, eadem in frequentissimo Ecclesiæ conventu palam lecta, & omnium assensu firmata est; *eum Dei misericordia venimus Lignidum; Theodoritus episcopus venerabilis vir ipsius civitatis similiter libellum dedit, qui libellus in ecclesia est relectus, & omnia secundum constitutionem vestram sunt facta;* hæc Legati in tertia *Suggestione;* & Andræas Prævalitanus seu Scodrensis Episcopus in epistola ad Hormisdam; *videntes Lignidenses quod fecit Scampinus,* Episcopus, *simili modo & ipsi secuti sunt;* vide Tom. 7. in Episcopis Scodrensibus & Scampensibus. Ast Theodoretus litteras præterea ad Hormisdam misit obsequii erga Pontificem plane demissi, & suæ fidei ac pietatis testes locupletissimas, quas heic subjicio.

excipit Legatos Hormisdæ P.

ejus ad eundem litteræ.

Domino sancto beato prædicabili & adorando apostolico patri Hormisdæ papæ urbis Romæ humilis famulus tuus Theodoritus.

Meæ quidem exiguitatis non est tam magna præsumere, & ad vestrum pium sanctum apostolatum pusilli sermone præsentes parvulas destinare paginas. Sed quia, pro insita vobis humanitate, pro propitiationis animo omnia nutu divinitatis protegere consuevistis, lucidum diem & totius festivitatis repletum omni reddidistis mundo, & omnia vestris prædicandis precibus ad pristinum veritatis revocastis statum, & in unum concordare vel subjugare vestris prædicabilibus & adorandis meritis annuistis; ideoque etsi meis obrutus iniquitatibus, & ab eis undique oppressus, ex ipsis recreatus infernis, recurrente ad religiosa vestigia tua famulo tuo viro religioso Pulione, usurpavi me tam per eum, quam etiam his parvulis & exiguis chartis, vestris prædicandis & adorandis præsentare vestigiis, divinum omnibus viribus exhortans favorem, & clara voce, eum omnibus omnino clamans, Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, *qui pro sua incomprehensibili pietate vestris mirificis operibus omnia illuminavit & liberavit, & lucidum totius festivitatis diem in toto orbe vestris Deo dignis precibus præstitit, & ab omni iniquitate eripuit, & omnem nodum colligationis absolvit, & omnem semitam aperuit. Hanc itaque gratulationis repletam pio vestro pronus offerens apostolatui deprecor uti pro mea flebilitatis exiguitate vestris piis precibus memores esse dignemini, domine sancte beate apostolice pater.* Luc. 2.

Accepta XIII. Kalendas Julii, domino Euthariеo viro clarissimo consule; idest anno 519.

Hæc de Episcopis Lychnidensibus, qui paucissimi in fastis ecclesiasticis memorantur; ac Theodoretus vitam forsan produxit ad an. illius sæculi trigesimum; eique suffectus fuit Castellio postremus Lychnidensium Antistitum, ac primus primæ Justinianæ Archiepiscopus an. 535. quo Sedes Lychnidensis in illam metropolim translata perhibetur; in locum igitur Præsulum Lychnidensium successere

ARCHIEPISCOPI JUSTINIANÆ PRIMÆ.

Justinianæ primæ origo,

CErta est apud omnes pœne tum Geographos tum Historicos seu veteres seu recentiores sententia, sublato Lychnidi nomine, Episcopalem dignitatem in Justinianam primam fuisse translatam. Erat locus Justiniani primi Imperatoris natalis; quam Procopius l. 4. de ædific. cap. 1. *Tauresium*, Agathias lib. 5. de bell. Goth. 4. *Bederinam*, Nicephorus l. 16. c. 37. Achridon nominant. Verum Nicephorus vocabulum usurpat, quo cœpit urbs multo serius appellari, suoque tempore vulgo erat notissima; Procopius vero & Agathias ita componi inter se facile possunt, ut ille Tauresii oppidum innuat, hic Bederianam vicinam, ubi Tauresium situm; quæ est opinio Joannis Petri de Ludewig in vita Justiniani p. 127. sa-

satis quidem probabilis, cum in Codice Vaticano Procopii utrumque legatur & Tauresium, & vicinam Bederianam penes Alamanum in notis ad arcanam hist. Procopii. Et sane *Achrido*, inquit Nicephorus loco laudato *urbs in excelso tumulo est constructa prope Lychnedum locum*, ideoque ab urbe Lychnido dissita parum, quippe quæ eidem lacui adjacebat, hinc & Tauresium & Bederianum agrum, unde Justiniana prima exorta, quæ postea dicta *Achrido*, prope Lychnidum recte constitui debet, ex qua ecclesiasticum decus, multo illustrius auctum in Justinianam primam transivit. Abrahamus autem Ortelius, verbo *Lychnidus & Tauresium*, allatis hinc illinc plurium Scriptorum testimoniis, idem sentit. Sed præstat, ipsa Procopii verba laudato ex loco integra describere, quæ urbis situm, originem, magnificentiam perspicue declarant. *Apud Dardanos Europæos, qui post Epidamniorum terminos habitant, castello, cui nomen Bederiana, vicinum erat Tauresium, ubi natus est orbis reparator Justinianus Augustus. Brevi spatio locum hunc mœnibus quadratis circumdedit, singulisque angulis turri imposita effecit, ut Tetrapyrgia, seu Quadriturrita reipsa esset, ac diceretur. Juxta eundem locum urbem condidit nobilissimam, ac Justinianam primam latino vocabulo appellavit nutricationis mercedem altrici solvens.... Exstructo ibidem aquæductu, benigna aquarum perennitate civitatem instruxit, aliaque permulta urbis conditori gloriosa, & præclara admodum fecit. Nec promptum est Deo dicatas ædes enumerare, nec nostræ facultatis describere magistratuum domos, porticuum amplitudinem, platearum decus, fontes, compita, balnea, rerum fora venalium. Ut paucis absolvam, urbs & magna, frequens, rebus omnibus beata, jure metropolis universæ provinciæ.* Hæc Procopii verba, quæ clare Bederianam a Tauresio distinguunt, & ab utroque loco Justinianam primam, ita tamen, ut Tauresio proxima esset, & ferme conjuncta, hinc in eodem Lychnidi, Bederianæ ac Tauresii territorio; cumque hic auctor *apud Dardanos Europeos, qui habitant post Epidamniorum terminos*, urbem ædificatam scribit, non est dubium, quin ad trium provinciarum fines sita fuerit, Dardaniæ, Epiri novæ, ubi Epidamnii, seu Dyrrachienses, & Prævalitanæ quæ utriusque terminos attingit ad Hæmi juga, qua parte cum Scardo junguntur, & Prævalim ac Epirum novam a Dardania dividunt. Prævalis vero pars erat Dalmatiæ seu Illyrici proprii extrema meridiem versus, & adempta metropolitæ Salonitano sæc. IV. in provinciam Ecclesiasticam coaluit sub Scodrensi metropoli; & certe Justinianæ positio ea esse debuit, ut verius nova Epiri novæ urbs diceretur ex Lychnidi prope Prævalim situ; quæ tum civili tum ecclesiastico regimini suberat metropoli Dyrrachiensi. Caroli a S. Paullo sententia fere eadem cum nostra; qui Justinianam quidem Prævali attribuit, neque advertit confiniorum proximitatem, qua factum, ut alii Dardaniæ v. tom. 2. Op. nostri p. 186. alii Prævali, alii demum Epiro novæ hanc urbem adscriberent. Ex hisce discamus licet, Justinianum nec Thracem natione fuisse, ut iis visum, qui Bederianam longissime in Thraciam transferunt, nec Dardanum, sed revera Epirotam, aut si mavis, Macedonem, nam vetus Macedonia novam Epirum complectebatur; & inepte a quibusdam seu barbarus dictus, seu Bulgarus; quia illa regio Bulgariæ nomen post ejus obitum ab hujusce gentis dominatu accepit. Cæterum Justinianam primam is suam patriam appellat, quippe Tauresio, unde ortus est, ita adhærebat, ut unam crederes urbem, in qua Tauresium munitissimæ arcis formam gerebat. Ac primæ Justinianæ appellationem sortita est, ut ab aliis urbibus distingueretur, quas plures suo nomine gloriæ cupidus Imperator decoravit.

Sita erat ad fines Epiri novæ ac Prævalis.

Metropolis & Ecclesiastici Exarchatus honore celebris.

Igitur magnifice condita, & provide sapienterque ordinata civitate, Justinianus ad ecclesiasticum ejusdem decus convertit animum; nec solum Lychnidensi hunc Episcopatu translato, sed Archiepiscopali honore, & Exarchatus jure in Daciam Aureliani, Mœsiam secundam, Pannoniam secundam, Dardaniam, & Prævalim voluit, ad fastigium attollere sacerdotale, & ab Exarchi Thessalonicensis eximi jurisdictione; idque perfecit an. 535. celeberrima, & eruditorum trita opinionibus Novella XI. de qua fusius, agendum. Inscripta est Catelliano Archiepiscopo primæ Justinianæ, qui primus revera est hujus Ecclesiæ Antistes; sed Archiepiscopalia insignia & jura Exarchatus haud ante an. 541. legitime obtinuit. Nihilo tamen minus liceat nobis tempus prævertere; & cum ab hoc serie incipiat istorum Antistitum, eum Archiepiscopum statim appellabimus; & eo Præsule historiam laudatæ Novellæ describemus.

CASTELLIO ARCHIEPISCOPUS I.

Castellio Archiepisc. an. circ. 535.

Caussa immutati nominis e subjecta titulo Novellæ notatione patebit. Incerea, ut innuimus paullo superius, vel Lychnidensem gesserit Ecclesiam, vel paullo post Theodo-

reti

Digitized by Google

reti obitum Episcopalis dignitas in primam Justinianam transiverit, Castellio, huic certe præerat an. 535., cum ad illum Novella Justiniani delata fuit. Hæc igitur, quæ deest in Codice legum apud Latinos æque ac apud Græcos, hi enim solum titulum exhibent, & plurimum differt ab ejus Epitome penes Julianum Antecessorem, & Theodorum Balsamonem neque convenit cum Novella CXXXI. eadem super re a Justiniano edita, & a nobis alibi proferenda, scatet etiam e erroribus omnigenis, & a Dionysio Gothofredo primum eruta est ex ignoto Codice nullius nominis atque auctoritatis, hæc, inquam, visa est doctis hominibus aut falsa, aut vitiata, corrupta, manca; atque in ea corrigenda operam posuit etiam Farlatus tom. 2. Verum a nobis omittenda non est, cum in ea fundamentum constet hujus Ecclesiæ, suæque in Illyrico celebritatis, sed debile, nisi gravioribus, solidisque fulciretur monumentis. Stephanus Salagius miræ eruditionis vir tom. V. de antiquis per Pannoniam Primatibus copiose disserit cap. IV. de Primatu primæ Justinianæ, cui negat Pannoniam fuisse subjectam; idemque ex regia Taurinensi editione an. 1756. Novellam nostram exscripsit, & justis castigationibus notavit; quem propterea ducem sectari juvat; & ab eo acceptum exemplar hic profero, suasque in rem propositam animadversiones nostris admixtas.

Novellæ XI. Justinianæ Imp. de primæ Justinianæ judicium.

1 *Imperator* (1) *Justinianus A. Catelliano viro beatissimo Archiepiscopo Justinianæ primæ. Multis* (2), *& variis modis nostram*

cujus hoc exemplum.

2 *patriam augere cupientes, in qua primo Deus præstitit nobis ad hunc mundum, quem ipse condidit, venire, & circa Sacerdotalem censuram volumus eam maximis incrementis ampliare, ut Primæ Justinianæ Patriæ nostræ pro tempore Sacrosanctus Antistes non solum Metropolitanus, sed etiam Archiepiscopus fint; & cæteræ provinciæ sub ejus sint auctoritate, idest tam ipsa Mediterranea Dacia, quam Dacia Ripensis, necnon Mysia secunda, Dardania, & Prævalitana Provincia & secunda Macedonia, & pars secundæ etiam Pannoniæ, quæ in Bacensi est civitate.*

3 (3) *Cum enim in antiquis temporibus Firmi Præfectura fuerit constituta, ibique fuerit omne Illyrici fastigium tam in civilibus, quam in Episcopalibus causis; postea autem Attilianis temporibus ejusdem locis devastatis, Appennius Præfectus Prætorio de Fermitana Civitate in Thessalonicam profugus venerat; tunc ipsam Præfecturam & Sacerdotalis honor secutus est, & Thessalonicensis Episcopus non sua auctoritate, sed sub umbra præfecturæ meruit aliquam prærogativam* (4). 4

Cum igitur in præsenti, Deo auctore, ita nostra Republica aucta est, ut utraque ripa Danubii jam nostris civitatibus frequentaretur, & tam Viminatium, quam Recidua & Literata, quæ trans Danubium sunt, nostræ iterum ditioni subjectæ sint; necessarium duximus ipsam gloriosissimam Præfecturam, quæ in Pannonia erat, in nostra felicissima Patria collocare, cum nihil quidem magni distet a Dacia mediterranea secunda Pannonia. (5) *Et quia homines* 5

semper bellicis sudoribus inhærentes non erat utile Reipublicæ ad primam Macedoniam post tot spatia tantasque etiam difficultates venire, ideo necessarium nobis visum est ipsam Præfecturam ad superiores partes trahere, ut juxta eam (6) *provinciæ* 6

constitutæ facilius sentiant illius medicinam. Et ideo tua Beatitudo, & omnes præfatæ primæ Justinianæ secundæ sancti Antistites Archiepiscopi habeant prærogativam, & omnem licentiam suam eis auctoritatem impertiri, atque eos ordinare, & in omnibus supra scriptis provinciis habere primam dignitatem, summam Sacerdotium, summum fastigium, a tua Sede creentur, & Te solum Archiepiscopum habeant nulla communione adhuc eum Thessalonicensi Episcopo servanda, sed Tu ipse, & omnes primæ Justinianæ Antistites, sive ejus Judices, & Disceptatores, quidquid oriatur inter eos discriminis, ipsi hoc dirimant, & finem eis imponant, & eos ordinent & nec ad alium quemquam eatur, sed suum agnoscant Archiepiscopum omnes prædictæ provinciæ, & ejus sentiant Electionem, & vel per se, vel suam auctoritatem vel Clericos mittendos habeant omnem potestatem omnemque Sacerdotalem censuram, & curationis licentiam. (7) *Sed & in Aquis, quæ est pro-* 7

vinciæ Daciæ Ripensis, ordinari volumus a Tua Sanctitate Episcopum, ut non inposterum sub Meridiano Thraciæ oppido Episcopo sit constituta, sed Meridianus quidem maneat in medio nulla communione tum Aquis servanda. Aquentis autem Episcopus habeat præfatam civitatem & omnia ejus castella & territoria, & Ecclesias, ut possit Bonosiacorum scelus ex ea civitate, & terra repellere, & in orthodoxam fidem transformare. (8) *Ut igitur sicut* 8

Tua Beatitudo nostri numinis dispositionem, idest præsentem legem ad tuam Venerabilem Sedem transmisimus, ut in perpetuum tale beneficium habeat patriæ nostræ Ecclesia in Dei omnipotentis gloriam, & notri numinis sempiternam recordationem. Quando (9) *autem suæ recordationis Sedis* 9

Gubernatorem ab hac luce decedere conti-

 ge-

Digitized by Google

geris, pro tempore Archiepiscopus ejus a venerabili suo Concilio Metropolitanorum ordinari sancimus, quemadmodum decet Archiepiscopum omnibus honoratum Ecclesiis provehi, nulla penitus Thessalonicensi Episcopo communione servanda. Beatitu-
10 *do* (10) *igitur Tua quæ nostra scripsit Æternitas modis omnibus ad effectum perducere non differat. Dat.* 20. *Belisario V. C. Consule.*

N O T Æ.

1 Genuina inscriptio Novellæ hæc est ex Theodoro Balsamone tom. 2. Collect. Const. Eccl. lib. 3. pag. 1331. *Idem*, idest Justinianus, *Imp. Castellioni Episcopo primæ Justinianæ;* & recte *Episcopo*, qui postea vi hujus legis futurus erat Archiepiscopus. Textus Novellæ primigenius latinus est; nam ejus initium Theodorus Balsamon Græcus scriptor, ac Græce scribens sic refert; *Multis & variis modis &c.* Editam fuisse lingua latina jam ante monuit littera *A. Augustus*. Ita Salagius ex Leunclavio lib. 1. Notat. in laudatum lib. 3. pag. 1431. quæ Farlato ignota. v. tom. 2. pag. 188.

2 In hac prima periodo usque ad ea verba, *quæ in Bacensi est civitate*, adnotat Salagius discrimen ab Novellæ epitome prodita a Juliano Antecessore, qui Justiniani ævo paullo inferior Novellam legerat incorruptam; in epitome Viminacium Mœsiæ primæ civitas, & sitæ circum illam urbes, in Novella vulgata septem provinciæ subjiciuntur Archiepiscopo primæ Justinianæ; & si Viminacium in Mœsia prima exprimit epitome, cur hæc provincia in Novella omissa? Arguit Salagius, iis verbis, *tam ipsa mediterranea Dacia*, innui quodammodo, ibi Justinianam exstitisse, quam ipse Dardaniæ attribuit, contra atque a nobis probatum est, in finibus novæ Epiri fuisse conditam ad Prævalim, & Hæmi montes, qui Dardaniam ab Epirotica & Prævalitana provincia dividunt. Ait, Mœsiam secundam referri huc non posse, quæ Patriarchæ Constantinopolitano suberat, cui tamen Salagii opinioni non assentior; ac demum ineptam reprehendit merito phrasin hanc, & elocutionem, *pars secundæ Pannoniæ, quæ in Bacensi est civitate*, cum dici debuerat, *in qua Bacensis est civitas;* etenim civitates provinciæ insunt, non provinciæ insunt civitatibus. De Viminacio, & Bacensi urbe vide dicta tom. VII. Farlatus hic pluribus disserit de provinciis in hac parte Novellæ memoratis; contendit Mœsiam secundam retinendam esse, tum Pannoniam secundam, & Macedoniam secundam esse ipsam Epirum novam, de quo nullus dubio locus; ejus vero sententiam, quod ad Bacensem civitatem attinet, laudato in Tomo rejecimus. Ast quas revera provincias contineret Exarchatus Justinianeus, alibi statuendum.

3 Alteri huic periodo ad usque verba, *meruit aliquam prærogativam*, subjicit Salagius, eam quidem cohærere epitome Antecessoris, falsa tamen omnia quæ dicuntur; adeo ut miretur, ausum esse Tribonianum Novellæ scriptorem ea asserere, quarum falsitatis convinci poterat facile e descriptis rerum monumentis vix uno sæculo antiquioribus. Huc non pertinet, Salagii expendere asserta; de Sirmiensi Præfectura, urbis excidio, iisque, quæ acciderunt, aliter visum Farlato in proleg. tom. 1., & in Petro III. Episcopo Salonitano tom. 2. quem Salagius pluribus in locis oppugnat. Nos in historia Ecclesiæ Sirmiensis tom. VII., ea tantum attigimus, quæ nostri erant instituti, ne infinitis involveremur quæstionibus, a quibus ne hodie quidem quiescunt eruditi homines; ac de Sirmiensi per Illyricum Primatu nihil definire voluimus, quamvis Salagii sententia nobis esset probabilior.

4 Repugnat & huic periodo Salagius, quia Præfectura Sirmiensis dicitur translata in *nostram gloriosissimam patriam, cum magni nihil distat Dacia mediterranea a secunda Pannonia*, perinde ac si Justiniana prima civitas esset ejusdem Daciæ; & æqua quidem est Salagii animadversio, qui tamen fallitur, cum patriam Justiniani in Dardania collocat; ejusque situm a nobis in Epiri novæ confinio ad Prævalim esse probatur; & ipse Farlatus tom. 2. pag. 190. fatetur, se Novellæ sensum non assequi.

5 Caussa hic affertur institutæ Justinianeæ Præfecturæ; quo nimirum promptiora inde mitterentur auxilia ad tuendos imperii fines adversus barbarorum excursiones, cum Thessalonica, ubi prius erat sedes Præfecti Prætorio, longius ab Istro abesset, & a Pannonia secunda. Et id quidem Salagius confirmat, cui certum est Justinianam nostram in Dardania stetisse propriori Istri ripis. At cum Farlato animadvertimus leve itineris ad Danubium discrimen, sive a Macedonia & Thessalonica discesseris, sive ab extrema nova Epiro, ubi Justiniana prima posita est. Hinc ratio in Novella adducta futilis paret ad sententiam nostram.

6 In hac periodo inconcinna elocutio, barbara & obscura, haud Triboniano digna, qui alias Novellas confecit, & repetita ad nauseam & inculcata hujus Archiepiscopi

Digitized by Google

copi auctoritas, & potestas immodica facile suadent, ait recte Salagius, fuisse hæc a nugatore aliquo scripta, & in Novellam inserta. Licet enim Primatum jura multa forent, nihil tamen Metropolitarum, & Episcoporum officiebant dignitate, & in suas Ecclesias canonicæ jurisdictioni; v. p. 2. prolegom. in tom. 1.

7 De Salagii in hunc locum animadversione diximus tom. VII. pag. 611. Meridianum oppidum non in Thracia, sed in Dacia ripensi cum Aquis situm fuisse oportuit, ut illi Aquensis civitas subderetur; & Procopius lib. 4. de Ædif. cap. 4. *Meridium*, seu *Meridianum*, Daciæ ripensi attribuit. Cætera valde obscura. Farlatus non advertit de Geographico Novellæ errore, & Aquensem Episcopatum potius Sardicensi Metropolitæ concedendum fuisse innuit, quem nos Sirmiensis potestati subjecimus tom. VII. De Bonosiacis autem in hoc tomo actum pag. 34.

8 Carpit Salagius hic vocabula *nostrum Numen, nostra Æternitas*, quæ Imperatorem Christianum dedecent, etsi iis usi aliquando alii fuerint post Constantinum M.

9 Ex litteris S. Gregorii M. ad universos per Illyricum Episcopos discimus, convenisse *omnium consensum* in electionem Joannis Archiepiscopi primæ Justinianæ; non igitur solis Metropolitanis hoc jus datum; quod indicat Novella.

10 Ex nota Novellæ chronologica, & ex alia Balsamonis, *datum mense Majo* &c. statui potest latam fuisse die XX. mensis Maji anno nono Imperii Justiniani, qui congruit cum Consulatu Belisarii & an. 35. quam sententia tuetur Salagius, & dissolvit objecta ex Procopio proposita. Sed Farlatus ex litteris Agapiti P. ad Justinianum obsignatis *idibus Octobris* Consule Belisario, eo scilicet an. 435. existimat Novellam scriptam die XX. Augusti. Respondet Pontifex delatam sibi hanc legem accepisse; fac igitur duorum circiter mensium spatium interjici a data utrinque epistola tum propter locorum distantiam, tum ob bellicos Imperii motus contra Gothos, bimestre hoc tempus recte inter diem XX. Augusti & diem XV. Octobris continetur. Hæc opinio mihi probabilior; Salagius unius Balsamonis adhæret auctoritati, Farlatus solidæ ex litteris Agapeti ratiocinationi; & miror Salagium eximium Farlati laudatorem, ac in opere Illyrici sacri versatum, non legisse tom. 2. docti viri in argumento pari sententiam, qua facilius Procopii narratio objecta Salagio cum Epocha Novellæ componitur. Anno nono Justiniani Imperatoris, Consule Belisario, vere ineunte anni 535. cœptum est, Procopio auctore, bellum Gothicum, & a Romanis receptæ sunt provinciæ Mœsiæ superioris, & Pannoniæ secundæ; hasque esse in sua potestate Justinianus affirmat Novella XI. data eodem anno, vigesima die mensis Maji, ut indicat Balsamo. Quî igitur fieri potuit brevissimo tempore vix trium mensium a veris initio ad dimidium circiter Majum depulsos ex iisdem provinciis potentissimos Gothos? subjicit Salagius. Verum hæc objectio prorsus tollitur, si a mense Martio, quo ver incipit, tempus protrahas ad integrum fere mensem Augustum; satis enim est sex pœne mensium, ut Justinianus de hoste referret victoriam, eumque ab Imperii terris abigeret; præsertim cum Gothi de regno Italiæ solliciti eo confluxerint ex Illyrico, ut impendens arcerent reipublicæ periclitantis exitium. Hæc pro Farlati sententia.

Hisce animadversis, consequitur, Novellam XI. pluribus vitiis esse conspersam, quæ illius auctoritatem maxime extenuant. Sed quid Castellio Archiepiscopus senserit, hac sibi lege tradita, quid egerit, Salagius arguit ex ipsa legis natura; ea enim est, ut omnis pœne Metropolitarum, quin & Episcoporum per Illyricum jurisdictio corruat necesse est; quare prudens Antistes, minime ambitione abreptus contra sacrorum cannonum jussa, & ordinem ecclesiasticæ Hierarchiæ, duxerit rem maturius sapientum consilio perpendi oportere, & Romani Pontificis expectandum judicium. Erat tum is Agapetus, qui acceptis a Justiniano litteris & lege, respondit idibus Octobris an. 1535. *de Justiniana civitate gloriosi natalis vestri conscia, necnon de nostræ Sedis vicibus injungendis quid servato B. Petri, quem diligitis, Principatu, & vestra pietatis affectu planius deliberari contigerit, per eos, quos ad vos dirigimus Legatos, Deo propitio celeriter intimamus.* Nihil igitur a Pontifice decretum, qui negotii tractandi munus injunxit Legatis jam Constantinopolim profecturis. Hi fuere Episcopi Sabinus Canusinus, Epiphanius Asculanus, Asterius Salernitanus, Leo Nolanus, Rusticus Fesulanus, cum Theophane & Pelagio diaconis Ecclesiæ Romanæ, uti ad hunc annum censet Baronius, alias ob caussas ad Justinianum missi ab Agapeto, qui, prosequitur idem auctor num. 57., *quidquam in præjuditium aliarum provinciarum Metropolitanorum Antistitum visus est noluisse concedere; magnopere enim cavere consueverunt Romani Pontifices, ne in canonum injuriam, & alterius præjudicium conferrent alicui privilegium.* Revera, nec Agapeto Pontifice, qui an. insequente 536. mortuus est, nec sub a Romano Pontifice non probatur;

S. Sil-

S. Silverio in ejus locum suffecto, Justinianus est consecutus, ut quod edixerat a Romana Sede probaretur; donec Vigilius ejus tandem cessit voluntati. Id perfectum
sed Vigilius P. Exarchatum Justinianeum confirmat
an. 541. postquam enim Vigilius legitime Petri Sedem conscendisset anno ante, litteras a Justiniano accepit suæ fidei & obedientiæ testes, quibus responsum reddidit, missa epistola per Dominicum Exconsulem & Patritium Justiniani Legatum; statimque an. 541. prodiit Novella cxxxi., qua Imperator primæ Justinianæ Exarchatum confirmat *secundum ea quæ definita sunt a sanctissimo Papa Vigilio*. Hinc arguit rectissime Pagius in Crit. Bar. ad an. 555. Dominicum, cum Romæ esset, Justiniani mandato egisse serio hoc de negotio cum Pontifice; & hic Legato decretum Constantinopolim perferendum tradidit, cui *etiam præsentium portitori quædam verba suggerenda mandavimus*, inquit Vigilius in laudata epistola, fortasse hac super re, & quieta decreti exsecutione; futurum enim intelligebat, ut ecclesiasticam primæ Justinianæ amplitudinem ægre ferrent Metropolitæ & Episcopi novo Exarcho subjecti, præsertim Thessalonicensis, de quo inferius; non igitur vi, & inter ærumnas, queis vexatus ab Imperatore fuit Vigilius post an. 547., sed libere, & tranquillo initi Pontificatus tempore Justiniani postulationibus assensus est; quod clarius pateret, si Vigiliana, sententia superesset. Hæc vere instituti, & confirmati Apostolicæ Sedis judicio, & auctoritate exordia hujus Exarchatus; quanta autem illius dignitas fuerit, & jurisdictio, & potestas, docent ipsa verba Justiniani in Novella cxxxi., quæ affero.

ad formam Novellæ cxxxi.
Per tempus autem beatissimum primæ Justinianæ patriæ nostræ Archiepiscopum semper sub sua jurisdictione habere Episcopos provinciarum Daciæ mediterraneæ, Daciæ ripensis, & Prævalis & Dardaniæ, & Mysiæ superioris ac Pannoniæ, & ab eo hos ordinari, ipsum vero a proprio ordinari Concilio, & in subjectis sibi provinciis locum obtinere eum Sedis Apostolicæ, secundum ea, quæ definita sunt a sanctissimo Papa Vigilio.

Provinciæ huic Exarchatui subjectæ.
Sex igitur provinciis imperabat Justinianeus Archiepiscopus, seu Exarchus; utriusque Daciæ nomine intellige Daciam Aureliani, quæ superioris partem, partem inferioris Mœsiæ continebat; Mœsia vero superior librariorum errore hic ponitur, quæ inferior dici debet, uti Farlatus & Salagius animadvertunt; superior enim Mœsia seu prima non erat provincia ecclesiastica suo subjecta Metropolitæ, & pars Sardicensi in Dacia mediterranea obtemperabat, pars Sirmiensi in Pannonia secunda, de quo dictum tom. vii. cum Mœsiæ inferioris idest secundæ Episcopi suum in provincia, unumque haberent Metropolitam Marcianopolitanum Antistitem. De Pannonia perspicuum est Justiniani testimonium; atque huc Salagius ingenii & eruditionis vim omnem intorquet, lib. v. cap. iv., ut Pannoniam Justinianæ primæ eripiat potestati; gloriatur enim, Pannonicam Ecclesiam nulli Exarcho ante Hungarica tempora, sed uni matri suæ & magistræ Romanæ Ecclesiæ subjectam fuisse. Longa nimis esset adversus tantum virum disceptatio; paucis tamen rem expedio. Novella cxxxi. probatur ab omnibus vera & integra, igitur Justinianus revera Pannoniam suo Exarchatui adscripsit; lex lata est; & si Pannones legi subducti sunt, vel semet subduxerunt, id non officit legis objecto ac fini. Præterea num subjectio Exarcho Justinianeo & Romanæ Sedis Vicario eadem censeri debet, ac quam erga Romanum Pontificem profiteris, dum is summi Hierarchæ vices legitime gerit? hoc vero Vicarii Pontificii jure nemo in Illyrico præter Thessalonicensem, de quo Salagius non pugnat, & Justinianeum Archiepiscopum præditus fuit. Adde hujus Exarchatus tempus, & interruptam suorum Antistitum seriem arctis limitibus fuisse constrictam, ac sub exitum sæc. vii. Exarchi Justinianæ primæ videntur desiisse, ita ut Pannonibus parum cum iis negotii intercessisse potuerit, præsertim ob continuas & in Pannonia & in ipso Exarchatu provinciarum perturbationes, vita functo Justiniano.

Illiusque auctoritas & privilegia.
Præter igitur in tot provincias hierarchicam potestatem largitus est Vigilius Archiepiscopis primæ Justinianæ dignitatem ac munus Vicarii Apostolici, queis diu insigniti fuerant Antistites Thessalonicenses; atque de his fuse disserit laudato in libro Salagius cap. 3., & plura habes tractata a Farlato tom. i. ac 2. Certum illud est, Thessalonicensem Primatum non omnino hac Justiniani lege corruisse, demptis solummodo Daciæ utriusque, Prævalis, & Dardaniæ provinciis, quibus antea potiebatur, immo & Mœsia, quam nominat S. Innocentius I. in epist. ad Rufum Thessalonicensem; eaque ipsa est de qua Justiniani Novella, nempe inferior & secunda, uti superius animadvertimus; quin Nicolao I. Pontifice, restitutum fuisse Justinianeo everso, Thessalonicensem Exarchatum doceat ejus littteræ ad Michaelem III. Imperatorem.

Qua vero, & quanta pollerent auctoritate Archiepiscopi Justinianæ primæ, ex ipsis Novellæ verbis cognoscimus, quam augebat Vicariatus Apostolici dignitas;

Digitized by Google

tas; & Vigilii mens ea certe fuit, ut cum dignitate in eos trauferrentur privilegia & jura, queis alii Pontifices donaverant Vicarios Thessalonicenses; quamquam hujusmodi prærogativa & officium non erat Sedi Archiepiscopali proprium, ac stabile, sed singulis Archiepiscopis ea novis litteris elargiebantur Romani Pontificis, postquam suam adivissent Ecclesiam; ita sentit Holstenius ad Synodum Romanam Bonifacii II. aliter atque Baluzius lib. 5. supplem. ad Concord. Sacerd. & Imp. cap. 22. sed nostrum non est hanc litem dirimere. S. Leo M. in epistola ad Anastasium Thessalonicensem, suumque Vicarium, secutus Prædecessorum exemplum, & usitatum morem describit, quæ esset hujus Vicariatus potestas; primum ne Metropolitani absque illius consensu consecrarent Episcopos provinciæ; deinde Metropolitæ ut ab ipso probarentur; tertio caussæ Episcoporum in Synodis provincialibus non definitæ ab ipso finirentur, vel, si opus esset, Romano judicio subjicerentur; denique Concilia Exarchalis is unus indiceret, celebraret, & vel Metropolitas, vel duos ab his selectos ex unaquaque provincia interesse juberet. Addit Salagius num. XI. ejuscemodi Vicarios in Conciliis Œcumenicis primos post Patriarchas nominari solere, & decretis subscribere ob Sedis Apostolicæ reverentiam; idque confirmat exemplo Flaviani Philippensis Episcopi qui in Synodo Ephesina locum tenuit Rufi Thessalonicensis; & Quintilli Heracleensis in Macedonia Antistitis, qui in Chalcedonensi Concilio vices egit Anastasii Thessalonicensis Primatis & Pontificii Vicarii. Quæ decora omnia e Thessalonicensi Exarchia, & Vicario in Archiepiscopum Justinianeum transivere; præerat tum Thessalonicæ Archiepiscopus Elias, uti videtur; adi Lequienium tom. 2. Or. Christ. in metropoli Thessalonicensi. Ast quidquid præterea Vigilii decreto collatum est honoris atque jurisdictionis in Antistites primæ Justinianæ, confirmarunt posteriores Pontifices; & S. Gregorius M. in epistola ad Joannem hujus Ecclesiæ Archiepiscopum scribit, se *per omnia consentire* in ejus electionem Concilii Exarchalis *unito consensu, & Serenissimi Principis voluntate* peractam, *de more* Pallium ad eum mittere, & vices illi Apostolicæ Sedis *iterata innovatione* committere; proinde erravit Christianus Lupus vir cæteroquin doctrina & eruditione clarus, cum in Tom. 1. Opp. ad can. XXVI. Concilii Sardicensis subjicit, Romanos Pontifices *dudum tolerasse dispensatorie* Vigilii de hoc Exarchatu sententiam; plura dicam in Archiepiscopo Joanne.

Mœsia secunda Patriarchatus Romani fuit provincia.

Nunc necesse est, ut nonnulla de provincia Mœsiæ inferioris seu secundæ animadvertam, quam utrique Vicario Thessalonicensi, & Justinaneo subjectam fuisse, quamque inter provincias Patriarchatus Romani contendimus esse adnumerandam, itaque dicta a nobis firmentur in Saturnino Antistite Marcianopolitano. Carolus a S. Paullo Mœsiam secundam & Scythiam Ponticam collocat in Illyrico Orientali sub Romanis Patriarchis, & Mœsiam postea in Patriarchatus Constantinopolitani jura translatam ait. Carolo adversatur Lucas Holstenius, quem colo, sequi non possum, præcipue quia Mœsiam ex Illyrico excludit, utpote in Thracica diœcesi comprehensam. Fallitur vir doctus. Mœsia secunda Illyrico addita fuit a Tiberio, adempta a Constantino, restituta a Justiniano I. vide tom. 1. Op. nostri. In diœcesi Thracica olim censebatur sub hujus Vicario, nec id inficior; num parere idcirco desiit Patriarchæ Romano? Jamque sic statuo. Ecclesiasticam provinciam dicimus, quæ suum in sinu Metropolitam habet, & agnoscit; hæc forma fuit Mœsiæ secundæ sub Archiepiscopo Marcianopolitano. Mœsia prima suam non habuit metropolim; pars in Pannonia Sirmiensi, pars in Dacia mediterranea Sardicensi Metropolitano Antistiti fuit obnoxia; caruit honore, ac jure provinciæ ecclesiasticæ. Sed quæ Exarchis, aut Romanis Vicariis tribuebantur provinciæ, suis constabant Archiepiscopis seu Metropolitis; & cum Innocentius in ep. laudata ad Rufum ei Vicario Mœsiacam cum aliis provinciis traditam commemorat; & cum Mœsia subditur Exarcho, & Vicario Justinianæ primæ, quam Mœsiam fas est intelligere, nisi Inferiorem, & secundam, quæ juris esset Romani Patriarchæ? Si vero initia Vicariatus Thessalonicensis a Siricio sumas Pontifice sæc. IV. in finem vergente, vel tum Mœsia concredita fuerat Vicario Thessalonicensi; quippe Innocentius, qui obiit anno 417. pristinam Rufo dignitatem Illyriciani Primatus, ac Vicarii Pontificii confirmat, & longis intervallis a se disterminatas Ecclesias, quas inter Mœsiaca cæteris remotior, ejus prudentia ac gravitati committit. Et quidem Mœsia tunc Illyrico nondum fuerat reddita; quod a Justiniano effectum. Quisnam porro vel suspicetur, sanctissimos Pontifices Patriarchatus Constantinopolitani læsisse jura, & eam invasisse provinciam, quæ alienæ subesset jurisdictioni, eo tempore quo regiæ urbi præerant Patriarchæ cum Romana Sede conjunctissimi, iidemque jurium ecclesiasticorum vigiles, uti par erat, propugna-

10-

Digitized by Google

tores, Gregorius Nazianzenus præsertim, & Joannes Chrysostomus? Quin gravius inde mihi est argumentum, quo credam, a primis temporibus Romanum Patriarchatum Mœsiæ secundæ possessionem tenuisse, immo & Scythiæ Ponticæ, de qua non disputo. Cum Justinianus hanc provinciam Illyrico restituit, & novo attribuit Exarcho, quem *locum Sedis Apostolicæ habere* decrevir, noverat profecto sapiens Imperator, cujusnam juris ac canonicæ potestatis esset inferior Mœsia; & cum Patriarchæ sui dignitatem, & sacrum imperium augere studuerit, num censere possim ademptam ab eo provinciam, qua legitime Antistites Constantinopolitani potirentur? Nec, etiamsi levis, est despicienda alia ratio, plurimum viguisse inter Mœsos, & in ecclesiasticis rebus usum latinæ linguæ faciliori cum Romano Patriarcha communicationi necessariæ. Quibus omnibus addendum necessario est gravissimum Joannis VIII. testimonium in epistola ad S. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum; *nullus ignorat regionem Bulgarorum a sanctæ memoria Damaso Papa & deinceps usque ad Paganorum eruptionem a Sedis Apostolicæ Præsulibus, quantum ad Ecclesiasticæ provisionis privilegium attinet, moderatam fuisse; præsertim cum hoc nonnulla scripta, sed præcipue diversorum Romanorum Pontificum res gestæ, quæ in archivis antiquitus nostræ servantur Ecclesiæ, clarius attestentur.* Cum hæc Joannes scripsit an. 878., regio, seu Bulgarorum regnum secundam Mœsiam cum cæteris Illyrici provinciis cis Dalmatiæ fines, & Dardania & Macedonia complectebatur; igitur Romanis Pontificibus loca hæc omnia ante Bulgaricas irruptiones constat fuisse subjecta. Et si bellici motus, & hostiles vastitates provinciarum nomina, divisiones, terminos immutarunt, subverterunt, *remotis malis*, inquit Pontifex verbis S. Leonis M. *quæ hostilitas intulit, unicuique id quod legitime habuit, reformetur.* Cui sententiæ obstitit dolosa Græcorum ambitio; & tum Constantinopolitani Patriarchæ in Mœsiam inferre pedem ausi sunt, cum Bulgari, qui in iis regionibus dominabantur, Græco schismati nomen dedissent; ac quamvis cum Romana Ecclesia aliquando de religione consenserint, Græcanicos errores sequi maluerunt ad sæc. usque XII. finem, uti in Ternobensi Ecclesia disseram. Hinc missi schismatici Episcopi, institutæ per Mœsiam metropoles; imminuti Catholici Antistites, desertæ Ecclesiæ, invectæ hæreses; demum vi & fraudibus invaluit in Mœsis & Bulgaris Patriarchatus Constantinopolitani imperium, adeo ut Græci Hierarchæ & Præsules Illyrici Justinianei pleras-que urbes obtineant, si Dalmatiam excipias & novam Epirum; Catholicis interea miserandum in modum afflictis, & unius alteriusve Episcopi, dum hæc scribo, opera ac labore in Romani Patriarchæ communione servatis.

Redeo ad Justinianam primam, quam Imperator non solum sacris, sed etiam civilibus ornamentis illustrem effecit; eoque Præfecturam Prætorianam transtulit Thessalonica, ubi sederat antea summa cum potestate. Quæ vero dignitas, quodnam decus fuerit, quæ jura, quanta auctoritas Præfectis Prætorio, e legibus Constantini, aliorumque Imperatorum discere quivis facile potest, & ex historicis monumentis. Justinianus, pulsis ex Illyrico barbaris, novis finibus Illyricum conclusit, qui Justinianeus dictus; illiusque consilio ac decreto vetus Præsidum ac Magistratuum ordo huic imperii parti redditus est; quare Præfecturæ Illyricianæ honos, quæ una e quatuor extitit per Romanum orbem constitutis, quin splendidius revixerit, non dubitamus, non imminuto numero diœceseon, & provinciarum, quibus Præfecti imperabant. Justiniana prima civilia decora.

Sed de Castellione Archiepiscopo quid interea evenerit, nullis proditum est monumentis; adierit ne Exarchalem dignitatem post Vigilii consensum, & quamdiu novam rexerit metropolim; quæ si disquirere vellem, temporis fieret jactura; cum de illius Successore potius mihi, & utilius sit disceptandum. Salagius laudato sæpe cap. IV. libri V. Castellioni sufficit Benenatum, quem initio hujus Tomi præfuisse diximus Scopiensi in Dardania metropoli; falsis vero innititur fundamentis. Nam cum in Concilio V., & II. Constantinopolitano Œcumenico Projectus Naissensis Paullus Ulpianensis & Sabinianus Zapparensis Episcopi *diœcesis Illyricianæ* ut est in actis Collat. II., recusarent Synodo adesse, missis a Concilio nunciis responderunt, parere se Patribus non posse, quia aberat Benenatus eorum Archiepiscopus; ex hisce ita Salagius; Archiepiscopus Justinianæ primæ dicitur a Procopio *Archiepiscopus Illyricorum;* nominati mox Episcopi dicuntur in actis *Illyricianæ diœcesis;* igitur Benenatus erat Archiepiscopus Justinianæ primæ utpote qui *Archiepiscopus Illyricorum;* cui illi subessent. At primum Naissensis, Zapparensis, Ulpianensis seu secundæ Justinianæ Episcopatus erant subjecti Metropolitæ Scopiensi; in quo consentiunt eruditissimi viri Carolus a S. Paullo, & Lequienius; hinc meliori jure ego infero; *Benenatus* illorum An-

Castellionis obitus, quo an. ignotum.

Illi non successit Benenatus, uti sensit Salagius;

Antistitum Archiepiscopus erat Metropolita Scopiensis. An novum Salagio, Episcopos in Conciliis, & Canonum subscriptionibus ab eorum Ecclesiis modo, modo & a provinciis, aliquando etiam a diœcesibus designari? In hoc ipso Concilio leges plerosque seu Metropolitas seu Episcopos titulo propriæ Ecclesiæ, tum etiam provinciæ, ad quam spectabat, subscriptos; provinciam & diœcesim indicant; *Benignus Episcopus Heracleotanæ civitatis, quæ est primæ Macedoniæ* &c. *Sergius novæ Justinianæ secundæ Ægyptiorum; prima Macedonia* provincia erat & caput *diœcesis Macedoniæ; Justiniana Ægyptiorum* idem sonat ac *Justiniana diœcesis Ægyptiacæ;* & S. Athanasius orat. I. contra Arianos Protogenem Sardicæ Episcopum solius diœcesis titulo distinguit, *Protogenes a Dacia*, quæ erat Illyrici diœcesis, plures sub Præside provincias complectens, in his Daciam Aureliani Ripensem & Mediterraneam; vide Tom. I. Haud secus Episcopi, quos diximus, suarum Ecclesiarum vocantur titulo, & diœcesis adjicitur, in qua provincia Dardania, eorumque Metropolita Scopiensis, scilicet *Illyriciana*. Contendit quidem Salagius extra Dardaniam hosce Antistites per Illyricum dispergere, ut in Benenato confirmet Archiepiscopalem primæ Justinianæ auctoritatem & Illyricianum Exarchatum; & Ulpianam seu secundæ Justinianæ Ecclesiam in Dardania retinet quidem, ast Zapparensis, inquit, Episcopatus ad secundam Macedoniam pertinet, quæ nova Epirus est, Farlato auctore tom. I., in diœcesi Illyriciana; verum Zapparam in Dardaniæ finibus esse sitam suo loco probavimus; neque Naissi positio quidquam juvat Salagii sententiam; etenim inter Dardaniæ & Daciæ mediterraneæ limites æquali ferme utrinque intervallo sedet; & alterutri provinciæ potest adscribi; nihilominus Geographi Sacri Ecclesiam Naissensem metropoli Scopiensi subjiciunt; ideoque Naissus, Zappara, Ulpiana in una Scuporum ecclesiastica provincia continentur, cujus Archiepiscopus Benenatus.

Instat Salagius verbis innixus Patrum Concilii, qui testantur act. II., pro Benenato adesse Synodo Phocam Episcopum *Stali sub ejus diœcesi constitutum, qui ejus vices agit;* si Phocas sub Benenati diœcesi dicitur constitutus, & ejus personam gerens, quæ diœcesis, nisi Illyriciana, intelligitur sub potestate Archiepiscopi seu Exarchi Benenati? Multa hic congerit Salagius, quæ refelli facile possunt; *Stalium*, seu *Istalium* urbs omnino ignota; ex adjunctis videtur in Dardania posita; si *Stobi* corrigas cum Salagio, *Stobensis civitas* pertinet ad primam Macedoniam in Pelagonia sub Thessalonicensi Archiepiscopo; quæ est communis inter eruditos sententia; & Phocas *Stobensis* Antistes non subest Benenati diœcesi Exarchali; Macedonia quippe prima sejuncta erat ab Illyriciano Exarchatu, seu Illyrico Justinianeo. Dicitur quidem *sub ejus* Benenati *diœcesi constitutus;* sed cur Illyricianam diœcesim non exprimunt Patres, quo modo tres alii Episcopi fuerant antea distincti? & quæ vis horum verborum *sub ejus diœcesi?* nisi hæc, Phocam in provincia Benenati Metropolitæ idest Dardania Episcopatum gerere; aliquando enim una provincia *diœcesis* appellatur a vetustis Scriptoribus; & diœcesis erat *minor* præ majoribus e pluribus provinciis in unum corpus seu civile seu ecclesiasticum conflatis. Præterquam quod fateor assequi me non posse, quî Phocas iste repente vices agat Benenati; in catalogo enim Episcoporum, quorum nomina ante actionem primam coram Patribus recitata sunt more solemni a Concilii legitimo *Notario*, is indicatur hisce unice verbis, *Phoca Religiosissimo Episcopo Staliensi;* dum cæteri, qui pro suis Metropolitis vicario fungebantur officio, notantur cum adjecta formula *vicem agente* &c. & quidnam istud? Benenatus, inquiunt Patres, *communicat nobis, & consentit his quæ in Synodo aguntur;* esto quidem; annon Benenatus consentit cum Zapparensi, Naissitano & Ulpianensi Episcopis, quod animadverti in Ecclesia Scopiensi, & hi Vigilio adhærent, qui adversatur Concilio? cur Phocas Benenati gerens vices, & ejus consiliorum particeps neque suo, neque illius nomine subscribit actis Synodi? aut fallor, aut aliena manu aliquid vel insertum, vel demptum est, seu immutatum. Ast graviori errore Salagius peccat, qui in subscriptionibus Patrum Concilii deprehendens Stephanum *novæ Justinianæ sive Darasii* Episcopum ad primam illum Justinianam transfert, & ne videatur hac sua de Benenato opinione duos uno temporæ primæ Justinianæ Archiepiscopos tribuere, hoc se tuetur effugio; obiit in Concilio Benenatus, desiit Phocæ munus, Benenato suffectus Stephanus primæ Justinianæ Antistes, qui Concilii sententias subscriptione probavit. Unde nostii, Salagi, obitum Benenati, quo auctore, quo teste? adeone te abripuit tuendæ sententiæ fervor, ut Justinianam novam cum prima Justiniana confunderes? Stephani subscriptio hæc est; *Stephanus misericordia Dei Episcopus metropoleos Justinia-*

næ novæ, sive Darasi; en subdit sibi plaudens Salagius, *Darasium* est *Tauresium*, ubi condita Justiniana prima; igitur *Stephanus episcopus metropoleos Justinianæ primæ*. Quid falsius ineptiusve? Plures numerantur a Geographis novæ Justinianæ; alia Bythiniæ, altera Camuliensium, tertia Ægyptiorum; vide Ortelium, vide Episcopos huic v. Synodo subscriptos; est & quarta *Darasi;* ubinam? in Isauria; vide Græcorum Episcopatuum notitias, in quibus & Δάρκτος, & Ἄδρκτος dicitur; quid hic cum Tauresio, cum prima Justiniana? *bonus dormitat Homerus*, Salagius; & *Stephanus metropoleos novæ Justinianæ sive Darasi* Episcopus in Isauria est quærendus. Hæc satis de Salagii opinione.

& Lequienius. Gravius nobis negotium facessit Lequienius, qui tom. 2. duplicem Benenatum distinguit, alterum Scopiensem, alterum primæ Justinianæ Archiepiscopum; ita tamen, ut conjicias unum esse, non duos, eumque primæ Justinianæ metropolitam & Exarchum. Nam Victor Tununensis in suo Chronico, cujus auctoritati Lequienius innititur, perspicue scribit; *post Consulatum Basilii IX. Illyricana Synodus in defensione trium Capitum Justiniano Augusto scribit, & Benenatum primæ Justinianæ civitatis episcopum obtrectatorem eorumdem trium Capitum condemnat;* hinc facilis conjectura consequitur, hunc Benenatum esse, quem Patres v. Synodi act. II. testantur, in eorum convenire sententiam adversus Capitula, *sicut ostendunt ea, quæ sæpe scripsit & fecit*, isque est a Lequienio in sede Scopiensi collocatus; nonne idem videtur, Benenatus qui trium Capitulorum *obtrectator*, & qui contra illa *sæpe scripsit & fecit?* Sed perpendamus verba Victoris; annus nonus post Consulatum Basilii est annus Christi 549. triennio ante Justinianus tria Capitula, quorum habes historiam tom. 2., suo libro condemnavit; anno autem 550. Vigilius Pontifex Constitutum edidit quo contra eadem sententiam tulit ita tamen, ut nihil lædi vellet Concilii Chalcedonensis fidem & auctoritatem. Igitur dissidia jam cæperant inter Orientales, & Occidentales, Illyricos præsertim & Afros, Episcopos; ac tum, ait Victor, convenere Illyrici Antistites, & pro Capitulis decertantes monuere litteris Imperatorem, ut consilium mutaret. Meminit Illyricianæ hanc ob causam Synodi etiam Isidorus lib. de viris illustr. cap. 12. de Justiniano scribens, *condidisse* illum *Rescriptum contra Illyricanam Synodum, quo tria Capitula damnare contendit;* quo tamen in loco coacta fuerit, certe nequit affirmari, sed diversa procul dubio est ab iis quas Facundus Hermianensis in libro adversus Mocianum perhibet, tria Capitula post Synodi v. decreta in Illyrico propugnasse. Farlatus tom. II. in vita Frontiniani Ep. Salonitani pag. 200. conjicit Illyricanum Concilium ex Episcopis fuisse conflatum, & qui Exarcho Justinianeo suberant, & qui Salonitano Primati, impulsi hi ab ipso Frontiniano trium Capitulorum acerrimo propugnatore; sed nemo Concilii locum indicat; Farlatus autem e verbis Facundi Hermianensis arguit, scripsisse illum de hac Synodo ante Concilii v. lata anathemata, cum revera Synodos Illyricas innuat habitas, Concilio Œcumenico v. jam absoluto; quas potius conventus dixerim aliquot Episcoporum, a quibus diu decreta Œcumenicæ Synodi contempta fuere, præsertim a Venetis & Istris sub Aquilejensi metropolita; hæc Facundi verba; *si displicet quod in præsenti hujus Concilii oppugnatione statuerunt Aphricana Concilia, quod aliorum Ecclesiarum Episcopi faciendum viderunt, sicut Illyrici & Dalmatæ* &c. quæ referri nequeunt nisi ad finitum Concilium an. 553. quo & fuerat incœptum.

Ajo itaque de Illyricana Synodo an. 549. non esse ambigendum; de Benenati damnatione hærere me fateor. Unus Victor Tununensis factum commemorat; silent cæteri ævo æquales Scriptores, vel ipsi, qui cum Benenato tribus Capitulis palam adversabantur; & quis sibi persuadeat, ignorasse illos publicum facinus, damnatum scilicet & Sede dejectam partium studio nobilissimum primæ Justinianæ Exarchum, aut cognitum noluisse chartis evulgare, ut in adversarios invidiam vulgi, & improbationem commoverent? Et quamvis Illyrici Episcopi nimio æstu ferrentur in Capitulorum defensionem, ægre adducor, ut credam, ausos fuisse eam notam condemnationis Benenato inurere, cum satis erat, Imperatoris edictum refellere in hac causa, in qua hærebant adhuc incerti Mennas Patriarcha Constantinopolitanus, aliique Episcopi; & Vigilius Pontifex, qui Constantinopolim paullo ante advenerat, prudenter monuerat, Catholicam communionem inter dissidentes Episcopos non esse dirimendam, donec legitimo totius Ecclesiæ judicio decideretur contentio. Victor Tununensis Episcopus acris ingenii & obstinati animi vir adeo, ut neque Œcumenici Concilii decretis, neque Vigilii, qui illa probaverat, auctoritati unquam acquieverit, quominus tria Capitula etiam mor-

Digitized by Google

morti proximus tutaretur, facile decipi potuit vulgi rumore, & male fidis sermonibus, qui de Benenato, ejusque damnatione ferebantur, & primæ Justinianæ præficiebant Antistitem.

Itaque, cum plura hactenus de Benenato disseruerim, quæ in rem nostram duxi necessaria, sic statuo; Benenatum unum esse in sede Scopiensi retinendum, nisi certiora prodeant in partem alterutram monumenta. Diffiteri profecto nequeunt viri eruditi, historiam de tribus Capitulis multis esse implexam difficultatibus, & tenebris obvolutam, nec incongruum videatur tur cuiquam, Ecclesiam primæ Justinianæ post Castellionem suo caruisse tamdiu Archiepiscopo, per annos ferme quinquaginta. Siquis creatus fuit, ejus memoria periit; vel reputandum animo est, quem Illyriciani Episcopi in Concilio Exarchali delegerint, ejusdem cum illis opinionis fuisse consortem in trium Capitulorum tuitione, ac proinde ab Imperatore, cujus consensu opus erat, rejectum, ne suo potiretur Exarchatu, quippe qui ab Augustalibus Justiniani edictis, ejusque consilio ac voluntate dissentiret.

JOANNES ARCHIEPISCOPUS II.

Joannes Archiep. an. circ. 592.

Miro omnium Exarchatus Episcoporum, ipsiusque Imperatoris Mauritii consensu ad hanc Ecclesiam regendam evectus est an. 592. Qua de re certior factus per litteras ab iisdem Episcopis S. Pontifex Gregorius M. his quidem respondit, electum Antistitem a se summopere probari; monetque omnes suo parcant Metropolitæ, cui collatum sciant Pontificii Vicariatus munus, & missum Pallium Archiepiscopalis insigne potestatis. Tum alia epistola gratulatur ipsi Joanni unanimem Exarchalis Concilii in eo eligendo consensionem, suasque vices eidem per subjectas provincias committit; acceptoque Pallio caveat, inquit Pontifex, ne desit officiis, quæ cum sublimi adeo dignitate sunt conjunctissima. Utramque hac epistolam refero ex Gregoriano Regesto.

epist. Gregorii M. ad Episc. Illyrici. I

Gregorius Universis Episcopis per Illyricum (1).

Et nobis confert de sollicitudine vestra lætitiam, & Fraternitatem vestram reddit de sua ordinatione securam, si antiquæ consuetudinis ordo servatur. Quia ergo ex epistolis, quas ad nos per Maximianum presbyterum & Andream diaconum direxistis, in persona Johannis fratris & Coepiscopi nostri consensum omnium vestrum, & serenissimi Principis convenisse cognovimus voluntatem, magna nos exultatio habuit, talem, Deo auctore, ad Sacerdotii officium provectum fuisse, qui dignus cunctorum est electionis judicio comprobatus. Proinde juxta postulationis vestræ desiderium prædictum fratrem & Coepiscopum nostrum in eo, in quo est sacerdotii ordine constitutus, nostri assensus auctoritate firmamus; ratamque nos ejus consecrationem habere dirigentes Pallium indicamus. Cui quoniam juxta morem nostras vices commisimus peragendas, ideo Fraternitatem vestram necessario prævidimus adhortandam, quatenus ei in his quæ ad ordinem ecclesiasticum, rectitudinemque pertinent disciplinæ, sive in aliis quibus canonum decreta non obstant, parere nullo modo differatis, ut caritatem vestram sincero cum judicio elegisse exhibita valeat obedientia declarare.

NOTA.

1 Est epistola XXII. lib. 2. data Indict. x. in edit. PP. Maurinorum. *Illyrici* autem nomine intellige eam partem Illyrici Justinianei, quam complectebatur Exarchatus primæ Justinianæ. Sequitur altera S. Gregorii epistola ad ipsum Metropolitam seu Exarchum Joannem data uno tempore; & est ordine XXIII. libri ejusdem.

Gregorius Johanni Episcopo primæ Justinianæ Illyrici.

alia Gregorii epist. ad Joannem Archiep.

Manifestum bonitatis esse liquet indicium, in unius electione cunctorum convenire consensum. Quia igitur suscepta fratrum convenire consensum. Quia igitur suscepta fratrum, & episcoporum nostrorum relatio ad locum nos sacerdotii totius concilii unito consensu, & Serenissimi principis voluntate declarat accersiri, gratias omnipotenti Deo creatori nostro magna cum exultatione retulimus, qui vitam, actusque vestros ita de præteritis fecit esse probabiles, ut omnium vos, quod est valde laudabile, faceret placere judicio. Quibus nos quoque in personam fraternitatis tuæ per omnia consensimus, atque omnipotentem Dominum deprecamur, ut caritatem vestram, sicut sua gratia elegit, ita in omnibus sua protectione custodiat. Pallium vero ex more transmisimus, & vices vos apostolicæ Sedis agere iterata innovatione decernimus, admonentes, ut ita vos circa subjectos debeatis exhibere placabiles, ut rectitudinem vestram diligere provocentur, potius quam timere. Quorum si culpa forte poposcerit, ita excessus emendare curabitis, ut paternum affectum de animo nullo modo relinquatis. Estote in custodia commissi gregis vigilantes, atque soliciti, & disciplinæ ze-

Digitized by Google

lo districti, ne lupus insidians nec ovile turbare Dominicum, nec nocere ovibus aliqua fraudis occasione praevaleat. Animarum lucrum Deo nostro tota mentis intentione ferre festinate: nomen vos pastoris non ad quietem, sed ad laborem suscepisse cognoscite. Exhibeamus ergo in opere quod signamus in nomine. Sacerdotij praerogativam si recta consideratione pensemus, solicitis, & bene gerentibus in honore, negligentibus autem profecto erit in onere. Sicut igitur laborantes, & circa animarum salutem solicitos hoc nomen ante Deum aeternum ducit ad gloriam, ita desides, ac torpentes urget ad poenam. Si lingua vestra vitam esse aliam plebs commissa agnoscat, sit illis fraternitatis vestrae doctrina gratus coercitionis stimulus, & vita imitationis exemplum. Quid enim diligere, & quid timere debeant, caritatis vestrae sermo praedicationis aperiat; fructum efficacia vestra aeternae hujusmodi retributionis acquirat. Inter haec vero, & hujusmodi ista vos principaliter deliberationis cura constringat, ne unquam ordinationes facere tentetis illicitas; sed si quos ad clericatus ordinem, vel potiorem forte gradum promoveri contigerit, non praemiis, aut precibus, sed meritis ordinentur. In nulla ordinatione fraternitati vestrae commoda quolibet modo subrepant, ne laqueis simoniacae, quod absit, haereseos illigetur. Matth. III. 36. Quid enim prodest homini, *sicut veritas docet*, si totum mundum acquirat, & suae faciat animae detrimentum? *Unde necesse est, ut Deum in omni quod genimus attendamus, peritura, & temporalia contemnamus atque ad aeternitatis bona cordis*
1 *desiderium dirigamus.* (1) *Xenia autem vestrae sanctitatis suscipere omnino nolueram: quia valde esset incongruum ut a praeda-*
2 *tis* (2) *atque afflictis fratribus munera per-*
3 *cepisse videremur. Sed Responsales* (3) *vestri alio me argumento vicerunt, ad eum illa deferentes, a quo non possent oblationes vestrae fraternitatis repelli. Illud enim vobis prae omnibus studendum est, ut venturo judici animarum, sicut praediximus, non peritura munera procuretis, quatenus & vos de vestra mercedis operatione, & nos pariter de nostra adhortatione respiciat.*

NOTAE.

1 Hujusmodi munera, seu Xenia, honoris & reverentiae signa, mittebant Episcopi aliquando ad Romanum Pontificem; quae S. Gregorius respuere volebat tum magnanima rerum terrenarum despicientia, tum pio charitatis affectu erga Joannem, suamque Ecclesiam; noverat enim ea loca a barbaris paullo ante fuisse miserrime vastata. Accepit tamen, cum intellexit ea dona a Joanne offerri sepulchro S. Petri, quo religionis officio longinqui etiam populi, & reges plurimi colere consueverunt sacras exuvias Principis Apostolorum, & fidem testari atque obedientiam adversum Christi in Romana Sede Vicarium.

2 Haec intellige de Avaribus, qui Mauritio imperante, Illyrici provincias per hosce annos crudeliter depopulati sunt; vide Tom. II. Operis nostri.

3 Responsales olim dicti seu Aprocrisarii, qui alterius nomine ecclesiastica negotia agebant apud Romanum praesertim Pontificem.

Sed encylicae S. Gregorii epistolae parere renuens Felix Sardicensis Antistes Exarchale Joannis imperium detrectabat; quare Pontifex datis ad ipsum Felicem aliis litteris graviter eum reprehendit, & monitis ac minis ad frugem, & ad officium studuit revocare; habes epistolam in Episcopis Sardicensibus.

Joannes vix suae Sedis possessionem adiverat, cum vicaria abutens pro Romano Pontifice potestate in crimen incidit sua dignitate, tantoque munere prorsus indignum. Hadrianus Thebarum in Thessalia Episcopus de repetundis aliisque accusatus culpis apud Mauritium Imp. ejus jussu Joannis Metropolitae sui Larisseni, & hujus Joannis judicio fuerat subjectus. Qui male habitus ab utroque Joannis nostri sententia contra leges, & sacros canones e gradu dejectus Romam aufugit, Gregorii opem ut posceret & adversus iniquos judices caussae sue defensionem. Pontifex cognita actorum veritate utrumque Joannem severe litteris coarguit, & nostrum *a sacra communione* diebus triginta jussit abstineri, ac perpetrati sceleris poenas lacrymis & poenitentia luere; de illato in vicarium officium dedecore decreturum se postea scribit, monetque Hadrianum Pontificia auctoritate Thebanae Ecclesiae esse restitutum. Data epistola Indict. XI. an. circ. 593. & est sexta libri III. laudatae superius editionis. Joannis crimen contra Episcopum Thebanum in Thessalia.

Gregorius Johanni Episcopo primae Justinianae.

altera Gregorii epist. ad Joannem & in eum lata sententia.

Post longas tribulationes suas, quas Hadrianus Thebanae Civitatis Episcopus a consacerdotibus suis, velut ab hostibus, pertulit, in Romanam civitatem confugit. Et licet adversus Joannem Larissaeum Episcopum ejus fuisset prima suggestio, non ab eo in causis pecuniariis reservatis legibus judicatum, tamen post haec magis contra personam fraternitatis tuae, a qua non juste se a sacerdotii gradu flagitabat esse dejectum, gravissime querebatur. Sed nos, indiscussis petitionibus non credentes, eadem,

dem, quæ apud Joannem fratrem, & coepiscopum nostrum, vel quæ apud fraternitatem tuam sunt acta, relegimus. Et quidem de memorati Joannis Episcopi Larissæi judicio, quod fuerat appellatione suspen-
1 *sum, satis, & (1) piissimi rerum Domini*
2 *ad Corinthi (2) Episcopum missis jussionibus decreverunt. Et nos quoque per præsentium latores epistolis nostris ad præfatum Joannem Larissæum directis, Christo auxiliante decrevimus. Cum vero diversi disceptationem judicii, cujus examinationem tibi imperialia jussa tradiderant, & inspectam gestorum apud Joannem Episcopum de criminalibus habitorum seriem ventilavimus, reperimus prope nihil te, quod ad nominatas, indictasque sibi causas attinuit, exquisisse, sed machinationibus quibusdam testes adversus Demetrium Diaconum in damnatione ejusdem Episcopi produxisse. Qui eum de illo, quod nec audiri fas est, testimonium dicentem se audisse perhiberent. Quod dum præsens Demetrius contradiceret se dixisse, adversus sacerdotalem morem, disciplinamque Canonicam dejectum honore suo Diaconum Proconsuli Provinciæ tradidisse. Qui cum multis laniatus verberibus adversus Episcopum suum forsan aliqua potuisset tormentorum necessitate mentiri, usque ad finem negotii nihil eum, de quibus interrogabatur penitus invenimus fuisse confessum. Sed nec alia in gestis ipsis sive per depositionem testium, sive per Hadriani professionem, quod ei potuisset obesse, reperimus. Sed tantum fraternitas tua, nescio quo mentis motu, Divino humanoque jure contempto, abruptam protulit in ejus damnatione sententiam, quæ licet non esset appellatione suspensa, contra leges tamen, canonesque prolata, ipso non poterat jure subsistere. Postquam autem ex abundanti appellationem tibi constat esse porrectam, mirati sumus, cur nec homines tuos secundum cautionem Honorato Diacono nostro per Responsales tuæ Ecclesiæ expositam, qui tui judicii rationem potuissent reddere, transmisisti. Quod factum te, vel de contumacia, vel de conscientiæ trepidatione redarguit. Si igitur hæc, quæ nobis oblata sunt, veritate vallantur, quo-*
3 *niam occasione vicium (3) nostrarum consideramus vos injusta præsumere, de his alias secundum id, quod a nobis deliberatum fuerit, Christo auxiliante decernemus. Quod vero ad præsens attinet, cassatis prius, atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis, ex Beati Petri Principis Apostolorum auctoritate decernimus, triginta dierum spatio te sacra communione privatum, ab Omnipotenti Deo nostro tanti excessus veniam cum summa pœnitentia, ac lacrymis exorare. (4) Quod* 4
si hanc sententiam nostram te cognoverimus implesse remissius, nou jam tantum injustitiam, sed & contumaciam fraternitatis tuæ cognoscas adjuvante Domino severius puniendam. Præfatum vero Hadrianum fratrem, & coepiscopum nostrum ex tua sententia ut diximus nequaquam canonibus, neque legibus existente damnatum, in suum locum atque ordinem reverti Christo comitante disponimus, ut nec illi fraternitatis tuæ noceat contra justitiæ tramitem prolata sententia, nec caritas tua pro placanda futuri indignatione judiciis incorrecta remaneat.

NOTÆ.

1 Hisce verbis indicat S. Pontifex, Mauritium Imp. delegisse judicem in causa Thebani Episcopi Metropolitam Corinthi, cum is adversus sententiam in priori judicio Joannis Larissæi latam Cæsarem appellasset.

2 idest Anastasium, ad quem, & ad provinciales Episcopos scripsit S. Gregorius, ut certior fieret, utrum Hadriani negotium vera partium inter se adversantium concordia, & æquo tandem jure fuisset compositum.

3 Nimirum Joannes vicarium munus pro Romana Sede iniquis sensibus & ad injusta conversis superbe gerebat. Verum Pontifex nihil detraxisse videtur vicariæ illius potestati, uti paullo inferius constabit.

4 Revera pœnituit Joannem suorum criminum, & cum Pontifice brevi in gratiam rediit.

Duæ res hoc tempore vel maxime obversabantur pastorali curæ, ac sollicitudini Gregorii Pontificis, altera ambitio Antistitum Constantinopolitanorum, qui sibi titulum Patriarchæ *Œcumenici* arrogare cœperant; altera lex Mauritii de Clericis & Monachis; atque utrique malo ut obsisteret, an. primum 598. scripsit ad plures in Illyrico præsertim Metropolitas encyclicam epistolam, eos monens, jubensque, ne ambitioso regii Patriarchæ assentirentur fastui, neque titulo illum ornarent Romanæ Sedi injurioso; quamvis enim Joannes IV. Patriarcha, cognomento Jejunator, temerarii auctor inventi jam obiisset triennio ante, Cyriacus eidem suffectus pari insolescebat jactantia. Hæc epistola & ad Joannem Episcopum primæ Justinianæ missa est, qui, cum inflictæ a Gregorio pœnæ prompto demissoque animo satisfecisset, ecclesiasticam pacem denuo fuerat consecutus; eidemque cum cœteris datæ litteræ an. 600. quibus Pontifex decernit, milites ac laicos publicis implicitos rationibus, etsi con- alia ad eumdem Gregorii litteræ

Digitized by Google

convictos criminum, & alieno ære obstrictos posse post triennem pœnitentiam in Clerum admitti, vel in Monasteria, contra atque edixerat Mauritius, qui tamen Gregorianæ sententiæ assensus est. Verum hoc ipso anno novum accidit ab Imperatore incommodum; quippe Joannem gravi affectum capitis morbo voluit de sua Ecclesia amoveri, aliumque creari Archiepiscopum, qui sanis viribus illius gregis bono aptius consuleret. Id ut Pontifex intellexit, Anatolio diacono Ecclesiæ Constantinopolitanæ per litteras mandatum dedit; adeat is Mauritium, suoque nomine significet, hanc ejus voluntatem canonicis legibus adversari, Joannis necessarium esse consensum, ut quis in ejus locum legitime succedat. Cæterum perpendat Imperator, quæ jure conveniunt; & siquid canonicum decreverit, se probaturum; secus, quantum a culpa absit, toleraturum; epistola data est Indict. IV. & in lib. III. Regesti Maurin. XI.

eiusdem Pontificis epistola de ægritudine Archiep. Joannis.

Gregorius Anatolio diacono Constantinopol.

Scripsit mihi tua dilectio piissimum domnum nostrum reverendissimo fratri meo Joanni primæ Justinianæ episcopo pro ægritudine capitis, quam patitur, præcipere succedi, ne forte, dum episcopi jura eadem civitas non habet, quod absit, ab hostibus pereat. Et quidem nusquam canones præcipiunt, ut pro ægritudine episcopo succedatur; & omnino injustum est, ut, si molestia corporis irruit, honore suo privetur ægrotus. Atque ideo hoc per nos fieri nullatenus potest, ne peccatum in mea anima ex ejus depositione veniat. Sed suggerendum est, ut si is, qui est in regimine, ægrotet, dispensator illi requiratur talis, qui possit ejus curam omnem agere, & locum illius in regimine ecclesiæ, ipso non deposito, conservare, ac in custodia civitatis implere, ut nec omnipotens Deus offendatur, neque civitas inveniatur esse neglecta. Si vero idem reverendissimus Joannes fortasse pro molestia sua petierit, ut ab episcopatus honore debeat vacare, eo petitionem scripto dante, concedendum est. Aliter autem nos id facere pro omnipotentis Dei timore omnimodo non audemus. Quod si hoc ita petere ille noluerit, quod piissimo imperatori placet, quidquid jubet facere, in ejus potestate est. Sicut novit ipse provideat. Nos tantummodo in depositione talis viri non faciat permisceri. Quod vero ipse fecerit, si canonicum est, sequimur: si vero canonicum non est, in quantum sine peccato nostro valemus, portamus.

Videtur Mauritius Gregorii auctoritatem reveritus esse; etenim Joannes in Episcopatu constitit; & convalescens jussu Pontificis in judicium vocavit Paullum Diocletanum Antistitem, qui plurium flagitiorum reus & ab Ecclesia ejectus in Episcopales ædes irruere ausus fuerat, ac in fugam compulso legitimo Antistite, bona expilare, Ecclesiæ atque diripere. Hanc historiam descripsimus Tom. VII. in Ecclesia Diocletana, & Scodrensi; integras tamen S. Gregorii ad Joannem litteras hic affero datas Indict. V. an. circ. 601. in lib. 12. laudati Reg. num. 31.

postrema ejusdem ad Joannem epistola de Paullo Ep. Diocleensi.

Gregorius Johanni Episcopo primæ Justinianæ.

Quando mala, quæ pænitentiæ fletu purganda sunt, augentur excessibus, ita major delinquentibus est adhibenda correctio, ut & ipsi facinus suum saltem pæna vindicante cognoscant, & alios ab illicitis ecclesiasticæ ultionis timor (1) inhibeat. Dilectissimus itaque lator præsentium Nemesion ad nos veniens indicavit, sicut & gestorum exemplaria quæ huc detulit continebant, Paullum Docleatinæ civitatis Episcopum inter alia mala in corporale crimen lapsum a suis fuisse Clericis accusatum, atque habita cognitione, ita, quod sine dolore dicere non possumus, claruisse, atque insuper, postquam convictus est, etiam eum libellum, in quo ea, de quibus accusatus fuerat, vera esse confessus est, obtulisse. Qua de re sententia illo Episcopali deposito, ejus loco se cum Fraternitatis (2) vestræ consensu esse Episcopum ordinatum; sed nunc eundem Paullum cum auxilio sæcularium judicum venientem, Episcopium more prædonis ingressum, ablatisque violenter rebus Ecclesiæ, ab eo se projectum, & ad summam injuriam, ac necem pæne perductum. Et quoniam tantæ nequitiæ pravitas nec dissimulanda, nec leviter attendenda est, Fraternitas vestra hæc omnia diligenter curet addiscere; & si ita se, ut edocti sumus, veritas habet, prædictum Paullum districta faciat exsecutione compelli, ut quæcumque abstulit, omni mora vel excusatione cessante, restituat; si vero nihil Ecclesiæ, sed proprium se dixerit abstulisse, quamvis grave & iniquum fuerit, ut non a vobis, vel a Metropolitano ejus hoc posceret, sed temerario ausu manu præsumeret agere, verumtamen siquid proprium tulit, sub Fraternitatis vestræ examinatione constare, si verum est. Sed & illud diligenter quærendum est, siquid male de rebus dilapidavit Ecclesiæ, ut ex eo, quod nunc abstulit, hoc reformare ac satisfacere modis omnibus compellatur. Si autem differre tentaverit, quousque omne, quod dilapidavit, vel de substantia tulit, Ecclesiæ restituat, in monasterium mittendus est,

Digitized by Google

est, ut saltem coactus reddat, quod male auferre non timuit. Qui si forte, quod non credimus, post depositionem suam inverecunde ac mente perversa aliquid de Episcopatu loqui, atque rursus ad hoc qualibet aspirare præsumptione tentaverit, Fraternitatis vestræ se contra improbitatem ipsius omnino vigor accendat, & Dominici Corporis ac Sanguinis communione privatum in monasterium eum usque ad diem obitus sui ad agendam curet pœnitentiam retrudendum, quatenus perpetrati sceleris maculas dignis discat fletibus emendare, quas magis in interitu animæ suæ nequiter augere desiderat. Suprascriptus autem dilectissimus frater noster Nemesion in loco suo & Episcopatus officio procul dubio reformetur; & ne denuo hac de re inquietudinem ac molestiam patiatur, sollicitos vos esse necesse est; quia hoc non solum ad hujus monitionem, verum etiam ad aliorum constat emendationem proficere; ut pravorum hominum præsumptio nihil de cætero contra sacrorum canonum statuta vel ecclesiasticam disciplinam ullo modo audeat attentare.

NOTÆ.

1 Is qui Paullo damnato & ejecto suffectus est in Sede Diocleensi, cujus acta habes tom. VII.

2 Nemesion consensu Joannis electus fuerat Episcopus Diocleæ; licet enim hæc Ecclesia subesset metropolitæ Scodrensi, Exarchalis tamen Joannis jurisdictio poscebat, ut Episcopi provinciarum, quæ ei parebant, cujusmodi fuit Epirus nova, ubi Scodra, ab ipso saltem confirmarentur; vide dicta in Constantio Archiepiscopo Scodrensi.

Hic gestorum a Joanne finis; cujus emortualis annus ignoratur; atque primæ Justinianæ Archiepiscopi hic etiam desinunt; nam ad exitum sæc. VII., & initium usque VIII., cum, Justiniana prima a Bulgaris eversa ejus etiam civilis & ecclesiastica dignitas periit, nulliusque Antistitis superfuit memoria, qui celeberrimam adeo Ecclesiam gubernaverint. E Justinianæ primæ ruinis, ipsoque fere in loco nova civitas Achrida, & nova emersit Ecclesia, nempe Achridana, de qua nunc agendum; ac nominum mutatio non efficit, quin Lychnidensis, Justinianæ primæ, & Achridæ Episcopatus veluti unus habeatur; cum alter alteri eodem in situ successerit, alter tamen altero nobilior, & illustrior; quod in Lychnidensi, & Justinianeo vidimus, & in Achridano clarius dignosci poterit.

ARCHIEPISCOPI ACHRIDANI.

Bulgarorum genus & gesta ad an. 758.

BUlgari, a quibus instituì cæpta Ecclesia Achridana, innotuere in perniciem Romani imperii an. 499. regnante impio Anastasio, uti narrat Marcellinus in Chronico laudatus a Baronio & Pagio. De origine hujus gentis dissident historici; communis tamen eruditorum sententia Scythas fuisse affirmat, qui in Daciam Trajani profecti novas sibi sedes acquisierunt, & late usque ad Danubium dominati sunt; tum viribus fortea collectisque exercitibus in Thraciam bis, eodem Anastasio Imp., irruperunt an. 499., & 502., nec ante a cædibus & rapinis se abstinuere, quam Anastasius ingenti auri vi pacem ab iis redemisset, qui victricia signa onusti præda in Dacicum solum retulere. Nostrum non est, Bulgarorum annales texere, præsertim quia de illis copiose disserit Farlatus tom. 1. & 2. & 3. ubi sese obtulit scribendi causa, certo tamen constat, vario marte pugnatum sæpe ab illis fuisse contra Romanos; & an. 558. ad sua redire compulsos a Belisario Justiniani duce, cum & Thracicam Chersonesum & Græciæ partem depopulati essent, Theophane & Agathia auctoribus, qui Bulgaros Hunnorum nomine appellant, inquit Pagius in Critica Baronii ad hunc annum; etsi hæc Belisarii victoria in annum insequentem rejici queat. Post hæc quievisse utrinque videntur hostiles iræ animique ad initium sæc. VIII., quo Bulgari arma intulere in imperium; ac pace inita cum Justiniano II. eidem auxiliati sunt, ut ab exsilio in regiam rediret urbem, & regia reciperet insignia an. 705. Verum Leone III. Isaurico Imperatore, id accidisse autumo, quod Nicephorus Gregoras narrat de Bulgarica in Illyrici provincias incursione & regni Bulgarici statuta sede, ac firmata, cum Leonis primum, deinde Constantini Copronymi impietate ac sævitia bellum sacris Imaginibus indictum est, & Iconomachi Orientis imperium sanguine ac cædibus Catholici gregis sacrilego furore fœdarunt. Hæc Nicephori verba.

Bul-

Digitized by Google

regnum Bulgaricum in Illyrico Justinianeo.

Bulgari, *tandem patria cum uxoribus & liberis relicta, qua tempestate Iconomachiæ morbus pios infestabat, innumerabili multitudine Istrum trajiciunt; & utramque Mæsiam pervagati, & obvia quaque prædati ac populati locustarum aut fulminis instar Macedoniam cum ulteriore Illyria occupant loci ubertate illecti; ac regia sedes eorum deinceps urbs ea esse capit, quam Justinianus Imperator Archiepiscopatus honore, primaque Justinianæ nomine ornavit. Post appellatione gentis vulgata, locus ipse Bulgaria dictus est, & Bulgariæ metropolis prima Justiniana.*

Iconomachorum hæresis præcipue per Orientem grassata est dimidio Leonis, & integro Constantini imperio, ab an. circ. 729. ad an. 775. Sub Leone nulli auditi Bulgarici motus, qui fuere coeperunt initio Constantiniani imperii, cum Romanæ acies ab iis profligatæ sunt an. circ. 759. Itaque medio saltem sæc. VIII. initia in Illyrico Bulgarici dominatus statuimus, & regiæ urbis Acridæ, quam Græci Scriptores vetusto nomine quandoque appellant *Justinianam primam*, uti Gregoras; sed in titulo suæ narrationis hæc verba præfigit; *de Archiepiscopatu Bulgariæ, qui & Achrida* ab urbe & ecclesia *nominatur.*

Amplitudinem Bulgarici imperii satis describit Gregoras; ac ulterioris Illyrici vocabulo innuit Dardaniam, quæ nunc Rascia, & Serbliæ mediterraneæ partem non modicam, imo & maximam Thraciæ continet; ut proinde magnam Bulgariam in Illyrico dicere possis æque ac magna Bulgaria cognominata est regio, quam trans Istrum in Dacia prius ea gens incolebat. Illam vero Illyricam mihi lubet veteris Bulgariæ appellatione a nova distinguere, in qua postea Bulgari conclusi fuere sæc. XI. & hodie certis limitibus terminetur. Ita actum est, ut propter hominum scelera immissæ barbaræ gentes florentissimas Exarchatus Justinianei provincias Græco imperio adimerent, dum Leo & Constantinus crudelem in modum contra Catholicos grassabantur, & sacrarum imaginum monumenta, quovis spoliata religionis cultu, iniquo ausu vel flammis tradebant, vel contumelias inter & blasphemos insultus pedibus proculcabant. Deest vero animus describendi calamitates, quibus sacra omnia affecit, atque evertit hæc Bulgarica incursio, qua seu vi, seu dolo, seu deditione capta Justiniana prima omnino concidit; & miror quidem neminem e Græcis Scriptoribus hujus metropolis excidium distincte enarrasse; quamquam mihi verisimilius videtur, efferum hostem, dirutis mœnibus, ferro & igne insiliisse in urbem, eaque civium sanguine quaquaversum exundante esse potitum. Atque hoc tempore Achridam conditam puto, vel e veteris urbis ruinis, vel hujus instauratis reliquiis, aut etiam, ut opinantur nonnulli, novo Achridæ nomine civitati a Bulgaris eorum lingua imposito; quæ hodie *Ocrida* vulgo, & a Turcis *Guastandil* vocatur. Nicephorus Callistus lib. XVII. cap. 28. Achridam ejusque situm hisce describit. conditur Achrida;

Achrido urbs est in excelso tumulo constructa prope lacum maximum, qui Lychnidus nominatur. Antiquitus autem Dassarites vocatus est. In eo maxima vis piscium capitur. Drinus vero fluvius se inde quoque pervolvit septemtrionem versus fluens; ex cultioribus enim, quæ ad Deabolim sunt, partibus manans, & quem diximus lacum secans, & quasi Alphæus quidam pelagus scindens, atque ad Arethusam fontem sensim maximis aquis innatando contendens circa Boreale latus inde profluit, & ad paludis finem, quæ ab incolis Strudæ dicuntur, inventis, eisque ipsis sibi conjunctis maximus fluvius evadit. Deinde se ad Occidentem inclinans in Orinum se effundit circa castellum Hilidum nomine, quod totius Bulgariæ antiquitus metropolis fuit; in eo etiam olim sedes regia Bulgarorum constituta fuerat. ejus situs;

Præterea quæ Nicephorus scribit de cursu Drini, multo enim clarius ac luculentius habes tractata a Farlato tom. 1. e situ Achridæ ad lacum Lychnidum patet esse eundem, ac ubi Lychnidus urbs, ubi Tauresium & Justiniana prima stetere, exiguo a se invicem dissitæ intervallo ita ut, mutatis vicibus ac nominibus una fuisse civitas dicatur Lychnidus, Justiniana prima & Achrida, quæ nunc superstes. Hanc Bulgari validis munitam mœnibus ac propugnaculis, tum splendidis ornatam operibus imperii sedem primariam delegerunt, hanc Bulgaricæ Ecclesiæ metropolim; & quamvis Bulgari reges alibi aliquando consederint æque ac Antistites Achridani, præcelluit tamen cunctis Achrida ad sæc. XI. cum magna regni parte depulsi Bulgari Ternobum in Mœsiam secundam regium transtulerunt dominatum, & metropoliticum eorum Ecclesiæ decus; quæ suo loco a nobis sunt tractanda. Hactenus de civili Achridæ origine; nunc de Achridanæ Ecclesiæ, quæ & Bulgarica diu dicta est, exordio inquirendum. fuit regia ac ecclesiastica metropolis Bulgarorum.

Quod ut assequamur, statui primum tempus oportet, quo Bulgarica natio Christianum nomen consecuta est. Auctor est Assemanius lib 3. de Kalend. univ. Eccl. pag. 18. S. Cyrillum & Methodium prima fidei semina inter Bulgaros injecisse, idque De Bulgarorum ad Ch. fidem conversionibus.

con-

contigit dimidio circiter sæculo nono antequam in Moraviam & Dalmatiam Apostolicam peragrationem aggrederentur; vid. tom. III. modica tamen seges collecta est. Verum multo ante quædam Bulgarorum primitiæ in Ecclesiam illatæ fuere, cum *anno II. Imperii Leonis*, IV. hoc nomine, an. scilicet 777. *confugit Telericus Bulgariæ dominus ad Imperatorem. Qui fecit eum Patritium, jungens illi uxoris suæ Irenee consobrinam. Cum autem baptizatum cum ex sancto lavacro suscepisset, magnifice honoravit pariter & amavit*. Hæc Teophanes. Mitto historiam Theodori Cupharæ monachi, qui inter Bulgaros captivus plures Christianam legem edocuit, tum egregiæ fœminæ, quæ soror Bogoris Bulgarorum regis Constantinopoli, ubi captiva Christi fide imbuta fuerat, ad fratrem regrediens cum ad sacra nostra cœpit allicere, quippe seu Græci, seu Latini Scriptores omnes horum meminere. Unum vero testantur omnes, Bogorim primum ejurasse avitas superstiones, ejusque exemplum paullo post secutam universam Bulgarorum gentem. Interea inter Bulgaros & Græcos nunquam arma quieverant; an. 791. Copronymus a Cadamo victus; an. 811. & 813. a Crunno deletus Romanus exercitus, fœde obtruncatus Nicephorus Imperator, Adrianopolis capta, obsessa Constantinopolis potentissimas Bulgarorum vires ostentant, quibuscum pactæ induciæ Imp. Leone Armeno, & inita fœdera an. 817. hique postea auxilio fuere Michaeli Balbo adversus Thomam Tyrannum an. 822. & an. 861. Bogori rege, imperii terras popuscere a Michaele III. ubi præter modum aucta populi multitudo quieta consideret; id quod Imperator in Thraciæ finibus Mœsiam versus secundam iis est elargitus.

Bogoris eorum rex fit Christianus.

Interea Bogoris sororis impulsu, ac vividiori Dei instinctu ad amplectenda Christi dogmata ac præcepta incensus, territus etiam objecta sibi divini extremique judicii optime depicta imagine, Christiana sacra tandem profiteri non distulit, & baptismatis donum rite suscepit. Res plurium Historicorum confirmata est testimonio; e quibus unum seligo Cedrenum; *postquam fames vehemens Bulgariam infestavit, neque ullum mali remedium fuit efficax, tum Bogoris Deum Christianorum, cujus religioni a Cuphara & sorore fuerat initiatus, in auxilium vocavit.... Aliud quoque evenit.... Monachum Methodium arte pictorem domum novam historiis ornare jussit terribili pictura. Monachus Christi adventum depinxit, quod nihil eo terribelius sciret. Princeps videns ab hac parte justorum cætum, ab altera impiorum supplicia perpetientium edoctus a pictore quid hoc esset, illico suam superstitionem ejuravit, & intempesta nocte baptizatus est; eique nomen Michaelis de nomine Imperatoris inditum*; ita Cedrenus; qui missum etiam in Bulgariam Archiepiscopum scribit, a quo Bogoris sacro fonte ablueretur; licet Pagius id Constantinopoli perfectum sentiat in Crit. Bar. ad an. 867. Annus suscepti baptismatis consignandus est quartus imperii Michaelis, cum solus regnare cœperat, & octavus seu nonus Photii in Patriarchatum Constantinopolitanum intrusi post ejectum primo S. Ignatium, qui est æræ Christianæ 865. fere absolutus cum initiis anni insequentis; uti cum clarissimo Archiepiscopo Lucensi Joanne Dominico Mansio docet laudatus Assemanus pag. 39. contra atque visum Baronio, Pagio & Farlato tom. III. Sui regis ad Christiana mysteria conversionem iniquo animo tulerunt Bulgari, qui arreptis armis ab eo defecere; at ille *parva suorum manu divinum Crucis signum in sinu suo circumferens oppido rebelles fundit, nec jam occulte, sed palam omnino reliquos ipsos quoque rei avidos Chistianos* facit; inquit Porphyrogenitus in Michaele & Theodora.

quam tota natio secuta est.

Exordium Ecclesiæ Bulgaricæ.

Hoc Bulgaricæ Ecclesiæ exordium an. 866., ut dictis paullo superius est consentaneum, & asserit annalista Bertinianus. Verum haud levis agitur controversia, priores ne Græci presbyteri, an Latini eam gentem Evangelicis doctrinis imbuerint, quam, si opinionis tenacitas absit, & studia partium amoveas, video dirimi facile posse. Etenim Græcus profecto erat Episcopus ad Bogorim Constantinopoli missus; deinde locorum propinquitas, amicitiæ & consuetudines inter gentem utramque, tum Græcorum & Photii ambitio, & astus, ut de Bulgarorum conversione ad Ecclesiam Christi sibi laudem attraherent, eosque ab conjunctione cum Romana Sede ineunda distinerent, hæc omnino omnia suadent a Græcia hanc primum curam susceptam. Lequienius vero tom. I. de Patriarchatu Constantinopolitano disserens cap. 14. a Latinis Bulgaros accepisse contendit prima fidei rudimenta usus Anastasii Bibliothecarii verbis, quæ uti par erat non distinxit; *siquidem, cum rex Bulgarorum cum propria gente Christi fidem suscepisset, per hominem Romanum quemdam presbyterum Paullum* &c. inquit Anastasius; sed a librario omissa interpunctio post verbum *suscepisset*, erroris causam præbet, quo tribuatur Paullo ejusque sociis Bulgarorum salus; quippe Paullus auctor dicitur, ut ea gens Romanæ Sedi adhæreret; *cum rex* &c. *Christi fidem suscepisset, per hominem Romanum &c.*

Digitized by Google

idem rex *propositum habuit a Sede Apostolica sancta legis sumere disciplinam*; uti revera evenit; quæ Pagii & Assemani animadversio est pag. 43. Profecto Photius ad Michaelem scribens eum vocat *partus sui spiritualis genuinum fœtum*; & Bulgari ipsi de Græcis presbyteris & gentis cultoribus conquesti postea sunt.

Hoc tempore Romanum Pontificatum gerebat Nicolaus I., cui cum Michaele Imperatore gravissima dissidia intercedebant; cum hic Photium in Sede Constantinopolitana retinere summo scelere conaretur, ille Ignatium legitimum Patriarcham suæ Ecclesiæ reddi Apostolica auctoritate juberet. Hinc Photiani schismatis semina; & inter Orientales, ipsaque regia in urbe discordiæ; cum alii Ignatii causam tuerentur, alii pro Photio vi aperta pugnarent; ac interea res Christiana pessum ibat; necnon cœpta Bulgaricæ gentis conversio aut neglecta jacebat, aut malis colonis credebatur. Bulgarorum ad Nicolaum I. P. legatio. Quare rex Michael consilium & opem implorandа necessario duxit a Nicolao Pontifice; Christiana enim religio, cum vix prima in Bulgaris genimina edidisset, & pluribus obsita essent superstionum atque errorum tribulis ac vepribus, periculum erat, ne brevi obaresceret absumpta. Itaque legatos quantocius Romam profecturos destinat, qui regia offerant munera, Bulgariæ statum ob oculos Pontificis ponant, ejus orent de propositis dubitationibus consilium, seque ac gentem totam illius paternæ curæ committant, ac supremæ subjiciant potestati.

Et ad urbem jam Bulgari advenerant, mense Augusto Indictione XI. idest an. 866. teste in vita Nicolai Anastasio, qui aderat; quorum præsentia, *quis est*, inquit Nicolaus in epist. 70. ad Hincmarum Rhemensem, *qui dicere possit, quanto gaudio, vel quanta exultatione simus repleti, eo quod & salubrem eorum conversionem per divitias bonitatis Dei cognovimus, & quia illos doctrinam B. Petri Apostoli, & Sedis ejus expetisse comperimus*. Hoc enim inprimis optabat Michael; hinc Pontifex, legatis humanissime exceptis, & honorifice habitis iis, de quibus consultus fuerat regio nomine, responsa dedit sex supra centum comprehensa capitibus, a Baronio edita in Annalibus, atque a Nicolao Coleto tom. IX. Concil. edit. Ven. Colet. tum duos delegit, *magnæ sanctitatis Episcopos Paullum Populoniensem, & Formosum Portuensem, & ad prædicandum ad gentem illam ire decrevit*; subdit Anastasius. duo Episcopi in Bulgariam missi a P. Nemo hic petat æquus vir, ut Nicolai ad Bulgaros responsiones ac decreta subjiciam; ad historiam quod attinet, ea sufficit innuisse; cumque numero, & prolixitate sermonis haud breve conficiant commentarium, & multis præterea notationibus opus sit ea illustrare, ab hujusmodi abstineo opere ac labore, ne tumus extra modum crescat; illa fortasse inseram totius Operis additamentis, si quando fiat, ut proferantur in lucem.

Episcopi in Bulgariam profecti ingenti lætitia affectos erexere gentis animos in firmam spem cognoscendæ clarius, addiscendæque penitius Christianæ religionis, quam obscuris & ambiguis obvolutam sensibus antea acceperant; ac tantum valuere illorum verba & monita, tum Evangelicus ardor, & virtutum exempla, ut mira facta fuerit omnium commotio, & ad Fidei mysteria & præcepta juxta Romanæ Ecclesiæ doctrinam sectanda promptitudo. Allicuit præcipue Michaelem, & populares quospiam sanctitas Formosi Episcopi. Quapropter, cum suo munere perfuncti Romam reverterentur Pontificis Legati, alios ad Nicolaum Internuncios Michael misit, Petrum in primis sibi sanguine junctum, de quo dicam alibi, qui suum & totius nationis obsequium testarentur erga Petri Sedem, fidem & obedientiam pollicerentur, presbyteros etiam, qui populum Evangelii doctrina instruerent, & Bulgaris Formosum præfici Episcopum postularent. alia ad Nicolaum legatio Bulgarica, Nicolaus ante quidem scripserat in responsis ad eorum Consulta num. 72., *nihil se definitive respondere*, utrum iis liceat Patriarcham habere; sed *interim*, subjicit, *Episcopum habetote*; & prius num. 9. *Deo vobis auctore per mediocritatem nostram ordinandus est Episcopus*; & Nicolai ad Bulgaros; hinc Pontifex lætior *non paucos numero presbyteros* a se probatos *prædicationis gratia in Bulgariam direxit*, utor Anastasii verbis, *cum quibus Dominicum Tarvisiensem, & Grimoaldum Polymartiensem Episcopos destinavit*; & quia Formosi ministerio sibi Romæ opus erat, mandavit regi, ut *ex his presbyteris ad Archiepiscopatus dignitatem dignus eligeretur, & Sedi consecrandus Apostolicæ mitteretur*. In annalibus Fuldensibus apud Pagium ad an. 817. comperio, a Ludovico quoque Germanorum rege missos in Bulgariam, Michaele petente, Apostolicos operarios; *qui cum illuc pervenissent, Episcopi a Pontifice Romano missi totam illam terram prædicando & baptizando jam tunc repleverant*; quare in Germaniam reversi sunt. Atque hæc causa impiæ querelæ, qua Photius rursum Patriarcha in epistola ad Orientales scribit, Bulgaros *per biennium rectam Christianam religionem* fuisse amplexos Græcorum ministerio a baptismate Michaelis an. 865. ad an. 867. *cum impii quidam homines & exse-*

secrandi in gentem insilientes omni cum fraudulentia a sanis, & a fide inculpata Christianorum eos subdole deducere & corrumpere conabantur; innuit autem Episcopos & sacerdotes a Nicolao Pontifice in Bulgariam missos. Cæterum secundam Nicolai ad Bulgaros legationem paullo aliter indicat Guillelmus Bibliothecarius in vita Hadriani II. unde discimus, regem Michaelem petiise primum a Nicolao, ut aut *Marinum* quemdam *Diaconum, aut aliquem ex Cardinalibus duntaxat suæ Ecclesiæ* ad se mitteret, quem Bulgari Archiepiscopum eligerent, quique Romam redux Episcopali consecratione donaretur a Pontifice. Tum Nicolaus Tarvisiensem Antistitem, aliosque in Bulgariam legavit, cumque iis Silvestrum nescio quem Bulgarorum arbitrio Episcopum nominandum. Cum vero necterentur moræ, & ob locorum distantiam repetitum ad Urbem, ac longum iter confici a Silvestro deberet, ut Episcopopale munus a Nicolao acciperet, Michael, re infecta, ad Græcos convertit animum, seque illis adjunxit; ut mox sum dicturus; quare ita Anastasii narratio cum Guillelmi verbis componi potest, ut Bulgari & Formosum & Marinum optarent Episcopum, utrum scilicet Pontifex vellet; & Silvester, de quo Guillelmus, unus foret e presbyteris ad Bulgaros Nicolai jussu profectis, quorum meminit Anastasius.

Hæc dum gerebantur, & res Christiana in Bulgaria florescere cœperat, ipso an. 867. obiit Nicolaus Pontifex, cui statim suffectus est Hadrianus II. Is, indicta Synodo Constantinopolitana Œcumenica VIII. Photium jam e Patriarchatu ejectum damnari jussit an. 869. cum S. Ignatius ante biennium suæ Sedi restitutus fuisset, fautore Basilio Macedone post Michaelem imperium adepto. Interfuere tum Constantinopoli Bulgari Legati nomine Michaelis regis, ut sciscitarentur a Patribus, Romanone, an Constantinopolitano Patriarchæ subesse deberet Bulgarica Ecclesia. Etenim Photianæ partis homines factiosi, & invidia acti atque odio in Latinos dissensionis semina inter Bulgaros jecerant, quibus ignotæ non erant Græcæ & Latinæ Ecclesiæ contentiones, eosque e sinu Romani Pontificis conabantur avellere. Finito Concilio, in conventum, in quo consederant Legati Apostolici, tum Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani Patriarchatus Vicarii, & ipse Ignatius, advocati Bulgari, & quid peterent, rogati, nosse se optare, cuinam subdi debeant Ecclesiæ, responderunt. Ac inter Legatos & Vicarios acris exorta est disceptatio, cum hi ad Constantinopolitanam, illi ad Romanam Ecclesiam Bulgaros niterentur attrahere, potiorque erat Legatis hæc ratio, provincias, quibus ea gens in Illyrico dominabatur, & Dardaniam, ubi regni sedes constituta jam fuerat, Romano paruisse, & parere adhuc Patriarchatui. Post longam ab utraque parte disputationem a Græcis decretum editum, quo Bulgari Constantinopolitano Patriarchæ subjicerentur; sed intercessere, irrito quamvis nisu, Legati Pontificis. Hic inserenda omnino est hujus disputationis series atque narratio, quam ipsis Anastasii Bibliothecarii verbis describo.

Bulgarorum ad VIII. Synodum legatio.

Post diem tertium quo sacratissima Synodus in suis subscriptionibus omnino in codice consumata, redactaque ad omnem elegantiam in Ecclesia Sancta Sophiæ fuerat: ab Imperatore in domo quadam Vicarii Patriarcharum, videlicet Apostolicæ Sedis, Alexandrini, Antiocheni, & Hierosolytani, simulque Patriarcha Ignatius, ubi cum aliquibus residebat, convocati, sedere jubentur, quo eas quas Princeps Bulgarorum ei litteras cum donis per (1) *Petrum aliosque direxerat, audirent. Quorum legationem, Imperatore potissimum annuente, suscipiunt. Sicque post salutationem Petrus Bulgarorum Legatus exorditur: Dominus Michael Princeps Bulgarorum audiens, quod pro utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ ex diversis partibus auctoritate Sedis Apostolicæ conveneritis, grananter accepit: vobisque qui ex Sede Apostolica missi estis, quia in vestro transitu vestris eum litteris visitare dignati estis, multiplices gratias agit. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Nos, quia vos filios sanctæ Romanæ Ecclesiæ novimus, insalutatos præterire neque debuimus, neque voluimus, quos nimirum sancta Sedes Apostolica, ut propria membra complectitur. Bulgarorum Legati dixerunt: Usque hodie pagani fuimus; & nuper ad gratiam Christianitatis accessimus: ideoque ne in aliquo errare videamur, cui Ecclesiæ subdi debemus, a vobis, qui vices summorum Patriarcharum geritis, nosse desideramus.*

1

Coram legatis audita.

Legati Ecclesiæ Romanæ responderunt: Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui per te, o Petre, tuus Senior & Beato Apostolorum principi Petro cum omni gentis suæ populo se tradidit, a cujus successore, videlicet egregio Papa Nicolao & præcepta vivendi, & Episcopos & presbyteros suscipere meruit, vos pertinuisse & pertinere debere, etiam in eo monstratis, quod postulatos nostros sacerdotes & suscepistis, & devotione congrua retinetis. Bulgarorum Legati dixerunt: A sancta Romana Ecclesia sacerdotes nos petiisse, hactenusque habere nos confitemur, & eis in omnibus obedire de-

Contentio excitata de dioecesi Bulgarorum.

cernimus. Verum utrum Romanæ an Constantinopolitanæ Ecclesiæ rationabiliter subdi debeamus, cum his Patriarcharum Vicariis definite. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Propter quæ sancta Sedes Apostolica cum Orientalibus definienda mandaverat, Domino juvante, finivimus. Causa autem vestra non secus, quam jam definita, est definienda. Quia nihil in mandatis accepimus, nihil vel definimus, vel in præjudicium sanctæ Romanæ Ecclesiæ definiendum censemus. Quinimmo quia omnis vestra patria nostris sacerdotibus ubique plena est, nulli vos nisi sanctæ Romanæ Ecclesiæ pertinere debere, definitiva sententia, quantum ex nobis est, promulgamus.

Vicarii Orientalium sedium laborant pro Græcis contra Sedem Apostolicam.

Vicarii Orientalium Patriarcharum Bulgaris dixerunt: Quando vos illam patriam cepistis, cujus potestati subdita erat? Et utrum Latinos an Græcos sacerdotes habuit, dicite. Legati Bulgarorum dixerunt: Nos illam patriam a Græcorum potestate
2 *armis evicimus, (2) in qua non Latinos, sed Græcos sacerdotes reperimus. Vicarii Orientalium responderunt: Si Græcos sacerdotes ibi reperistis: manifestum est, quia ex ordinatione Constantinopoleos illa patria fuit. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Sicut Bulgaria nobis diverso modo pertinere ordinationem nos dicentes, mendacium non loquimur: ita nimirum eandem Bulgariam ex Græcorum Regno fuisse, nunquam negamus. Sed intueri vos decet, quia aliud ordinant jura sedium, aliud patiuntur divisiones Regnorum. Nos de divisione Regnorum non agimus, sed de jure sedium loquimur. Vicarii Orientalium Patriarcharum dixerunt: Illud quod vobis diverso modo Bulgariam pertinere dicitis, addiscere volumus. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderant: Sedes Apostolica juxta quod in Decretalibus sanctissimorum Ro-*
3 *manorum Præsulum doceri poteritis (3), utramque Epirum, novam videlicet veteremque, totamque Thessaliam & Darda-*
4 *niam, in qua & (4) Dardania civitas hodie demonstratur, cujus nunc patria ab his Bulgaris Bulgaria nuncupatur, antiquitus canonice ordinavit & obtinuit. Ac per hoc ordinationem, quam tunc paganorum Bulgarorum irruptione amiserat, non a Constantinopolitana Ecclesia, ut modo fingitur, abstulit, sed ab iis factis modo Christianis recepit. Secundo modo, quia Bulgari, qui jure gentili sibi patriam subjugantes, ecce per quot annos retinent, quod ceperunt, Sedis Apostolicæ semet (ut superius diximus) patrocinio ordinationique specialiter committentes, nobis debent, nec immerito subjici, quos ultronea voluntate magistros elegerunt. Tertio modo, quia eosdem Bulgaros sancta Sedes Apostolica jussu quondam sanctissimi Papæ domini Nicolai, tam per aliquos (5) nostrum, qui hic* 5
sumus, illic multas Ecclesias dedicantes, sacerdotes creavimus, quam per Paulum, Dominicum, Leopardum, ac Formosum venerabiles Episcopos, sed & Grimoaldum Coepiscopum nostrum, quem hactenus isti Bulgari cum multis nostris sacerdotibus in conspectu nostro habere fassi sunt, a diversis erroribus ad Catholicæ Fidei veritatem multo sudore, Christi gratia præduce transferens, ecce ultra triennium tenuit & tenet, ordinat & disponit. Ideoque consequens non est, ut sine conscientia Romani Pontificis Ecclesia Romana, de quibus præsentialiter vestita cernitur, spolietur.

Vicarii Orientalium Patriarcharum dixerunt: At quem istorum modorum modo dispensare velitis, edicite. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Sancta Sedes Apostolica vos, quia re vera inferiores estis, super sua causa judices nec elegit, nec per nos eligit, utpote quæ in omni Ecclesia sola specialiter fas habeat judicandi: sed neque nobis de hac causa sententiam proferre commisit. Quapropter & quod ab ea faciendum non suscepimus, ejus cognitionis judicio, quæ librorum multiplicitate ad defensionem sui multa proferre prævalet, ex integro reservamus, a qua omnis vestra sententia tanta facilitate respuitur, quanta levitate profertur.

Recusatur Legatorum orient. præsumptum judicium:

Vicarii Orientalium Patriarcharum dixerunt: Satis indecens est, ut vobis, qui Græcorum Imperium detrectantes (6) Francorum 6
fœderibus inhæretis, in Regno nostri Principis ordinandi jura serventur. Quapropter Bulgarorum patriam, quam ex Græcorum potestate dudum fuisse, & Græcos sacerdotes habuisse comperimus, sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, a qua per paganismum recesserat, nunc per Christianismum restitui judicamus.

Præcipitata nullo jure sententia.

Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ reclamantes dixerunt: Sententiam quam non electi neque admissi, sive timore seu gratia, vel quidquid illud est, modo præcipitastis, potius quam protulistis, auctoritate Spiritus sancti usque ad definitionem sanctæ Sedis Apostolicæ omnino rescindimus, ita ut nullo modo vel nomen habere sententiæ mereatur. Teque verum Patriarcham Ignatium auctoritate sanctorum Apostolorum Principum, coram Deo suisque Angelis omnibus præsentibus contestamur, ut secundum hanc epistolam sanctissimi restitutoris tui domini Hadriani summi Pontificis, quam tibi ecce offerimus, industria tua ab omni Bulgariæ ordinatione immunem te, nullum tuorum illuc mittendo, custodias; ne sancta Sedes

Legati Sed. Apostol. rejiciunt Legatorum orientalium sententiam.

Ignatii Patriarchæ excusatio.

des Apostolica, quæ tibi tua restituit, per te sua perdere videatur. Quin potius si (quod non credimus) justam te habere querimoniam æstimas; sancta Romana Ecclesiæ restitutrici tuæ solenniter suggerere non omittas. Tunc Patriarcha Ignatius Apostolicam epistolam suscipiens, licet magnopere admonitus eam legere distulisset, respon-
7 *dit:* (7) *Absit a me, ut ego his præsumptionibus contra decorem Sedis Apostolicæ implicer: qui nec juveniliter ago, ut mihi subripi valeat; nec ita seniliter deliro, ut quod in aliis reprehendere debeo, ipse committam. Hoc fine collocutio illa finita est. Sed Imperialis commotio licet spem fronte simularet, argumentum suscepit.* Hæc in rebus gestis Hadriani Anastasius.

NOTÆ.

1 Petrus, cujus hic meminit Anastasius, Bulgarus, & Michaelis regis *cognatus*, cui auctor fuit Catholicæ religionis amplectendæ, quod innuunt paullo inferius Legati Pontificis, & *Senioris* nomine ipsum indicant regem. Exstat Joannis VIII. epistola ad eundem, qua illum hortatur, ut Michaelem revocet ad Romanam Ecclesiam, a qua post Constantinopolitanum conventum desciverat, & in alia Petrum *senioris* idest regis *cognatum* appellat. Utraque suo loco proferetur.

Sed cur Michael *Senior* dicatur hæc fortasse caussa est. Michael regiam dignitatem filio natu majori primum contulit, deinde alteri, cui Presiamo nomen, ut Deo sibique in Cœnobio vacaret. Annus abdicati regni non innotescit; id tamen evenisse conjicio ante VIII. Synodum; quare *Senior* a Legatis appellatur ad discrimen alterutrius filii, cui imperium tradiderat, servato sibi regis titulo, quo Joannes P. illum ornat suis litteris ad an. usque 880. nec omnem omnino exuit cum insignibus regiis potestatem; ea enim usum esse illum testantur missi postea ad Urbem nuntii religionis caussa, oblata Pontifici munera, & hujus ad Michaelem litteræ, queis illum in primis hortatur, ut ad Romanam Ecclesiam revertatur. Pagius ad an. 868. reprehendit Annalistam Metensem, qui eo anno commemorat regni abdicationem a Michaele perfectam; quæ inquit, VIII. Synodum consecuta est; nam illi adfuere Legati Michaelis *Principis* Bulgarorum; idque verum fatemur; quod ex iis, quæ diximus, non officit, quominus Michael Bulgaricum sceptrum, ac diadema ante deposuerit.

2 Hæc intelligenda esse puto de Thessaliæ & Macedoniæ provinciis, & veteri Epiro, quas Bulgari Græcis jam eripuerant, ubi Græcorum præcipue ritus, & mores atque consuetudines ab ipsis Fidei exordiis prævalebant. Nam in Mœsia utraque, & Dacia Aureliani plerique erant Latini cultus administri, & Episcopi, quamvis Barbarorum metu, & crebris bellorum tumultibus cogerentur vastatas deserere Ecclesias, quas Græci paullatim suæ subdere nitebantur potestati.

3 Has præcipue nominant Bulgariæ provincias Legati Pontificii, in his enim potissimum regni Bulgarici sedes & potentia eminebat; eisque tum inditum Bulgariæ nomen, quod amissum, Bulgaris inde pulsis; sed in Mœsia inferiori, in quam se receperunt, Bulgariæ viguit appellatio, eademque hactenus durat.

4 Dardaniam civitatem nuspiam repperi; fortasse indicant Legati primariam regni sedem in Dardania, vel Dardaniæ proximam, cujusmodi fuit Achrida, ubi tum Michael morarctur.

5 Ex iis scilicet quos Nicolaus Pontifex in Bulgariam miserat, interque illos Marinus diaconus Legationi Constantinopolitanæ adjunctus, de quo superius.

6 Ægre tulerant Græci institutum, seu restitutum potius imperium occidentale, in Carolo M. a Leone III. P. an. 800. se a Romana Ecclesia contemptos fuisse arbitrati; hinc calumniosum, & insolens Patriarchalium Vicariorum responsum Legatis; *indecens est, ut vobis, qui Græcorum imperium detrectantes Francorum fœderibus inhæretis; in regno nostri Principis ordinandi jura serventur.* Caussas novi Imperii in Carolum a Leone collati vide apud Allatium Exercit. XIII. nempe adempta Romanæ Ecclesiæ patrimonia, infensus Orientalium Imperatorum in Pontifices animus, & hæreseon notæ, ac patrocinium permovere Leonem ut religioni, & Ecclesiæ subsidium pararet, opem atque tutelam ab occidentali imperio, quin tamen Orientalis curam negligeret & salutem; quod sollicite & peramanter præstitere, dum illud stetit, Pontifices Romani.

7 Cauta & obsequiosa S. Patriarchæ responsio, cujus in hoc negotio acta inferius profero.

In hac controversia indigna fraude actum est, ut, cum Orientales Vicarii Latinum, Romani Græcum non intelligerent sermonem, & Bulgari utramque linguam ignorarent, unus adhiberetur Græcus interpres, qui Bulgarorum postulata, & partis utriusque argumenta, atque responsa non ad veritatem exponeret, sed ad voluntatem Imperatoris, qui præsens sui Patriarchæ partem occulta calliditate tuebatur; hæc Baronius ex Anastasio e visu, & auditu teste in urbe regia; eademque habes apud Farlatum tom. III. At Bulgari, accepto audi-

di-

Digitized by Google

qui a Romana Ecclesia ad Constantinopolitanam deficiunt.

ditoque a regiis Legatis nuncio, de iis, quæ Constantinopoli gesta fuerant, atque decreta, facto in Latinos impetu, per summum dedecus ejicererunt omnes, qui in regno erant, presbyteros, atque religionis administros, eosdemque Episcopos, Michaele nil repugnante; & ab Ignatio Patriarcha, cui se dediderant, electum Episcopum alacriter excepere, an. circ. 871.

De Archiepiscopatu Achridano,

Hic principium Archiepiscopatus Achridani, qui idem ac Bulgaricus ad sæculum ferme XI. Bulgaricus quidem; ita enim fuit institutus, ut uni præesset Bulgarorum genti, immo unus esset in regno, & pauci sub ejus potestate Episcopi; quod confirmat Porphyrogenitus in vita avi sui Basilii Imp. num. 95. egisse hunc nimirum, ut Bulgari *reciperent Archiepiscopum;* & *plures in provincia creari Episcopos abnuit.* Qui Bulgarorum dicerentur Episcopi, non satis constat; nisi Græcos Antistites intelligas, qui veteris Bulgariæ Episcopatus gerebant in utraque Mœsia & Dardania; licet ii Romani Patriarchatus fines transgressi contra jus fasque Episcopalem jurisdictionem sibi arrogassent; haud tamen inficior, ex his paucos Bulgaricæ Ecclesiæ curam aliquam Archiepiscopi concessu exercuisse. Nam Joannes VIII. in sua ad S. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum epistola jubet, quotquot ab eo creati fuerant in Bulgaria Episcopi, inde amoveri; cum nullus jus Patriarchis Constantinopolitanis datum sit in Bulgarorum provincias, quæ Romano unice Patriarchatui obtemperabant. Sed & Achridanus nuncupatus est Bulgarorum Archiepiscopus e regni sede Achrida, in qua tandem constitere, cum primitus, ut gentis respublica, & utilitas requirere videretur, alia incolerent loca. Achridana Ecclesia, dum Bulgaricum stetit imperium, nullos habuit sibi subjectos Episcopatus; nullos enumerat Lequienius; unusque illius dominatus in Bulgaros sua jura, sua sacra diffudit eo, quo paullo ante modo explicuimus.

& de Bulgarico Patriarchatu.

Bulgari tamen Græcorum ambitione & fastu imbuti, quibuscum in regia urbe versabantur assidue, non solum imperii, atque aulæ Constantinopolitanæ pompam æmulari studuerunt, sed etiam ecclesiasticas dignitates, & sacra officia Patriarchatus honore atque potestate altius provehere atque exornare. Ab ipsa eorum conversione ad Christi fidem sibi Patriarcham præfici optare visi sunt, quærentes quinam hoc titulo præstantiores haberentur; a Græcis enim, uti licet conjicere, Patriarchatum Constantinopolitanum esse cœteris præter Romanum præponendum audiverant. Hoc indicat responsum 72. Nicolai P. eorum postulationibus. *Requisistis, si liceat in vobis patriarcham ordinari; sed de hoc nihil definitive respondere possumus &c. Interim habetote episcopum. Et cum incremento divinæ gratiæ Christianitas ibi fuerit dilatata &c. tunc eligendus est inter vos unus, qui si non Patriarcha, certe Archiepiscopus appellandus sit*, ac responso 92. *eos vere Patriarchas haberi*, inquit, *qui sedes Apostolicas per successionem Pontificum* obtinent, uti Romanus & Antiochenus, qui a S. Petro, Alexandrinus, qui a S. Marco originem ducunt; Constantinopolitanus autem *favore principum Patriarcha est appellatus;* tum responso 93. Romanæ Ecclesiæ, & Nicænæ Synodi auctoritate docet; *Alexandrinum Patriarcharum a Romano Papa secundum esse.* Quibus Nicolai verbis certo discimus, Bulgaricum Patriarchatum non fuisse ab eo institutum, ut falso quidam asseruere, imo neque ab Hadriano II. quo Pontifice primus creatus est a S. Ignatio Bulgarorum Archiepiscopus. Neque consecuti Pontifices Patriarchali titulo impertiri voluerunt Bulgaricam Ecclesiam, etsi rursum cum Latina in communionem redierit. An. 927. Græci, ut Bulgaros sibi devinctos haberent, Patriarchatus insignibus, atque potestate ornarunt Archiepiscopum Damianum, quem ut sui juris esset, nullique obnoxius Patriarchæ, decretum fuit a Constantinopolitano Senatu jussu Romani Lecapeni Imp. ast sub exitum sæc. X. utroque honore illum expoliavit Joannes Zemisces Imp. In Græcis Scriptoribus neminem reperies, qui Bulgagorum Patriarcha appelletur, sed tantummodo Archiepiscopus; & ego sane existimo, Constantinopolitanos Antistites Lecapeni decretum improbasse, quo eorum Patriarchatus dignitas, & auctoritas plurimum imminuebatur, iis adempta Bulgarorum Ecclesia populosa ac florente. Verum de his suo loco copiosius. Si igitur initium spectes Bulgarici Patriarchatus, illegitimum esse constat, multoque magis, quod a Romana Ecclesia probatus nunquam fuerit; atque erravit Thomassinus p. 1. l. 1. cap. 23. num. 7. cum affirmat Patriarchale decus Bulgaris concessum a Nicolao I. & ab Innocentio III. iisdem confirmatum in Ecclesia Ternobensi, de qua agimus post Achridanam.

Series Antistitum Achridensium.

Atque de his hactenus & necessario praelocuti, nunc seriem aggrediamur Antistitum Achridensium, quæ initio confusa solleter est evolvenda, & e nonnullis extricanda difficultatibus, deinceps faciliori gressu decurrit ad sæc. XII., quo Bulgarica Ecclesia Ternobum translata est; tunc enim

Ar-

Digitized by Google

Archiepiscopatus Achridanus a Latinis regi cœptus; quamvis Græci nomen & jura sibi retinuerint hujus Ecclesiæ. Hinc duas in partes dividimus Achridanos Archiepiscopos; quarum prima Græcos, dum ibi regnarunt Bulgari, eosque plerumque schismaticos, altera Latinos complectitur. Lequienius tom. 2. Or. Christ. exhibet catalogum horum Antistitum erutum e regio Codice 1004. in quo pauci tamen notantur Archiepiscopi; indicis vero illius scriptor Græcus, & schismate infectus dubiæ fidei est Assemano pag. 143., qui plura in eo menda detegit, & corrigit. Profecto historiæ inscius arguitur, cum Protenem ante annos sexcentos Episcopum Sardicæ e mortuis evocat ad regimen Ecclesiæ Achridensis, cui S. Methodium sufficit Moravorum Episcopum. Quare Assemanus erudite Græcum hominem refellit, &, qui cum eo consentit, Lequienium. Nam Methodius nondum Episcopus prima quidem Christianæ legis elementa Bulgaris tradidit; sed Romam accersitus, & postea ad Moravos excolendos profectus Episcopalem consecrationem suscepit, nec in Bulgariam unquam reversus est. Græci autem ingenii fuit dolose, inquit Assemanus, Moravorum Antistites, qui virtute ac doctrina præstarent, ad Bulgaros Photiana pollutos labe transferre, ut sanctissimos homines ejusdem esse factionis impudentissime mentirentur; ac idem auctor Methodium Latinis invisum, & Photianæ additum parti haud obscure designat; vide laudatum Assemanum, & Tom. III. Op. nostri. Igitur ab hac serie Protogene & Methodio expunctis, Lequienii, ubi tuta sunt, vestigia sequar in describenda per annorum Antistitum ordinem hujus Ecclesiæ historia, & Assemani utar notationibus; nec omittam, quæ possim reperire monumenta eidem illustrandæ, & operi perficiundo aptiora, quod fore confido ecclesiasticæ eruditioni perutile, ut inde Romanæ Ecclesiæ præcipue eluceat sanctitas cum dignitate & potestate conjuncta.

e qua Protogenes & Methodius expuncti.

Archiepiscopi Achridani Græci.

I. N. an. circ. 870.
II. Clemens an. circ. 880.
III. Damianus)
IV. Germanus)
V. David) an. inc.
VI. Philippus)
VII. Joannes)

N. ARCHIEPISCOPUS ACHRIDANUS I.

N. Archiep. Achridanus an. circ. 870.

Quem Anonymum dico, quippe de illius nomine varia est in nonnullis opinio, & nescio in quam tuto concedam. Lequienius *Silvestrum* illum appellat, eum scilicet in secunda ad Bulgaros Nicolai I. Legatione regi Michaeli propositum, si vellet, gentis Antistitem; fallitur tamen; nam Silvester a Bulgaris rejectus est; quod superius innuimus. Pagius aliique nomen ei *Theophylactum* indidere, nec ullo probant veterum testimonio; quin immo Leo Allatius exercit. XI. adversus Creyghtonum, hunc erroris & inscitiæ redarguit, qui Theophylactum inter Græcos doctissimum sæc. XI. cum altero IX. sæculi homine stolide confundit; nec levius errat Petrus Pithoeus, qui ante Creyghtonum eadem scribit, nescio quo usus libro Patrum Prædicatorum adversus Græcos, ubi legerat, Theophylactum illum doctrina celebrem ad Bulgaros Archiepiscopum missum a Photio ante annos ducentos e vita sublato; alius vero nemo præter Ignatium primum suo Antistite ornavit Bulgaricam Ecclesiam. Assemanus postremo *Agathonem* eumdem nuncupat hac ductus conjectura; in pseudo-Synodo Photiana an. 879. subscriptus est inter Metropolitas Agathon Moravorum; ab an. autem 868. ad an. 899. unus Moravis præfuit Methodius. In annalibus Fuldensibus an. 873. *Agathon Archiepiscopus* dicitur legatus Basilii Imp. ad Ludovicum regem Germaniæ; & Agathonis nomine nullus Antistes interfuit Synodo VIII. an. 869. quis igitur non conjiciat hunc esse a S. Ignatio delectum Archiepiscopum Bulgarorum an. 870., & biennio post in Germaniam missum a Basilio? nec Photiana Synodus quemquam moveat, in qua *Agathon* est Moraviæ *Archiepiscpus;* etenim illius acta omnia a Photio conficta probantur argumentis certissimis. Non respuo eruditi viri conjecturam, neque illi assentior. Hac in re unum affirmandum est, primum Bulgaris Antistitem, quovis eum appelles nomine, a S. Ignatio præfectum an. 870. post Constantinopolitanum conventum, & attributam fraude & injuria Patriarchis Constantinopolitanis Bulgaricam Ecclesiam Sane Hadriani Legati conventus illius decreta resciderant, ab iisque interdictum fuerat Ignatio, nequid juris, in hoc negotio usurparet. Et quamvis vir sanctus bona fide crediderit, uti æquum est judicare, diœcesim Bulgaricam ad se pertinere, imo scripserit ipse Pontifici de turbis Bulgarorum adversus Latinos, deque a se gestis, non effugiit gravem Hadriani reprehensionem, data ad eum epistola, cujus par-

Digitized by Google

particulam ex Græco cod. Synodi VIII. descripsit Baronius ad an. 871., & nos huc referimus.

Hadriani II. P. epistola ad S. Ignatium P. Constantinopolitanum.

Scripsisti, ut illa tua multa alia omittam, ut presbyteri nostri Bulgarorum regione magno cum dedecore & ignominia ejicerentur, & Episcopi cum non parva ignominia nulla dignitatis habita ratione inde expellerentur (1). *Et hæc quidem scribere ausus es, licet nullum hac de re coram nobis judicium habitum sit. Neque enim super hoc ut jus diceremus, fuimus accersiti. Sin autem dixeris, priores nos, Constantinopolitanæ diaceseos presbyteros in prædicto regno rem sacram facere prohibuisse, non inficias imus. Erant* (2) *enim ex eorum numero, qui cum Photio communicaverant, atque ejus socii, qui non solum ne sacerdotum munus exercerent in prædicta regione Bulgarorum interdiximus, verum etiam nunc iterum interdicimus. Oportebat igitur, ut rationi congruum erat, cum hoc scires, ut nihil tale* (3) *patrares in regione Bulgarorum. Dedicimus præterea vos alia multa sanctorum Patrum statutis contraria permittere. Illud vero præcipue, quod nuper nonnullos laicos ex tempore diaconos ordinatis; quidem & nobis & antiquis Patribus, quin* (4) *immo Œcumenicæ etiam Synodo nuper congregatæ adversatur; neque ignoratis, quod Photii lapsus* (5) *hinc ortum habuit.*

NOTÆ.

1 Cum in conventu Constantinopolitano de Bulgarorum negotio actum est, Legati Hadriani protestati sunt, nihil a se definiri, cum nullum a Pontifice mandatum accepissent; exspectandum Romanæ Sedis judicium, quod si absit, irritam esse Græcorum sententiam, uti jam diximus. Quare jure queritur Hadrianus, Ignatium inconsulte egisse, quod ei non licebat.

2 Michaelis regis voluntate Latini in Bulgariam advenerant, missa ad eos duplici Nicolai I. legatione; & ejus ad Bulgaros responsa indicant, non recte fuisse a Græcis Christianam religionem edoctos. Hinc Photius in sua ad Orientales epistola contra Latinos Episcopos insurgit, qui eam gentem sacro Chrismate inunxerant, cum a Græcis presbyteris fuisset consignata, quique *contra Ecclesiæ canones illicite ad Sabbatorum jejunia* traduxissent. Recte tamen Latini Episcopi Chrismatis Sacramentum Bulgaris impertiverant, quamvis Græcorum sacerdotum ministerio sacram accepissent unctionem; illicita enim est, & divini expers effectus collata a presbyteris, nisi Romanus Pontifex iis potestatem elargiatur hujusce Sacramenti conficiendi; quod percrudite docuit Benedictus XIV. Bulla LVII. tom. I. Sui Boll. inserta; & de jejunio Sabbati non est hic locus refutandi impositam ab hoste veritatis calumniam.

3 His verbis manifeste improbat Hadrianus primi hujus Archiepiscopi electionem ab Ignatio profectam.

4 Canone V. & XIII. Synodi VIII. fortasse innuit Pontifex.

5 Nimirum laicus, neophytus, eunuchus Photius uno saltu Constantinopolitanam Ecclesiam, pulso Ignatio, invaserat.

Dubitari nequit, hisce litteris rejectum fuisse a Pontifice Achridanum Archiepiscopum nullo jure ab Ignatio electum, qui tamen e sententia non discessit, nec a Bulgarica regenda Ecclesia illum removit. Verum Ignatii probata sanctitas, & orthodoxa religio suadet, nec hæreseos, nec schismatis nota inustum Archiepiscopum ab eo consecratum; & par est credere, primum saltem Achridæ Antistitem recta & sana coluisse dogmata Fidei. Ejus vitam ad Ignatii obitum perduci potest scilicet ad an. 877. Et hæc nostræ opinionis ratio. — Qui hunc Archiep. ejicit.

Lequienius huic Anonymo Archiepiscopo quem Silvestrum vocat, Gabrielem sufficit & Georgium utrumque schismaticum e grege Photii; de hoc mentio in epistola Joannis VIII., ad Michaelem Bulgarum, de illo in pseudo-Synodo Photiana post Joannis litteras habita an. 879. hinc Georgius videtur Gabrieli præponendus. Hujus itaque Pontificis epistola data est mense Aprili Indictione XI. id est an. 878. in eaque scribit Sergium quemdam, de quo actum in Episcopis Belgradensibus, a Georgio *qui falso sibi Episcopi nomen usurpavit*, & profecto in eam regionem ante irrepserat, quam Ignatius moreretur, *ad Episcopatum Belogradensem* fuisse *provectum* at si pseudo-Episcopus Georgius, teste Pontifice, igitur in Bulgaricam & Achridanam Ecclesiam impie intrusus, ac proinde rejiciendus. Et si verum Episcopum dixeris nihilo tamen minus illegitimus Bulgariæ Antistes censendus; cum fieri nequeat, Ignatium Catholicæ communionis Patriarcham schismatico homini Bulgarorum ecclesiasticam curam tradidisse, nempe lupo ovile & oves Christi. Equidem Joannes VIII. Pontifex ad Ignatium scribens, & ad Græcos in Bulgaria Antistites illicitam reprehendit illarum Ecclesiarum administrationem, jubet, eos quantocius e Bulgaria egredi; pollicetur etiam, si paruerint, Apostolica auctoritate ad suas Ecclesias fore ut redeant; queis verbis usurpatam a Græcis — Georgius & Gabriel ab hoc Archiep. expuncti.

in

Digitized by Google

in aliena provincia jurisdictionem unice damnat, non corruptam in Ignatio cæterisque fidem Catholicam; uti inferius animadvertendum. Idem de Gabriele judicium, quem unice nominant acta pseudo-concilii Photiani, *Gabriel Achridæ Episcopus;* non vivo Ignatio, quod nefas affirmare; & si eo mortuo hunc gessit Episcopatum, ejus nomen hic insererem, quamvis Photianæ partis fuerit, nisi omnium eruditorum consensu certum foret, in ea Synodo, ab Ecclesia jam damnata, falsa omnia deprehendi, corrupta ac conficta a Photio, vel ipsa Episcoporum nomina, qui dicuntur interfuisse; quapropter de Gabrielis Episcopatu dubitandum. Atque, quo tandem anno ille Anonymus vita decesserit, uenter in ejus locum successit, neutrius meminit laudati Catalogi auctor apud Lequienium. Quin neque Gorasdum ab Græculo illo nominatum puto Archiepiscopis nostris esse adnumerandum; dicitur enim e Moravia ejectus & a Pneumatomachis exagitatus, & *a Methodio ordinatus* Bulgariæ Antistes, alter post ipsum; verum Methodius nunquam Bulgaris præfuit, quod jam dictum, & hinc falsa & conficta Gorasdi in sedem Achridanam seu Bulgaricam successio. Cur autem a Moravis pulsus a Pneumatomachis vexatus? quia hæresis Photianæ assecla & fautor, quam ob causam Catholicis hominibus invisus, iisdemque pneumatomachis; hoc enim vocabulo a Græcis appellati per contemptum & odium Latini, quippe qui Spiritum Sanctum Deum verum, & a Patre Filioque procedentem fatebantur, secus atque Græci revera Pneumatomachi, cum utrumque dogma negaverint; & plerique saltem alterum de Processione hactenus oppugnent. Sique Gorasdum ipsum esse Sergium quis autumet cum Assemano, is *Episcopus* fuit *falso nomine*, inquit Joannes VIII. in citata ac postea proferenda epistola ad regem Michaelem; & mea quidem sententia Sergius & Gorasdus e Photii schola prodierunt, qui ovinis pellibus simulantes se esse Pastores ea loca pererrabant in animarum & veræ religionis exitium suapte intrusi malitia. Gorasdi nomen in Conradum inepte immutat Lequienius conjiciens Germanum natione virum extitisse; tum sibi adversatur, dum illum cum Silvestro permiscet, quod nomen nemo Germanum dixerit; & Silvestri Bulgaricus Episcopatus jam antea a nobis est rejectus; & prætetea fallitur, cum Conradum suum & Latinæ communionis hominem, & a Græcis pneumatomachis exagitatum putat. Nec est cur immorer, & tempus teram in refutanda historia, quam de Gorasdo confingit schismaticus auctor vitæ Clementis Bulgariæ Archiepiscopi; fuisse illum a S. Methodio Bulgaris præpositum Episcopum, a Latinis expulsum, eique suffectum Vichinum nefarium Antistitem; comminiscitur enim Methodium Bulgarorum Archiepiscopum & Photianum, quam ob causam Latini, Nicolao Pontifice, in Gorasdum sævierunt Methodii discipulum, & Vichinum ad illam Sedem evexere. Quid impudentius? si locum spectes, Bulgariam venditat pro Moravia; si tempus, Methodius jam erat Moraviæ Archiepiscopus sub Joannis VIII. Pontificatu, ab illo Gorasdus in fugam actus extra Moraviæ fines, & Vichinum an. 880. Moravis Nitriensibus Episcopum dedit idem Pontifex; lege ab Assemano fuse & erudite tractata tom. 3. cap. 3.

Mortuo Adriano an. 875. Petri Sedem conscendit Joannes hoc nomine VIII., & de recuperanda suo Patriarchatui Bulgarica diœcesi ac revocandis Bulgaris ad Romanam Ecclesiam sollicitus an. 878. Legatos, qui Basilio optante Constantinopolim profecturi erant ad componendas illius Ecclesiæ turbas a Photianis commotas adversus Ignatium, jussit per Bulgariam iter instituere, quo eam gentem inviserent, & datis ad regem Michaelem litteris eum adhortarentur in Catholicam communionem reverti; quare Sedesclavo Slavorum Dynastæ epistolam misit, qua Legatos suos eidem commendat, ne quid periculi paterentur vel incommodi per longas difficilesque vias atque salebrosas. Joannis VIII. P. legatio ad regem Michaelem,

Fuere legati Paullus Anconitanus & Eugenius Ostiensis Episcopi; eoque fidentius scribendi causam Pontifex arripuit, quod Michael primus, oblatis per Ursonem quemdam regiis muneribus, erga illum obsequii signa ediderat, & justæ venerationis. Agit etiam hac epistola Joannes de Sergio, & Georgio pseudo-episcopis; de illo dictum in Ecclesia Belgradensi, de Georgio hic paullo superius.

» Michaeli regi Bulgarorum.

» Spiritualibus te visceribus edito gau- & ad eundem litteræ.
» debamus & pro salvatione tua gratias
» agebamus. Sed nunc astutia malignorum
» decepto tristamur, & ingemiscimus, ve-
» rentes, & pertimescentes, ne si forte
» Græcos secuti fueritis, cum illi in di- Gen. 3.
» versas hæreses, & schismata solito mo-
» re ceciderint, vos quoque cum ipsis in
» erroris profunda ruatis: & sicut serpens
» seduxit Evam astutia sua, ita sensus
» vestri corrumpantur, & excedant a sim-
» plicitate, & castitate, quæ est in Chri-
» sto Jesu. Nam te fili Mosaicis rogo ver-
» bis; *Interroga patrem tuum, & annuntia-* Deut. 32.
» *bit tibi, seniores tuos, & dicent tibi*, si
» ali-

Digitized by Google

» aliquando Græci sine hac, vel illa hæresi fuerint; & cum non inveneritis eos ab aliqua hæresi aliquando liberos extitisse, oportet nos eorum fraudes & consortia fugere, ne cum illi erraverint, vos erretis, & cum illi ad blasphemiam versi fuerint, & vos etiam fidei rectæ blasphematores inveniamini: nec erit qui vos postmodum corrigas, vel ab errore reducat: & hoc est, mihi credite fili charissime, quod dolemus, hoc est unde nocte, & die pro vobis solliciti sumus: non gloriam ex vobis vel honorem, aut censum procul dubio expectantes, cum vos potius & non vestra quæramus: nam non patriæ regimen, & reipublicæ moderamen adipisci cupimus, sed diœceseos ejusdem regionis curam, & dispositionem more prisco resumere volumus, ut sollicitudinem, quam universis debemus Ecclesiis, tanto pro eadem diœcesi solertius exerceamus, quanto ad ordinationem specialius vestrum hanc antiquitus pertinuisse non ignoramus; tantoque pro vestræ salutis custodia instantius vigilare valeamus, quanto [Ps. 67.] ut *confirmet hoc Deus quod operatus est in nobis*, enixius nobis optandum est; & districtius a nobis divinitus exigendum, clarius scimus, si circa instructionem, & munitionem vestram desides, quod absit, fuerimus inventi. Revertimini ergo ad beatum Petrum Apostolorum primum, quem amastis, quem elegistis, quem quæsistis, cujusque in necessitatibus patrocinium percepistis, & fluenta doctrinæ salubriter, & convenienter hausistis: cujusque vos protectioni cum subjectis omnibus commendastis, & tradidistis. [Gal. 3.] *Bene quidem currebatis,* cum Apostolo clamamus, *quis vos fascinavit veritati non obedire?* [Luc. 9.] sed & ipse per se Dominus dicit: *Nemo mittens manum suam in aratrum, & conversus retrorsum, aptus est in regno cælorum;* non autem dicimus, quod non una sit fides, unum baptisma, unus Deus noster pariter, & illorum; sed quia in ejus sæpe Præsule Constantinopolitano, vel Imperatore, aut plerumque utroque auctore facto hæreseos, plures, qui sub ipsis sunt, adulatione, aut certe timore illis efficiuntur consimiles; & væ tunc iis est, qui societatem sequuntur eorum. Dic itaque rogo carissime filii, quid faceres tu, vel populus tuus si tempore pneumatomachi Macedonii C. P. antistitis, quando & impius ille imperabat Constantius, essetis eorum societate fruentes? nonne dogma ejus contra Spiritum Sanctum blaphemans cum illis sequeremini? quod peccatum attestante Domino *non remittitur neque hic, neque in futuro*. [Matth. 12.] Nonne si horum pollutam societatem haberetis, & pravam doctrinam nihilominus haberetis? ac per hoc & vos cum illis quasi fasciculi colligati ad comburendum æterno igni reservaremini in die judicii cruciandi. Credimus autem quod jam vos non lateat, nunquam Apostolicam B. Petri Sedem ab aliis sedibus reprehensam, cum ipsa alias omnes, & præcipue Constantinopolitanam sæpissime reprehendens aut ab errore liberaverit, aut certe in his, qui resipiscere noluerunt, qui sententiæ suæ judicio condemnaverit.

» Noli ergo sequi Græcos, fili carissime quia argumentis semper fallacibus student, semper dolosis intendunt versutiis, ne forte vobis, quod genti contigit Græcorum, contingat, quæ cum a Paganorum errore cuperet liberari, Christique fidei sociari, in Episcopum incidit formam pietatis habentem, virtutem autem ejus abnegantem, qui eos, dum a Paganismo liberat, Arii blasphemiis implicat: sicque illi dum incaute quærunt errorem fugere, in errorem incidunt, & coecum ducem sequentes cum illo coeci facti in Arianæ pravitatis præcipitia dilabuntur: & hoc est unde Græcorum cavenda esse prædicamus consortia. *Corrumpunt* enim, [Cor. 15.] ut Paulus Apostolus ait, *mores bonos colloquia mala*. Qui etsi aliquando loquuntur aliquid boni, noli mirari; quia & Dæmones confitebantur filium Dei; sed ipse illos potius tacere præcipiebat; ne qui eos audiret vera prædicantes, sequeretur errantes.

» Convertimini igitur ad B. Petrum Apostolorum principem, qui primus cognovit, & confessus est filium Dei, qui oves Dominicas regendas accepit, & ut has ad æternæ pascua vitæ introducere posset, & hic ligandi, solvendique potestatem, & illic reserandi eis claves coelestis regni promeruerit. Igitur scitote charissime si ex hoc ad Græcos, quod avertat Dominus, conversio vestra fuerit, partem vestram divinitus cum his ponendam, qui primam fidem irritam faciunt, & cum his, quorum libenter amplectimini portionem. Porro si nos audieritis, & ad sancti Petri gremium redieritis, ut filios vos amantissimos expansis sinibus recipiemus, & exsertis brachiis amplectemur, & in visceribus Christi dilectionis semper habebimus: & si qua sunt sancta, si qua salubria, si qua congrua, vobis offerre atque impendere non cessabimus.

» Xenium nobis ex vobis transmissum,

» quo-

Digitized by Google

» quodam religiosi habitus Urso deferen-» te, suscepimus, de quo benignitati ve-» stræ gratias agentes, Deum laudavi-» mus, qui te nobis devote munus offer-» re docuit, temetipsum cito totum, ut » confidimus, & perfectum daturus. Coe-» terum gloria vestra sciat Sergium Eu-» nuchum, qui eum genere Sclavus esset, » & multis pravitatibus irretitus, Sacer-» dotium per subreptionem obtinuit; & » post etiam super aliis detectus, & con-» victus excessibus ab Episcopo tunc suo » depositus fuisse dignoscitur, & post in-» digne satis à Georgio, qui falso sibi » Episcopi nomen usurpat, ad Episcopatum » Belogradensem provectus est, Apostolo-» rum Principum, & sanctorum canonum » auctoritate, etiam nostri esse sententia de-» positum: quod tam nobis, quam vestræ » omnium generalitati canonice patefaci-» mus, ut hi, qui abiiciuntur, ab aliis non » recipiantur; ne, quod non optamus, simili » cum eis pœna judicii teneantur adstricti. » Data XVI. die M. Aprilis Indict. XI. »

Scripsit præterea Joannes ad Petrum Comitem Michaelis cognatum primarium virum, pro eo legatione functum Constantinopolitana ad Patres Synodi VIII., illumque monet, & hortatur vehementer, ut regem permoveat excitetque ad reditum in Romanæ Sedis obedientiam & gratiam.

Petro comiti.

& ad Petrum Comitem. *Dilectissimo filio nostro Michaeli Christianissimo regi apostolatus nostri mittentes epistolam, dignum duximus ut & tua quoque gloriæ scriberemus, & gemitus nostri cordis aperiremus, quos assidue patimur, suspirantes & stupore nimio admirantes, quomodo ipse sapientissimus rex, & vos ipsi averti potueritis, & a recta semita declinare, atque a sede beati Petri apostolorum* Matth. 16. *summi recedere; cui, sicut evangelium refert, non caro & sanguis, id est humana sapientia, sed ipse per se Pater Filium proprium revelavit, cum alii hunc Joannem, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum de prophetis existimarent. Scribimus ergo tibi tanquam familiari & carissimo nobis; tu enim in hac causa primus ipsi regi præcursor & dux auctore Deo fuisti: tu inter illum & nos medius discurristi, & Deo gratias, cuncta, quæ ad salutem gentis illius acta sunt, non sine tuo certamine acta sunt, & quot & quantos labores pro instructione vestri nos assumpserimus, ipse non nescis. Et bene quidem in nobis delectabamini, & spiritualibus gaudiis, & profectibus fruebamini: sed nescimus qui vos de cetero deceperit; quis organum factus* Genes. 3. *diaboli, qui olim per serpentem Evam seduxit, vos a recto itinere callida suasione retraxerit; unde non parum dolemus, nec leviter anxiamur; & idcirco te, virorum optime, cohortamur, loquere ad aures ejusdem dilecti filii nostri regis; cui & dominus ipse ad aures præcordiorum loquetur, ut primam fidem non faciat irritam, ut* 1. Tim. 5. *ante se gradiens, retro nequaquam respiciat, viam qua ambulabat, non deserat, evangelicam legat historiam, & videat ibi præcipue soli Petro, aliis ista vel illa opinantibus, Christum Dei vivi Filium revelatum, & singulariter dictum:* Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua. Luc. 22. *Ergo si istis falsa putantibus, Petro veritas præcipue revelata est: & si pro fide Petri oratum singulariter est a Filio ne deficeret; consideret sapiens rex quam laudabiliter primum fecerit urbem quærens, ad quam iste talis & tantus apostolus venit & prædicavit; cui, Patre revelante, veritas Filii patefacta est, & cujus fides, quia Filius rogavit, non defecit. Ad hanc quippe Romanam urbem post Antiochiæ, quam in transitu visitavit, fundatam ecclesiam, tanquam ad mundi dominam properavit, & illic consequenter Filium Dei vivi, quem non carne vel sanguine, ut prædiximus, sed eo revelante sicut veraciter cognovit, veraciter & prædicavit: super quam etiam solidam confessionis petram, suam dominus ecclesiam fabricavit: & hæc est petra illa, supra quam, ut Salomon ait, serpentis non invenitur vestigium. Pro hac itaque purissima fide beatus Petrus Romæ moratus, in hac stabilivit ecclesiam, & sede apostolica diutius gubernata, pro hac fide decus mortis assumpsit: sicque sanctam Romanam ecclesiam in hac fide fundatam proprio sanguine cum Paulo, qui ab Jerusalem usque* Rom. 15. *ad Illyricam regionem scilicet, in qua nunc vos habitatis, evangelio replevit, domino* Rom. 1. *Deo consecravit, & dedicavit; qua fide tanto intra breve tempus Romani creverunt & floruerunt, ut præfatus egregius apostolus mox in principio epistolarum suarum pro ea Deo gratias agere, & denunciare præconia videatur. Hanc itaque fidem fuggere semper, & suade, carissime, pio regi sitire: hanc non alibi præcipue quærere nisi Romæ, ubi plantata est & radicata a B. Petro, qui hanc ut supra ostendimus, sicut veraciter cognovit veraciter & prædicavit: quoniam sicut aqua nunquam potest alibi tam manda, vel tam limpida, quemadmodum in fonte unde originem protrahit, inveniri; ita & fides nunquam omnino poterit alibi tam pura, vel tam nitida reperiri, sicut in ecclesiæ nostræ vivario, ubi eam non tecta perstillantia, quibus litigiosa mulier, id est hæretica pravitas, com-*

Digitized by Google

paratur; sed ille polorum claviger ubertim & purissime congregavit, qui ex ipso fonte vivo hanc cælitus hausit, & limpidissimam conservandam mandavit. Hæc, carissime, pio regi loquere, & exhortare in Christo Jesu, ut pro accepto & multiplicato familiaritatis talento in gaudium domini nostri merearis intrare. Nos vero, si nos audieritis, quia vos tanquam fratres & filios summo amore diligimus, de lucro vestri gaudebimus, & superexultabimus: sin autem, dicemus omni ecclesiæ, & sicut dominus præcepit, vos tanquam ethnicos, & publicanos habebimus: & tunc vos videritis, cum in varias errorum tentationes incideritis. Missa per Paulum, & Eugenium reverendissimos & sanctos episcopos. Data Mense Aprili, die XVI. indictione undecima.

Matth. 18.

Ægre tamen Pontifex assequi poterat propositum tanti momenti opus, nisi prius Ignatius Patriarcha ab illegitima Bulgariæ possessione decederet, & inde Græci Episcopi & presbyteri abirent, qui res sacras contra jus fasque regebant. Joannes itaque per ipsos Legatos ad Ignatium epistolam misit Apostolici plenam roboris, eique indixit, ut præstituto tempore e Bulgaria revocet quotquot ei genti præfecerit Græcos Antistites atque sacerdotes; & nisi pareat, mysteriorum communione sit illi interdictum; tum aliis litteris Græcos, qui inter Bulgaros divina operabantur, e diœcesi cito egredi jubet, & siqui repugnent, anathemate a se puniendos minatur. Utriusque epistolæ ecce exemplum.

Ep. Joann. VIII. P. ad Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum.

Reverentissimo confratri nostro Ignatio patriarchæ Constantinopolitano.

Secundo jam sedis apostolicæ literis probaris admonitus, & per missos ejus contestatoriis conventus hortatibus, jure tibi Constantinopolitanæ diæceseos, quod per ejusdem primæ sedis auctoritatem & favorem annuente Deo receperas, rite contentus, ultra præfixos tibi ex canonibus limites præsumptionis pedem non tenderes, nec antiquos terminos quos posuerunt patres tui aliqua usurpatione transferres. Nullus autem ignorat regionem Bulgarum a sanctæ memoriæ Damaso papa, & deinceps usque ad paganorum irruptionem a sedis apostolicæ præsulibus, quantum ad ecclesiasticæ provisionis attinet privilegium, moderatam. Præsertim cum hoc nonnulla scripta, sed præcipue diversorum pontificum Romanorum res gestæ, quæ in archivis antiquitus nostræ reservantur ecclesiæ, clarius attestentur. De his autem quæ bellica clades & gravissimi hostilitatis incursus intulisse noscuntur, nil præstantius sentiendum est, quam quod clarissima ecclesiæ tuba sanctus videlicet Leo nostræ sedis antistes edocuit & decrevit, cum ait: Adhibenda, inquiens, curatio est, ut vulnera, quæ adversione hostilitatis illata sunt, religionis maxime ratione sanentur. Epist. 85. *Qui statu rerum auxiliante domino in meliora converso iterum dicit: Remotis malis, quæ hostilitas intulit, unicuique id, quod legitime habuit, reformetur: omnique studio procurandum est, ut recipiat unusquisque quod proprium est, & rursus: Quod bellica necessitate turbatum est, & rursus: Quod bellica necessitate turbatum est, pacis remedio reformetur. Sed hæc reverentissime frater omnia clausis oculis relegisti, sanctorumque patrum decreta calcaneo temerario conculcasti, ac multiplicium tibi beneficiorum sedis apostolicæ præstitorum oblitus, contra eamdem sanctam sedem, benefactricem videlicet tuam, & erectus es, priscam diæcesim illius in regione Bulgarica constitutam illicita pervasione subripiens, & in alienam messem contra divinas leges mittere falcem non renuens. Unde merito post primam & secundam commonitionem a nostræ te debueramus communionis contubernio sequestrare*, in promptu habentes, *secundum apostolum*, omnem ulcisci inobedientiam: *qui etiam dicit:* Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, ut non commisceamini cum eo: *sed quia sedis apostolicæ moderatione utentes, spiritu lenitatis potius quam severitatis erga correptionis tuæ flagramus affectum, ecce tertio canonice per missos & syllabas commonemus, & hortamur, & protestamur, ut nullam omnino moram perpessa strenuos viros in regionem Bulgarorum dirigat, qui per totam patriam peragrantes, quoscumque illic repererint, qui a te, vel a subjectis tibi consecrationis munus accepisse dicuntur, sine quavis dilatione reducant: ita ut intra triginta dierum spatium nullus episcopus, nullus omnino clericus, qui tuæ ordinationis, imo inordinationis sunt, intra omnes Bulgarum fines inveniatur. Non enim patimur eos, quos ibidem tu illicite constituisti, quos & ab apostolica esse jam sede hujus regni gratia constat excommunicatos, errore suæ prævaricationis corda novorum domini famulorum inficere: quos videlicet in fide instructionis manu plantavimus, & aqua salutaris fontis doctrinarum rigavimus, atque horum auctori Deo ad incrementum spiritus dandum, ut sit ipse in omnibus primatum tenens, obtulimus. Porro si intra triginta intervalla dierum omnes, quos vel tu, vel episcopi tui consecrasse in aliquo gradu putantur ecclesiæ, totius regionis Bulgaricæ terminis non eduxeris, & temetipsum ab omni ecclesiastico il-*

1. Cor. 10.

2. Timot. 3.

illius jure diœceseos non subduxeris, tamdiu sancto corpore, ac pretioso sanguine domini nostri Jesu Christi per duos menses a die numerandos, qua hujus epistolæ tomum acceperis, esto privatus quamdiu his obstinatus decretis nostris minime obedientiæ colla submiseris. Jam vero si pertinaciter in hac indisciplinatione, atque pervasione permanseris, & episcopos & quotquot illic vel illi vel tu consecrasse videris, foras illinc minus expuleris, omnipotentis Dei judicio & beatorum apostolorum principum auctoritate, nostræque mediocritatis sententia omni patriarchatus esto dignitate, quam favore nostro receperas, alienus & exors, nullo penitus summi sacerdotii privilegio præditus vel potitus. Data mense Aprili, indictione XI. missa per Paulum, & Eugenium episcopos.

Omnibus Episcopis, & cæteris clericis Græcis Bulgariæ diœceseos invasoribus, ac per hoc excommunicatis.

Alia ejusdem ad Ep. & presbyt. Græcos in Bulgaria. *Miramur vos & vehementer obstupescimus sanctorum patrum canones obturatis oculis relegisse, & calcata conscientia terminos æternos a patribus positos transtulisse, & in alienam messem judicii falcem misisse in Illyrici provincias, quas nunc Bulgarum natio retinet ingredientes, & ordinationes illicitas perpetrantes, cum & sacra concilia sub sede beati Petri apostolorum principis has olim provincias deguisse patenter innuant, & rerum gestarum a sancto Damaso papa conscripta manifeste denuncient. Et statu causarum Deo auxiliante in melius jam pridem converso, sedes apostolica sit ab eis, qui hanc habitant regionem, recognita, requisita & multis precibus invitata: nosque illus episcopos, & inferioris ordinis sacerdotes eum præceptis sedis apostolicæ miserimus, & multos labores pro instructione illius regionis arripuerimus. Nam & si quidam vestrum clandestina illuc sorte venerunt, apte de illis dicere possumus illud domini dictum asseverantes:*

Joan. 10. Omnes qui ante me venerunt, fures fuerunt & latrones. *Ipse quippe dominus per*

Jerem. 23. 21. *prophetam dicit:* Veniebant & ego non mittebam eos. *Nam quidam vestrum pro criminibus suis fugientes, quidam autem ambitus & avaritiæ causa illuc accessuri profecti sunt; non autem vocati, nec invocati: licet nec sic in vestram vos diæsesim ad aliquam dispositionem faciendam introire convenerit. Quia igitur contra sacras vos multipliciter egisse regulas deprehendimus, excommunicavimus vos, & estis excommunicati. Quisquis autem ex vobis intra triginta dierum spatium cognitæ hujus apostolicæ sanctionis omni Bulgarica regione non cedens, in ea quamlibet ordinationem vel dispositionem patrare ultra prædictum spatium obstinate præsumpserit, sanctorum patrum auctoritate, nostrique judicii sententia proprio careat officio, non nisi resipiscens pœnam evasurus, aut veniam aliquo modo speraturus. Siquis autem vestrum humiliter ac obedienter his salubribus monitis nostris parens Bulgaricæ locum dederit diœcesi, noverit nos decrevisse sibi episcopatum restitui quem eum in regione Græcorum prius habuisse constiterit; porro, & si nunquam habuit, vacantem illi tribui; si tamen talis persona sit, cui nulla in hoc regula patrum valeat obviare.*

Missa per Paulum & Eugenium episcopos. Data XVI. die mensis Aprilis, indictione XI.

S. Ignatii Patriarchæ obitus. Sed quinque jam ante menses Ignatius Constantinopoli sanctissime obierat videlicet die XXIII. Oct. an. 877., quæ est certa Pagii in Crit. Bar. & Cuperi in Chronol. Patriarch. Constantinopolitanorum sententia. Nec quis miretur, nuntium de morte Ignatii fuisse nondum Romam per latum, cum Joannes ad illum scriberet XVI. die Aprilis Indict. XI. idest an. 878. plures certe intercessere tarditatis causæ, astu etiam & molitionibus Photianorum; & Pagius recte adnotat, Romanos ignorasse ad diem Novembris an. 866. necem Bardæ Cœsaris ante septem menses interempti die 21. Aprilis. Profecto Stylianus metropolita Neocæsariensis in suis ad Stephanum V. Pontificem litteris an 885. testatur, Legatos Joannis Constantinopolim pervenisse, eum Ignatius vita excessisset; unde miro Dei consilio factum, ut Pontificias litteras non acciperet, quarum lectio illius animi integritatem lædere potuisset; & hæc satis, quod ad nos, de Ignatio, de quo Baronii verbis ad an. 878. num. 42. fatendum, illum neque *infenso*, neque *ingrato* animo extitisse unquam adversus Romanum Pontificem, nunquam ab illius communione fuisse sejunctum; lis illi erat de jure, non de religione, seu dogmate fidei; putavit sui Patriarchatus esse, quæ se servaturum juramento spoponderat; & *siquid pulveris contraxit*, non est ejus sanctitas obfuscata, quam Deus patratis post ejus mortem prodigiis illustriorem esse voluit, & utraque Ecclesia Græca ac Latina debito cultu veneratur.

Quæ Grecis in Bulgariæ traditæ fuerunt litteræ Pontificiæ effectum omnino caruerunt. Photius triduo post S. Ignatii obitum Sede Constantinopolitana iterum potitus est; tum sævior procella in Ecclesiam Christi incubuit, schisma Photianum aperte erupit, & Bulgaria sub potestate scelestissimi Patriarchæ arctius fuit constricta.

Vix

Vix Legati ab urbe discesserant, & Pontifex aliis litteris datis VI. non. Majas urgere institit, atque impellere animum regis, quo promptius cum Græcis conjunctionem abrumperet; scripsit etiam quibusdam e Michaelis consiliariis monens, recederent & ipsi a schismatica societate, suumque regem ad renovandum cum Romana Ecclesia sanctum veræ religionis & pacis fœdus; excitarent. Unam & alteram epistolam exscribo e tom. XI. Concil. Venet. edit. Coletanæ; sed, quæ ad Consiliarios, videtur certe initio mutila

alia Joannis P. littera ad Michaelem, *Dilecto filio Michaeli regi Bulgarorum.*

Quia vos omnipotens Deus dono gratuitæ misericordiæ suæ, gentemque vestram ad cognitionem sui nominis vocare dignatus est, meminisse debebatis, hoc quod Dominus beato Petro Apostolo, dixit: Tues Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; *cui vos in primordio Christianitatis vestræ ad regendum commisistis, ejusque successoribus ad obediendum. Sed nescio qua ratione ab ejus magisterio, calliditate quorumdam estis abducti, ita ut cum Apostolo dicamus:* Qui nos fascinavit ei non obedire, cui dudum colla summissistis? *aut illis credidistis, ut pace Græcorum loquamur, qui quotidie novis, & variis disciplinis, atque dogmatibus confunduntur? Sed quæso, fili carissime, ad sanctæ matris vestræ Romanæ Ecclesiæ sinum, quæ caput est, instituente Deo, omnium Ecclesiarum in toto orbe diffusarum, relictis superfluitatibus, & seductionum scandalis, vos gentemque vestram amore mentis, sine mora reducite. Quia intantum nos affectione paterna diligimus, ut in visceribus Christi Jesu esse cupiamus. Et ecce parati sumus, ut vos lucrifaciamus, & quicquid legatorum nostrorum (1) offuscatione nuper offensum est, ad purum corrigere, & omnia maturissime redintegrando curare, & si contigerit, non solum compati, & condolere vobiscum, sed etiam pro salute animarum vestrarum mori non recusabimus, dicente Joanne Apostolo,* Quoniam Deus pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animam ponere. *Vestræ tamen dilectioni convenit monitis paternis benigno amore semper præbere assensum, & admonitionibus nostris accommodare auditum: quia ille, cui a Domino claves Regni cælorum ligandi, atque solvendi collatæ sunt, quotidie, & indesinenter expandit brachia, & vos revertentes ad se gratulanter expectat; quatenus vos æterno pastori reddat compotes æternæ beatitudinis, a quo accepit ministerio sui Apostolatus animas vestras redimere. Data VI. Nonas Maii. Indict. XI.*

Matth. 16. Galat. 3. Joan. 3.

NOTA.

1 hæc verba referenda videntur ad Legatorum Pauli & Eugenii acta Constantinopoli, qui non solum illius Ecclesiæ paci non consuluerant, verum etiam Photii in Sedem Patriarchalem illegitimam ac violentam reversionem non improbaverant, nec Pontificem de hac certiorem fecerant. Hinc arguimus, rumorem de restituto Photio tum fuisse Romam perlatum, cum per Bulgariam percrebuisset; & Joannes a suis Legatis gesta damnat in hac epistola, ut Michael certo sciat, quæ Constantinopoli acciderant, se inscio perpetrata. Sane idem Pontifex datis ad Legatos litteris mense Augusto Indictione XII. idest an. 879. eos reprehendit, quod *legationem commissam idonee non peregerint*, nec *Romam reversi fuerint*, ut illi statum Ecclesiæ Constantinopolitanæ coram aperirent.

Hæc autem ad Consiliario.

Petro, Cerbulæ, & Sundicæ cæterisque Optimatibus dilecti filii nostri Michaelis regis Bulgarorum.

& ad ejus Consiliarios. *Denique moneo vestram omnium dilectionem, ut continuis adhortationibus, atque suggestionibus dilecto filio nostro Michaeli glorioso regi seniori vestro annuncietis, vosque cum eo ad sinum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ vos æternæ beatitudinis cupit esse participes, redeat, ac redeatis; ne diutius quorumdam perversi dogmatis suasionibus perniciem, ac detrimentum, quod absit, animæ vestræ patiamini: quoniam nos in tantum amorem super vos ducimur, ut quid quid juste, & secundum Deum petieritis, a nobis impetrare valeatis vestrisque petitionibus irrefragabiliter velimus affectum annuere. Hoc iterum iterumque monemus, & in verbo Christi edicimus, ut redire ad nos omnino festinetis; quia sicut nos peccare timemus, si vos ad sinum sanctæ matris vestræ non reducimus, ita vos in Deum peccabitis, si nostram vocem audire omittatis. Data VI. Nonas Maii Ind. XI.*

Interea Photius audacior effectus Patriarchali dignitate, & Basilii Imp. favore in speciem quidem Romani Pontificis gratiam & communionem procurabat, ut ab in Sede Constantinopolitana verus Patriarcha confirmaretur. Re tamen vera impudens novarum rerum & cujusvis fallaciæ ac doli architectus eo demum spectabat, ut securus sui, suæque non amittendæ potestatis apertum Latinæ Ecclesiæ bellum indiceret. Cum Joannes Bulgaricis intentus negotiis an. 879. rursum Michaeli epistolam misit per Joannem presbyterum, qua in memoriam ei revocat accepta a Deo beneficia, fidem & obedientiam Nicolao I. Pon-

Digitized by Google

Pontifici per suos Legatos promissam, tum petit, ut per eundem Joannem responsum reddat.

& alia rursum ad eumdem.

Dilecto ac spiritali filio Michaeli glorioso regi Bulgarorum.

Quantæ pietatis & miserationis suæ largitate vos omnipotens Deus dilexerit, narrare quis sufficiat carissime fili? Quando per infusionem sancti Spiritus sui in cor vestrum unigenitum Filium suum, per quem omnia visibilia & invisibilia condidit, vobis elementer revelare dignatus est, mentemque vestram claritatis suæ lumine irradiare, & de tenebris ad veram voluit perducere lucem, veræque fidei dogmate suo docere. Ipsius etiam gratia vobis revelante, ad sedem beati Petri apostolorum principis, quæ caput, & magistra omnium ecclesiarum Dei existit, & a qua omnes reges & principes verbum veritatis acceperunt, legatos vestros, Petrum scilicet cognatum vestrum, & Joannem atque Martinum prædecessoris domni nostri Nicolai beatissimi præsulis tempore direxistis, ut & vos inde doctrinam ecclesiasticam atque canonica instituta reciperetis, ubi totius ecclesiæ Christus posuit principatum: quod nimirum, secundum vestram voluntatem, ab eadem sancta Romana ecclesia promeruistis. Nunc igitur vos, quasi propriam gregis dominici ovem nobis in ipso apostolorum principe commissam, utpote carissimum filium nostrum his nostri apostolatus litteris visitamus, & nostris apostolicis spiritualiter amplectimur ulnis; assidue vos cum omni populo vestro sacris orationibus nostris domino commendantes, ut ipse, qui vobis gloriosum in terris tribuit principatum, tribuat & post mortem cæleste regnum, & gloriam sempiternam. Quapropter monemus gloriam vestram, ut ad sanctam matrem vestram Romanam ecclesiam devota mente, libentique animo redeatis; ut apostolorum sanctorum præcibus adjuti tam visibiles quam invisibiles inimicos facile superare possitis: & quia vos, ut prædictum est, multum diligimus, nostrum ad vos volumus cum sedis apostolicæ visitatione dirigere legatum, visitareque vos, sicut pastor visitat gregem domini sui sibi commissum: si tamen cognoverimus voluntatem vestram, quod nostram cupiatis recipere legationem, & apostolicam visitationem. Quod si volueritis, per hunc Joannem venerabilem presbyterum fidelem nostrum, nobis sub certitudine literarum vestrarum remandare curate dilectissime, atque amantissime fili. Omnipotens Deus, qui vobis vitam veritatis ostendit, & lumine suæ claritatis cor vestrum illuminare dignatus est; nunc & semper cum omni prosperitate: & salute vos conservare dignetur incolumem. Dat. VI. Idus Junias indictione XII.

Verum post hasce litteras ex insperato Functicus quidam a Michaele missus Romam venit, suique regis nomine munera obtulit Pontifici, quæ multo gratiora fuissent, siquid de regia voluntate & erga Eclesiam Romanam propensione nuntiasset. Nihilominus non despondit animum Joannes, & alia epistola regem commovere ac ad sua consilia amplectenda suasque exhortationes sectandas allicere verbis amantissimis enisus est.

alia Pontificis ad eumdem epistola.

Dilecto ac spiritali filio Michaeli glorioso regi Bulgarorum.

Multas regiæ Excellentiæ vestræ gratias agimus, quia sicut Charissimus filius divino repletus amore paternitatem nostram per Functicum eximium fidelem vestrum visitare, missisque donis honorare curasti; per quem tuæ salutis incolumitatem, omniumque fidelium tuorum audientes prosperitatem, valde sumus gavisi. Nos autem, & nostris assiduis precibus ante sacratissimum beati Petri Apostolorum Principis corpus adstantes, & te, & omnes principes tuos, omnemque populum tuum Jesu Christo Domino semper commendare studemus, & benedicimus tibi, & omni populo tuo, omnique regno tuo, ut & a visibilibus, & invisibilibus hostibus liberatus, Deique auxilio adjutus, inimicorum tuorum semper victor existas, & ad palmam supernæ vocationis gloriosus pertingas. Ut ipse, qui gratiæ suæ largitate, & regnum tibi terrenum concessit, & illuminando oculos mentis tuæ viam veritatis ostendit, & de tenebris ad veram lucem perduxit, usque ad finem in eadem sancta fide, & bonis operibus perseverantes salvos, & incolumes dignetur perducere, ut post finem præsentis vitæ per intercessiones sanctorum Apostolorum Petri & Pauli regnum valeas cæleste percipere; in quo illa omnia bona, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendunt, cum sanctis omnibus simul accipias, quæ diligentibus se, ab origine mundi præparavit omnipotens Dominus. Sed non modica nos tristitia (o fili charissime) replevisti, quia sedem beati Petri cælestis regni clavigeri, qui tibi in manifesta (1) visione apparuit, & opportunum auxilium præbuit, reliquisti; cum ipsa sedes caput, & magistra sit omnium Ecclesiarum Dei, ad cujus auctorem beatum Petrum a Domino dictum est, pasce oves meas, & cui traditæ Jo. 21. *sunt claves regni cælorum ut quæcunque ligaverit super terram, ligata maneant & in* Matth. 16. *cælis: & quæcunque solverit super terram,*

sint

sint soluta, & in cælis. Revertere jam fili amantissime ad sanctam matrem tuam Romanam Ecclesiam, quæ te religioso utero genuit, & per quam totius religionis, & justitiæ formam, sancto prædecessore nostro Nicolao præsule mittente, suscepisti, & quæ omnium gentium retinet principatum, & ad quam totius mundi, quasi ad unam matrem, & unum caput, conveniunt nationes. Noli amplius deserere matrem tuam, quia illa tui non obliviscitur: quin potius quasi unicum diligit, & semper memoriam tui coram Domino facit. Non enim licitum fuit Græcis alterius parochiam usurpare, Sanctis hoc patribus apertissime prohibentibus. Et idcirco ipsi contra canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos, nostras retinent diœceses. Quos si pro tuo nobis non esset amore, jam per Apostolicæ sedis sententiam inde compelleremus exire. Data XVIII. Cal. Julii Indict. XII.

NOTA.

I quænam fuerit manifesta Petri Apostoli visio, quæ se se obtulit Michaeli, nemo historicorum meminit. Pontifex innuit fortasse horribilem extremi judicii picturam, cujus visu perterritus Michael Christianam fidem amplexus est, uti dictum superius; quo temporis momento illi Petrus astiterit, ut cælesti cohortatione ad ad suum exsequendum consilium animaret.

Photianæ artes & fallaciæ quamvis Joannis P. curam & paterna studia eluserant. Celebrata Synodus est Constantinopoli inter exitum an. 879. & insequentis initium; in hac, quam Catholica Ecclesia ceu a Photio magna sui parte confictam, & mendaciis ac falsitatibus oppletam constantissime rejicit atque damnat, plusquam treceuti Episcopi Photium ipsum regiæ urbis legitimum Patriarcham consalutarunt, non repugnantibus Legatis Joannis, qui Basilii Imp. litteris & precibus eo adductus est, ut contra Concilii VIII. sententiam, & decreta in Photium lata, ejus restitutioni assentiret. Quo facto Joannes pravæ timiditatis & indulgentiæ noxam subiisse visus est quamplurimis; sed non defuere, qui ab omni culpa eum liberaverint, perspectis totius facti circumstantiis; multoque magis deceptus cum fuerit falsis pollicitationibus, queis Photius diœceseos Bulgaricæ restituendæ spem injecerat; quam ob caussam Græca astutia circumventus Photium in Sedis Constantinopolitanæ possessione confirmavit. Verum promissa perfide non implevit homo iniquitatis; ac Pontifex se illusum sentiens, & demum, illius prorsus detectis sceleribus, perpetuo anathemate eum perculit, & a Catholica communione abjecit; Vide Baronium ad an. 880. & Pagium ad an. 879. num. IX. Tum de Bulgarica Ecclesia actum est; ejusque administrationem suscepit.

CLEMENS ARCHIEPISCOPIS ACHRIDANUS II.

Assemanus sæpe laudatus videtur Clementem huic Ecclesiæ præficere ante initium sæc. IX., quam ad annum rexerit 806. Ab eo tamen nequeo quin dissentiam. Vivo S. Ignatio, schismatici aut hæretici Episcopi, eo conscio, in Bulgariam nulli ablegati sunt. Photius stabiliendæ suæ dignitatis cupidissimus hanc Bulgaricæ Ecclesiæ curam cæteris omnibus anteposuit; & absoluto impio Conciliabulo, de quo dictum, mense martio an. 880. ad Bulgariam convertit animum, tum ad alia facinora, quæ pari semper calliditate atque vafritie, quoad potuit, impie executus est in summam Græcæ Ecclesiæ perniciem, & Latinæ detrimentum atque contemptum. Tunc, uti reor, & in Bulgariam jus Patriarchale sibi adscivit, &, aliis adjunctis suæ fæcis hominibus, Clementem elegit Bulgarorum Archiepiscopum. Erat is Tiberiopoli in Mœsia secunda Antistes a Romana Ecclesia alienus; compertum non habeo, quo tempore & cujus jussu hanc Sedem occupaverit; exstat ejus vita a Græco auctore descripta in Bibl. Vatic. Cod. 1409. fol. 348. pag. 2., teste Assemano; & nonnulla inde excerpta protulit Allatius exercit. XV. in Creyghtonum; & tum Clemens, tum vitæ Scriptor Schismaticos fuisse constat. In catalogo Lequieniano dicitur Borisas Bulgarus, de quo inferius, impense favisse Clementi, eique *tertiam partem regni tradidisse administrandam a Thessalonica scilicet usque ad Hierico & Bannina seu Sepiati regionem*; quæ hujus nominis continet promontorium.

Clemens Archiep. Achridanus an. circ. 880.

Photio itaque Patriarcha, & Clemente Archidano Antistite, Michaelis reditus ad Latinos gravioribus erat septus impedimentis, & Joannis curæ Photianis insidiis & conatibus nihil valere potuerant ut regis animus vinceretur, qui, cum Theodosio cuidam Episcopo pollicitus esset, se quamprimum Legatos ad Pontificem missurum, promissa non servavit. Revera Joannes certior factus a Theodosio de Michaelis consilio rursum eidem scripsit, mirari se nondum advenisse regios nuncios, novisque hortamentis ad conversionem excitavit. Huc refero, & ad an. circ. 881. Pontificis epistolam, quæ caret chronologica nota.

Dilecto & spiritali filio Michaeli glorioso regi

Digitized by Google

regi Bulgarorum gratia vobis & pax a Deo patre & domino Jesu Christo.

alia P. Joannis ad Michaelem litteræ. *Miramur quod tanto jam tempore transacto missos vestros ad sanctam Romanam Ecclesiam matrem vestram, & ad nos non transmisistis. Modo vero (sicut nobis retulit Theodosius venerabilis Episcopus) missos tuos cum eo dirigere promiseras: sed pro qua causa eos dirigere prætermiseras, ignoramus. Unde vos jam recognoscere oportebat, etiam ad pastorem & pontificem animarum vestrarum reverti tota devotione debueratis; unde his nostris Apostolicis litteris vos quasi carissimos filios admonemus & exhortamur, ut de præsenti vestros idoneos missos nobis transmittere non dubitetis; quatenus ab uberibus matris vestræ, sanctæ videlicet Romanæ Ecclesiæ, satiemini, omnique bono repleamini. Quia nos more paterno ulnis extensis vos amplecti & quasi oves Christi nobis commissas*
Jo. 21. *alere & salvare parati existimus, secundum quod Dominus dicit beato Petro,* Pasce oves meas: *quicquid enim vobis dirigimus, credere omnino potestis, quia pro salute vestra semper agere ac perficere incunctanter cupimus. Optamus vos in Christo nunc & semper bene valere.*

Nec multo post, uti reor, postremam misit eidem epistolam, sane amantissimam, quæ nec ipsa optatum consecuta est effectum.

Michaeli regi Bulgarorum.

postrema ejusdem ad regem epistola. *Cum non tam initia sint in bonis laudanda, quam finis, Deo omnipotenti factori omnium visibilium, & invisibilium gratias agimus, qui vestrum bene velle hactenus in soliditate veræ fidei solidavit, & sui amatorem efficiens, tamquam revera ex tenebris olim lumen splendescere fecit, & ad salutem multorum beniguissimum cor vestrum gratia suæ potentiæ illustravit: sed & hinc devotioni vestræ dignum duximus congruas grates referre, quod partim finis ostendit, quam fidelitatem erga sanctam Romanam Ecclesiam omnium terrarum matrem & caput observare curetis. Cum hanc & initio vestræ conversionis quæsieritis, & ad præsens auxiliatricem habere ad perpetuam scilicet vestram salvationem monstrare non omiseritis sanctos videlicet Apostolos visitando, & eorum (ut diximus) suffragia postulando. Igitur absurdum valde est, ac inconveniens, quod pia vestra voluntas aliter se post habere voluit, quam sicut omnibus notum est, primum. Vos enim divinitus inspirati matrem omnis religionis, sanctam Romanam Ecclesiam ductricem, & viam, per quam ad æternitatis pascua duceremini, merito expetistis. Et illa, quia omnibus fidelibus viscera materna præbet, ac præbuit, vos expansis ad Deum ulnis, Christo gratias agens, recepit, consequens fuit, ut a recti gressu itineris in partem non flecteremini, nec manum mittentes in aratrum retro aspicere, cujuscumque forte suasionibus niteremini. Numquid non fili charissime sanctum Evangelium surda aure* Matth. 10.
auditis, quo legitur. Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit? *aut si audistis, & obauditis,* Redite ad mentem Esa. 46.
vestram, redite ad cor; *& vestræ sponsionis reminiscimini. Quia plus amor & timor Dei vos fecit esse credulum Apostolici privilegii, quam (ut ita dixerim) exempla multorum. Si enim quod quicumque Deo vovit, hoc debet & reddere, valde oportet, ut vos quod sanctæ Romanæ Eccle-* Matth. 16.
siæ sponte vovistis fines, tenus reddere studeatis; non ignorantes quod beatus Petrus Apostolus regni cælestis claves a Domino Jesu Christo acceperit; & quibusve fidelibus aperiendi, aliis autem claudendi promeruerit potestatem. Hac igitur (sicut & nostri prædecessores) nos potestate, licet indigni, utentes cogimur; si non emendaveritis, quod gessistis, & ad præsens vos in hoc sæculo digne corripere, & ut in futuro (quantum in nobis est) maledictionibus repleamini, non præterire. Hujus rei gratia, fili carissime, festinate corrigere, quod inique gessistis. Et omni occasione, omnique mora postposita, nobis per vestrum legatum, quicquid super hoc emendare vultis, mandate: quia nos, Deo juvante, omnem voluntatem vestræ correctionis implebimus, & vos anima, & corpore salvos existere cupientes causam secundum Deum ordinare studebimus.

Et nequid videar hac in re prætermisisse, subjicio breve fragmentum alterius epistolæ num. 212., inter epistolas Joannis VIII. tom. XI. Concil. quæ ad hoc tempus referri potest; hac forte respondet Pontifex propositæ sibi a Michaele cuippiam dubitationi.

Joannes VIII. Michaeli regi Bulgarorum.

Si ab his quos excommunicatos habebamus, sacramenta quacumque suscepistis, constat, quia idololatriam, non ut catholici essetis, sed ut schismatici efficeremini, deliquisse videmini.

Michaelis a regno abdicatio. Cæterum qui vitæ Michaelis finis fuerit, certo nequit affirmari. Narrat Assemanus pag. 135. se regno illum abdicasse, & in monasterio *angelicam* egisse vitam, unde exire coactus fuit, ut majoris natu filii, cui regia cesserat insignia, impios conatus armis effringeret, cum idolorum cultum in Bulgaros revocare contendisset; eoque victo, & effossis oculis in car-

Digitized by Google

carcerem detruso, regnum tradidit Presiamo alteri filio, ac ad Cœnobii solitudinem rediit; hæc ille ex Constantino Porphyrog. cap. 32. de administ. imp. Et ex Annalista Metensi apud Pagium in Crit. an. 868. discimus, Michaelem *non post multum tempus* a suscepto baptismate *regnum terrarum dimisisse;* id in hæc ferme tempora incidit; & hinc is effluxit annorum cursus, quo filiorum, & Michaelis Borisis regnum continetur usque ad an. circ. 888. cum jam Simeon imperium obtinuerat. Michael vero videtur ad an. 896. vitam produxisse; etenim ferunt ex Annalibus Fuldensibus, Bulgaros ingruentium barbarorum agminibus perterritos *ad vestigia vetuli illorum regis Michaelis cucurrisse; qui a Deo quærendum esse auxilium premonuit triduano indicto jejunio in pænitentiam de illata Christianis injuria;* nec multo post relata victoria est de hoste, quæ parum tempores pacem præcesserat a rege Simeone compositam cum Græcis an. 896., quibuscum etiam bellabat; vide Pagium ad annum eumdem. Inter epistolas Photii editas a Richardo Montagutio ista eminet, inquit Pagius in Crit. ad an. 886., quam *de Officio Principis* scripsit *Michaeli regi Bulgarorum*, postquam Patriarchatum Constantinopolitanum rursum invasit; & suspicari possumus Michaelem Photii callidis artibus irretitum, & perfidis allectum suasionibus schismati inhæsisse potius, quam Romani Pontificis hortationibus, consiliis, ac monitis vere paternis obsecundaret; nisi forte, exauctorato Photio, se deceptum cognoverit, & verba penes Fuldensem Scriptorem de *pænitentia ob illatam Christianis injuriam* peragenda, contumelias spectent, & probra, quibus Bulgari Photiani Latinos & Romanum Ecclesiam lacessebant.

Anno 882. vita excessit Joannes VIII, quadriennio post Basilius Imp. cui ipso anno 886. suffectus Leo VI. cognomento Sapiens, ejusque imperio illico, & eodem anno Photius e Sede, & urbe Constantinopolitana ejectus suæ impietatis pœnas luit, & quinque post annis in sua perfidia extinctus est, alte jactis tradicibus teterrimi schismatis, quo Christi Ecclesia discissa hactenus ingemit, e suo sinu abreptam fuisse nobilissimam Græcorum gentem. Photio pulso, S. Stephanus I. & deinde S. Antonius II. Patriarchæ creati Romanæ Ecclesiæ conjunctissimi; & in Bulgaria novi motus exorti sunt. Post Michaelem, & Presiamum, regnum adeptus est Michael Borises Clementis Archiepiscopi amicitia delectatus ita, ut sui regni partem ejus administrationi commiserit. Verum an. 888. ei jam successerat Simeon

Novi Bulgariæ motus bellici.

filius Ulsdimiri, qui ante Michaelem I. Bulgaris imperavit nondum Christianis; hæc habes narrata a laudato Porphyrogenito. Hoc tempore Bulgaricum bellum exarsit adversus Græcos; cum enim Leo Imp. Hungaros aliasque commovisset barbarorum turmas in Simeonem, hic post plures clades sibi inflictas impavidus tamen profligavit hostem, & in Leonem arma convertit an. 893. Utrinque pugnatum est integro ferme triennio; ac demum Leo sibi metuens quippe Simeon paullo ante barbaros novo prælio pœne deleverat, a potentissimo rege pacis condiones invite accepit an. 896. & Bulgaros captivos victori restituit.

Simeon tot clarus triumphis ad religionis cultum reparandum Photiani schismatis nequitia collapsum sollerter animum contulit, & indigne ferens Bulgariæ Græcos Antistites dominari, Romani Pontificis gratiam supplex petiit, & pristinam cum Latina Ecclesia conjunctionem. Ac Formoso Pontifice, & S. Nicolao I. Patriarcha Constantinopolitano, qui S. Antonio fuerat suffectus an. 895. Bulgaria in Patriarchatus Romani potestatem rediit, & *Bulgari Romanæ Ecclesiæ, a qua donis*, adde dolis, *& blanditiis Græcorum desciverant, se sponte subjecerunt*, inquit hoc anno Baronius. Facti testes habemus litteras Calo-Joannis Bulgariæ regis ad Innocentium III. an. 1204., hisce quippe affirmat, se *Prædecessorum suorum scripturas & libros inquisivisse, & invenisse Simeonem, Petrum, & Samuelem coronam Imperii eorum, & Patriarchalem benedictionem accepisse a sanctissima Dei Romana Ecclesia* &c. nihil hic de Pontificali, seu Archiepiscopali dignitate, quod visum perperam Assemano; & quamvis in actis Formosi P. & Romanis monumentis nullæ supersint tabulæ, litteræ nullæ, Innocentii III. pollet auctoritas, cui probatum fuit Calo-Joannis testimonium, utpote Romanis codicibus, qui tum extiterint, consentaneum. Pacata Bulgaria, Clemens Archiepiscopus e sua sede dejectus alio secessit; Assemanus id factum asserit ante decennium; fortasse jam obierat, cum Simeon Græcæ Ecclesiæ ejuravit errores, vir doctus, & in civilibus negotiis apprime versatus; huic Petrus Siculus inscripsit *historiam de vana & stolida Manichæorum hæresi;* titulus hæc verba præfert *Archiepiscopo Bulgarorum;* nomem abest; sed in prooemio eum appellat auctor, *qui sancti & divini nuperque collecti gregis es princeps & pastor*, nempe Bulgaricæ Ecclesiæ. Petrus, inquit Antoninus Mongitore tom. 2. Bibl. Sic. an. 830. e Sicilia a Saracenis in Orientem fugit, Basilio, ejusque filiis Leoni

Bulgarorum ad Ecclesiam Romanam reversio.

Clementis Archiep. exitus.

ni VI. Constantino VIII. Impp. charus, & gravibus imperii perfunctus muneribus; potuit igitur Clemens initio sui Archiepiscopatus hoc præstanti opere a Petro donari, ornarique.

Pulso ab Archiepiscopatu Clemente, in ejus locum creatus dicitur Damianus in catalogo Lequienii, sed quadraginta circiter annorum lacuna interjecta est, qua ab anno 896. ad an. circ. 930. nonnulli deesse Antistites Achridani, fortasse ab schismatico Catalogi auctore prætermissi, quia Romani Pontificis auctoritate Bulgaricæ Ecclesiæ curam & administrationem susceperint; ita Lequienius sentit, & Assemanus, etsi longius temporis spatium a Clemente ad Damianum ii existiment intercessisse.

Simeonis regis bella contra Græcos. At vero Simeon bellicosi rex ingenii, & adversus Græcos animo exasperatus, quia Alexander Imp. missos a se Legatos, qui pacis fœdera renovarent cum Leone inita, superbe contemptos dimisisset an. 912. rursum castra movit, & recto cursu regiam urbem aggressus obsidione cinxit; territi Græci pacem rogant, quæ, excepto in Blachernense Palatium Simeone ad convivium, sancita est, opera præcipue S. Nicolai Patriarchæ Constantinopolitani, cui Alexander moriturus tutelam Constantini Porphyrogeniti Leonis filii commendaverat; narrat autem Cedrenus, Simeonem submisso capite a Nicolao fuisse precum benedictione impertitum. Vix annus evaserat; & ad arma ventum. Simeon Thraciam depopulatur, Adrianopolim expugnat, oppugnat valide Romani imperii sedem, sed frustra; commissum postea ad Acheloum fluvium ingens prælium; utrinque clades, utrinque victoriæ; demum fessæ acies pacem expetunt; & an. circ. 924. Simeon & Romanus Lecapenus, qui ante quinquennium Imperator fuerat appellatus cum Constantino Porphyrogenito, in pacis conditiones consensere. Sed Simeon quietis impatiens, dum Chrobatos lacessit, & in aciem provocat, amisso exercitu victus interiit an. 927. Sigebertus in Chron. ad an. 926., *Simeon Bulgar, qui & ex Philosopho monachus, ex monacho miles factus dominabatur Bulgaris, Græcos graviter atterit, sed Romanus Græcorum Imperator ejus insaniam facto fœdere mitigavit*; & Luitprandus lib. 3. & interitus. cap. 8. *Semigræcum* appellatum illum fuisse scribit, quia *Byzanthii Demosthenis rethoricam, Aristotelisque syllogismos didicerat*. Ex altera conjuge tres suscepit liberos Joannem & Michaelem, de quibus postea, & Petrum majorem natu, qui regno potitus est, & uno pœne tempore Bulgaris præficitur

DAMIANUS ARCHIEPISCOPUS ACHRIDANUS III.

Dorostori sedens, inquit auctor Catalogi, quia nondum certo loco constituta fuerat Archiepiscopalis Ecclesia, subjicit Lequienius. Sed nec certus annus est, quo primum sederit. Post Simeonis mortem, vicinæ gentes Bulgarico imperio minitari videbantur de illatis ab illo cladibus ultionem. Petrus vero rex magis veritus Græcorum vires, horum impetus hostiles prævertit, eduxitque in Macedoniam copias; cumque audisset, prope inde abesse Lecapeni exercitum, misit, qui clam cum litteris nuntiaret, Bulgaros pacem non respuere, si connubium Petri firmaretur cum delecta Augustalis familiæ virgine. Nec mora; positis armis, ex utraque parte de conjugio convenit; Petrum Constantinopolim profectum Lecapenus summo cum honore complexus est; tum sancita fœdera, & Petro tradita sponsa Maria Imperatoris e Christophoro fratre neptis; hæc Scriptores Byzanthini, quæ in annum saltem 928. sunt rejicienda. Hac cum Lecapeno Petri affinitate, haud leve sensit detrimentum Bulgarica Ecclesia. Superius a nobis dictum, Simeonem, posthabitis Græcorum doctrinis & excusso Patriarchatus Constantinopolitani jugo, ad Latinos cum gente Bulgara rediisse, idemque affirmat de filio Petro Calo-Joannes antea laudatus. Ejus tamen acta cum Romanis Pontificibus, qui eo regnante vixerint ad an. circ. 964. delitescunt, si qua fuerunt; & interea fœderis & sanguinis vinculis obstrictus cum Græcis Latinorum cultum ac consuetudinem adeo visus est neglexisse, ut Schismaticorum communionem non abnuerit. Maria fortasse conjuge a patruo Imperatore petente, vel ambitiosa Damiani Archiepiscopi opera, & quod Græci de Bulgaris benemereri cupiebant, jussu Lecapeni, & Senatus decreto Damianus dictus est Patriarcha Bulgarorum, id enim ab Apostolica Sede negatum Bulgari vehementissime ambiebant; & ne putaretur, velle Græcos Bulgariam rursum subdere Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ut sui juris deinceps, & autocephali essent Bulgarici Patriarchæ, decretum est; ita auctor Catalogi. Factum id esse autumo inter nuptialia festa anni 928., vel paullo serius dum Romæ sedit Pontifex Stephanus VIII. aut Joannes XI. Constantinopoli Patriarcha Stephanus II. vel S. Tryphon, ambo Romanæ Ecclesiæ obsequentes, quare neutrius suffragio comprobata fuit novi Patriarchatus institutio illegitima, unde renovata Bulgarorum a Latinis criminosa dissensio;

Damianus Archiep. Achridanus an. inc.

Et Patriarcha schismaticus.

quare Lequienius perperam affirmat, Constantinopolitanæ Ecclesiæ consensione fuisse hæc peracta. Petrus pacato regno usus est, etsi insidiis appetitus a fratre Joanne, quem vinctum misit Constantinopolim in Lecapeni potestatem. Sed Phocæ Imperatoris armis provocatus an. 963. se suaque tueri coactus est ancipiti plerumque marte; cumque Russi Istrum transgressi æque Bulgaros atque Græcos multis cladibus affecissent, Phocas a Petro pacem petit & opem adversus communem hostem an. 969. quo etiam dicitur obiisse a Leone diacono; Cedreno autem auctore, illius obitus ante sexennium accidit. Petrus, quem Leo diaconus *religiosum* & *venerabilem* appellat, ex Maria uxore tres reliquit filios tristi jactatos fortuna, & regni paterni nunquam dominos; utrum autem in Romana communione decesserit, nec negare licet, nec prorsus asserere in densissima veterum monumentorum obscuritate. Assemanus pag. 156. sibi suadet, Petrum, Maria conjuge mortua, & abrupto an. 967. fœdere cum Phoca, qui Latinis adversabatur, cuique minime fidebat, Romana sacra iterum esse amplexum. Innititur is auctori Catalogi Lequieniani, qui Damianum Archiepiscopum Patriarchatu *destitutum* perhibet a Joanne Tzemisce Imp., seu autocephalia, & Patriarchali dignitate privatum *a Græcis*, inquit, sub Joanne Tzemisce; hinc Damianus etiam a Græcorum societate recessit. Sed quæ causæ Tzemiscem adversus Damianum concitarunt? num quia is a Græca Ecclesia ad Romanam primum defecisset? sed Joannes nec Latinis nec Romano Pontifici infensus fuit. Aliqua ratio quærenda male habiti a Tzmisce Damiani, quæ latet; dubia est Catalogi fides; quid inde certum de Petri & Damiani conversione ad Latinam Ecclesiam conversione? si Petrus prior salubre hocce consilium secutus est, quid illi commune cum Damiano, qui non ante annum 969. & primum imperii Joannis privari potuit Patriarchali dignitate; & eo saltem Petrus vita decesserat? Si conjecturis inhærendum, Petrus pertæsus Græcæ ambitionis, præsertim Lecapeno affini extincto, pœnituit, a se desertam matrem Romanam Ecclesiam; Damianus bonæ frugis vir regis exemplum imitatus præteritum emendavit errorem; quam ob caussam in Græcorum & Joannis incidit indignationem; qui licet non oppugnaverit aperte Latina dogmata, de illius tamen cum Apostolica Sede conjunctione nihil produnt illorum temporum historiæ, neque de Basilii I. & Antonii III. erga Romanos sensibus, qui, Joanne Imperatore, Constantinopolitanum Patriarchatum gessere. Damianus ad an. 970. vitam videtur produxisse. Quæ autem hic attigimus de Petri bellicis gestis, copiosissime descripta quisque reperiet in Græcis historicis, & diligentissime in Critica Pagii suis singula annis distributa.

Petri regis mors, (margin, beside "an. 969.")

& Damiani Archiep. (margin)

GERMANUS ARCHIEPISCOPUS ACHRIDANUS IV.

Suffectus Damiano in Catalogo Lequienii, ubi dicitur sedisse Bodini & Prespæ, quæ duo Macedoniæ loca erant in Bulgarorum potestate. Arguit hinc Lequienius Archiepiscopos Bulgariæ sero metropolim Achridam adiisse, in qua Pontificalia jura exercerent, & pro regum voluntate modo una in urbe, modo in alia commoratos esse. Horum Antistitum acta adeo sunt obscura, ut de iis nihil certum constituere audeam. Verum si Damiani mortem alliges an. circ. 970., & an. 1019. concidit regnum Bulgaricum; ac, amissa Achrida, Bulgari in Mœsiam abire compulsi sunt, vel nulli, vel unus, aut alter Archiepiscopus suæ genti Achridæ præfuit; etenim, quamvis huic Ecclesiæ nunquam postea suus defuerit Antistes a Patriarchis Constantinopolitanis designatus, Bulgari paullo post Mœsiacam profectionem imperium Achridensis Metropolitæ detrectavere. Censet Assemanus Davidem, de quo mox, esse Germano præponendum, quia, cum certo anno non affigatur hujus Archiepiscopatus, & exciso Bulgarorum regno, Achridensium Antistitum electio videatur rursum a Constantinopolitanis Patriarchis usurpata, tum Germanus ac Philippus post Davidem in hac seriæ potius collocantur. Quæ ratio nullius est momenti; unde novit Assemanus, Germanum ac Philippum ad hanc Sedem evectum ab Ecclesia Constantinopolitana? & cur schismaticam notam illis appingit absque causæ æquitatem? Nam & pulsis Bulgaris an. 1019. usque ad Leonem Achridanum infensissimum Latinorum hostem, annon præfici potuere Achridæ Catholici Archiepiscopi? Num de ipso Davide licet dubitare, a Romano, an a Constantinopolitano Patriarcha dignitatem hanc obtinuerit in summa Bulgaricarum rerum perturbatione, de qua jam sumus acturi? Immo Germanus Davidem præcessisse oportet, cum Bodini & Prespæ in Macedonia hanc gubernaverit Ecclesiam, Bulgaris adhuc ibi imperantibus; & Davide Archiepiscopo Macedoniæ ac Thessaliæ provinciis Græci potiti fuerant. Jam vero Germanus inter an. circ. 970. quo Damianus obiit, & an. circ. 1000., cui Archiepiscopatus Davidici initia tribuimus, commode suum mu-

Germanus Archiep. Achridanus an. inc. (margin)

de quo opinio Assemani rejicitur. (margin)

nus

Digitized by Google

nus gesserit, Græcis an Romanis addictus, is scit, cujus est sapientiæ omnia nosse.

Hoc Archiepiscopo, res Bulgaricæ concuti primum & labefactari, deinde ruere cœperunt. Cum rex Petrus jam obiisset, ejusque filiis spes regni prorsus esset adempta, Bulgaricum imperium quatuor cujusdam Comitis potentissimi filiis, unde Comitopuli appellati, traditum fuit administrandum. Fuere hi David, Moyses, Aaron, & Samuel, cui etiam Mocrus nomen. Extinctis fratribus, Samuel Bulgariæ universæ solus dominatus est, vir bellicosus, qui Serbliam primum armis exagitavit, & regem Uladimirum persecutus est, quocum pacem iniit, Cossara filia illi connubio juncta. Postea suis nimium confisus viribus bellum Græcis intulit, ac in Thraciam & Macedoniam, in Thessaliam, Græciam, ipsamque Poloponesum irrupit, plura vi oppida cœpit, reliqua late loca fœde vastavit. Hoc initium belli Bulgarici an. circ. 976.; quod annis ferme quadraginta continuatum Bulgaros attrivit, Græcos in summum amittendi nobilissimas provincias discrimen adduxit. Tum imperabat Basilius II. a deletis Bulgaris cognomen Bulgaroctoni adeptus, qui licet intestinis suorum motibus & armis civilibus alio distineretur, collecto exercitu ipse dux Samuelem aggredi statuit. Longum nimis foret cruenta prælia enarrare, cædes innumeras, urbium & agrorum miserrimas direptiones, quæ de hoc bello Græci historici fusissime describunt. Scopia, Sardica, Bidinum, Serbia tum Larissa, Adrianopolis, ipsa demum Achrida, & aliæ Bulgarorum sedes regiæ hostili furore aut dirutæ, aut eversæ aut desertæ civibus. Cum deinque an. 1014. die XXIX. Julii Basilius Bulgaros adortus ad Philippopolim ingenti strage illos prostravit adeo, ut Samuel celeri se fuga vix proripuerit ab hostium insequentium manibus. Multi Bulgari ea in pugna cæsi, multo plures capti, XV. ferme millium numero, quos victor ambobus oculis excæcatos hoc ordine ad Samuelem remisit, nempe in centurias divisos, quibus unus præesset monoculus ductor itineris. Samuel miserabili suorum adspectu perculsus corruit in terram semianimis, &, quamvis præsenti remedio paulliper recreatus, paullo post vitam finivit; meliore dignus sorte, si nimium ambitionis, & gloriæ acquirendæ œstum cautius temperasset. Nam de ejus religione quid affirmem nescio. Calo-Joannes, de quo superius, Samuelem adjungit Simeoni & Petro regibus, qui a Romano Pontifice regia ornamenta petiverint; nihil tamen hujusmodi mihi licuit uspiam comperire. Petri regis ad Latinos reditum in incerto reliquimus; quamobrem Bulgarica Ecclesia, quæ jam nutare cæperat, tam diuturno vexata bello, victoribus obsessa, & oppleta Græcis, qui Photianos errores audacius disseminabant, in præceps una cum regno cito videbatur volvenda, nec fomenta deerant Bulgarorum defectioni a Sergio II. Patriarcha Constantinopolitano, quo auctore sopitum schisma hoc tempore vehementius exardebat.

Samuel rex Bulgarorum, & bellum Bulgaricum.

Samuelis regis mors.

DAVID ARCHIEP. ACHRIDANUS V.

Erat is Archiepiscopus, cum mortuo Samuele, Joannes Bladoghstlabus Aaronis fratris filius Vladimirum Samuelis generum falsis deceptum juramentis, ut se, & Dyrrachium urbem ejus potestati dederet, interposita etiam *Davidis Archiepiscopi Bulgariæ* pollicitatione, nefarie interfecit an. 1015., uti ex Cedreno notum. Porro Samueli successerat Romanus seu Gabriel ejusdem filius; & hunc eodem anno Joannes e medio sustulit; statimque a Basilio regnum Bulgaricum veluti sibi debitum supplex impetravit, promisitque Græco Imperatori Bulgaros subjectos fore. Sed perjurii reus Basilio insidias struxit, & repente copias in Græcos movit; verum acie victus ad oppugnandum Dyrrhachium dum pergit, inito cum hoste prælio, confossus, qua manu incertum, occubuit, tertio jam anno regni incœpto. Imperator, de casu Joannis nuncio accepto, reliquias hostium quaquaversum instituit ut deleret, & capta Ilisso munitissima Bulgarorum arce, ubi regum thesauri reconditi fuerant, cum Strumitzam accederet Macedoniæ oppidum, David Archiepiscopus eo venit orator Mariæ Joannis viduæ, oblatis litteris, queis se Bulgaria decessuram spondebat, quibusdam propositis conditionibus. Quam clementer Basilius cum filiis excepit, pretiosa zona donavit, cumque de regni dimittendi negotio convenissent, & Bulgari proceres subjectionis & obsequii obtulissent sacramentum, ipsam, & quot supererant e regia nati stirpe Samuelis & Joannis honorifice haberi voluit; denique rebus compositis, & provinciis præsidio ducibusque munitis, inquit Cedrenus, *Constantinopolim rediit, invectusque triumphans per magnas fores aureæ portæ, ornatus corona aurea superbe cristata, præeuntibus Maria, Samuelis filiabus, & reliquis Bulgaris. Hoc modo prosequentibus cum victoriæ gratulantibus acclamationibus magnum templum iniit. cumque ibi carmine cantato, Deo gratias pro tam felici successu egisset, in Palatium abiit*, hæc gesta an. 1019. De Davide Archiepiscopo nihil præterea superest enarrandum; & quo anno vita defunctus sit, nos la-

David Archiep. Achridanus an. inc. ejus acta

belli Bulgarici finis.

Digitized by Google

latet, & quid de Romana Ecclesia senserit; vixit certe eo cursu annorum ferme viginti, cum ab an. 999. ad an. 1019. Sergius II., Constantinopolitanus Antistes acriter Latinos insectatus est, uti innui paullo superius.

regni Bulgarici interitus.

Victi Bulgari, & regno spoliati e Macedonia & Dardania in Mœsiam inferiorem, & proxima Thraciæ ac Scythiæ Ponticæ loca, quæ primitus occupaverant, permissu Basilii se receperunt. Sed cum Græcorum jugo premi indigne ferrent, sæpe tumultibus & seditionibus rempublicam exagitarunt. Michaele IV. Paphlagone Imperatore, cum Græcis aperto bello conflixere; a quibus post varias vices cœsi, fugatique arma posuere. Rursum Constantinum VIII. Monomachum adoriri paratos Dyrrhachii Præfectus secunda pugna confecit; ac demum sub Isaacio Comneno, qui Catharinam e regia Bulgarorum familia ortam sibi uxorem *Augustæ* nomine & dignitate copulaverat, in speciem quiescere visi sunt, dimidio ferme sæc. XI. Insequente XII. Græcum imperium civilibus discordiis agebatur in præceps; & dum cædibus & exsiliis Augustæ familiæ intra se, & regiis in ædibus dimicabant, neglecta rerum publicarum cura, Bulgari, arrepta occasione libertatis acquirendæ, & aviti regni restituendi, utrumque fortiter assecuti sunt. De his postea in Ternobensis Ecclesiæ historia disseremus.

Bulgaria in provinciam redacta a Basilio, Achridensis metropolis facies immutata est, & quæ Bulgaricæ gentis religioni dominabatur, Græcæ tantummodo Metropolitanæ Ecclesiæ nomen retinuit, ac in suas provincias jurisdictionem. Duos habeo post Davidem Archiepiscopos Achridanos, quos Bulgariæ appellaverim Antistites; ex his unus

PHILIPPUS ARCHIEPISCOPUS ACHRIDANUS VI.

Philippus Archiepisc. Achridanus an. inc.

Qui *sedit Lychnidæ qua deinceps Achrida;* ita auctor Catalogi a quo David omittitur. Achridam unam ferme urbem fuisse cum Lychnido, & Justiniana prima jam dictum; quare Philippus Achridæ munere Archiepiscopali fungebatur; verba autem illa hoc nolim sensu intelligas, Lychnidi nomen in Achridæ appellationem conversum fuisse post Philippi Archiepiscopatum; id quippe probatur falsissimum ex iis, quæ disseruimus. Philippus hic præponitur Davidi a Lequienio; nos aptius illum cum Assemano postponimus, uti in Davide exposuimus. Alter, qui Philippo successit, est

JOANNES ARCHIEPISCOPUS ACHRIDANUS VII.

Joannes Archiepisc. Achridanus an. inc.

Et ipse in Lychnide sedebat, ex Deure vico Agnondices præpositus monasterii sanctæ Dei Genetricis; hæc Catalogus. Deure seu Debre urbs erat Episcopalis sub Metropolita Thessalonicensi. Joannes e Cœnobio ad hanc regendam Ecclesiam evocatus illam Lychnidi idest Achridæ administravit.

Conjicit Assemanus, utrumque Archiepiscopum Philippum & Joannem hanc Sedem adeptos a Patriarcha Constantinopolitano, & inde cœteros quosque, sublata cum Ecclesia Romana communione. Assemani conjecturæ nostram opponimus. Uterque Antistes annos circ. viginti successione præfuere ab an. 1020., Davide mortuo, ad an. ferme 1040. quo Leo Achridana Ecclesia potitus est. Hoc temporis spatio Eustathius & Alexius Patriarchatum Constantinopolitanum gessere, qui videntur cum Romana Ecclesia concordiam fovisse, Eusthatius præsertim, Patriarchæ Œcumenici in Oriente titulum non ausus præferre, nisi ab Apostolica Sede concessum foret; vide Baronium ad an. 1024. & Cuperum in Chronol. Patriarch. Constantinopolitani tom. I. Aug. Boll. divinare igitur licet, Philippum & Joannem permissu Romani Patriarchæ, nec ab eo disjunctos Archiepiscopalem dignitatem servasse. Sed meræ utrinque conjecturæ. An. 1043. Michael Cerularius Constantinopolitanam, paulo ante Leo Achridanam Ecclesiam invasit, hisque nefariis ducibus fatale Græcorum a Latinis schisma perfectum obfirmatumque est.

Qui sequuntur in serie Lequienii Archiepiscopi Achridenses, a nostra, ut historiæ hujus postulat ratio, excludimus, omnes enim schismatico morbo misere laborarunt. Cumque Bulgari sæc. XII. & odio in Græcos commoti, & Romanæ communionis desiderio, despecta Achridana metropoli, alio Bulgaricæ Ecclesiæ caput & sedem transferre decreverint, Ternobum scilicet, de qua nobis restat agendum, Græci Achridæ ecclesiasticam metropoleos auctoritatem retinuere; & inde exorta schismatica Achridensis Ecclesia, cujus Antistites nunc *Achridæ*, nunc *Justinianæ primæ*, vel *Bulgariæ* Archiepiscopi solent inscribi. Aubertus Miræus lib. I. de notit. Archiepiscopatuum cap. 9. hoc memoriæ prodidit an. 1632. dum librum scriberet; *Cum ante aliquot annos nobis Antuerpiæ adesset Nectarius Achridanus in Bulgaria Archiepiscopus natione Græcus narrabat inter alia hunc sese titulum more majorum usurpare solitum —*

Ecclesia Achridensis schismatica.

Ne-

Digitized by Google

Nectarius Archiepiscopus primæ Justinianæ Achridæ, & totius Bulgariæ, Serviæ, Albaniæ & aliorum locorum -- Addebat sex esse metropoles, & decem Episcopatus nulli nisi Achridano Archiepiscopo seu Primati subjectos. Cum vero Curopalates in historia, & Theophylactus in epistola ad Græcum Episcopum Vidinensem apud Baronium ad an. 1073. graviter queruntur de Bulgariæ calamitatibus, quibus Serbli regionem & Ecclesias vexabant, provincias indicant, unde Bulgari fuerant ejecti an. 1019. diu enim Bulgariæ vetus nomen isdem insedit; nec ad Ecclesiam Bulgaricam, quæ vix stabat, sed ad Græcam ea mala referas oportet, cum Græci Antistites Achridæ dominarentur antiquæ Bulgarorum diœcesi; ubi, inquit, Nicephorus Gregoras lib. 1. Bulgaris in Mœsiam inferiorem pulsis, *nomen*, idest Bulgariæ, *velut aliud quoddam monumentum in Archiepiscopatu hæsit;* sed nulla in Bulgaros jurisdictio. Lequienius subdit, sex metropoles, & decem olim in Exarchia fuisse Episcopatus; nescio, quo id auctore affirmet; & miror, ne unius quidem ab eo mentionem fieri, qui cuilibet metropoli, aut Exarchatui Ecclesias adjicit illi subjectas. Achridanus Exarcha Græcus septem nunc imperat Metropolitis, Castoriæ, Pelagoniæ, nunc Bitalia & Perleapi, Edessæ, hodie Bodina vel Boddua, Coristzæ & Selasphori, Belegradorum & Canviæ, Tiberiopolis sive Stramnitzæ, vel Strumnitzæ & Grebenorum vel Grebeni; præest præterea septem Episcopatibus, Sisanii, Moglinorum seu Moglenorum, Molaschorum seu Moleschi, Presporum, Debrorum, Citzaborum, Coræ & Mocræ; hæc ex recentioribus Ecclesiarum notitiis Græcis in laudato Lequienio. Nunc de Achridensi Ecclesia Latina.

Quo tempore Latini Archiepiscopi curam regendæ Ecclesiæ Achridanæ susceperint, difficile est statuere. Ineunte sæc. XIII. Græcorum in Europa imperium partim in factiones seditiosas scindebatur, partim cum regia urbe Gallis & Venetis parebat. Serbli, Hungari, ipsique Bulgari, vel armis Græcos lacessebant assidue, vel inter sese de provinciarum possessione certabant; dum Christiana respublica iis in locis aut eversa jacebat, aut erroribus infecta, & Schismaticorum Antistitum obnoxia regimini veræ Fidei splendorem, & religionis amiserat sanctitatem. Quæ detrimenta Catholici nominis Innocentius III. repetitis in Bosnam, Bulgariam, aliasque provincias legationibus sarcire enixe studuit; Veneti etiam & Ragusiensis Respublica eodem studio flagrarunt, ut subjectas sibi ditiones, & finitimas Dardaniæ seu Rasciæ, ac novæ Epiri gentes ad rectum Dei cultum & ad Romanam Ecclesiam revocarent. Eluxit tum S. Sabbæ Serbiensis Archiepiscopi ardor in expellendis hæreseon & vitiorum tenebris a cuncta, quæ late ei suberat, diœcesi. Et paullo post missi a Gregorio IX. Evangelici operarii e religiosis Divorum Francisci & Dominici Ordinibus horridam & jam arefactam Domini vineam incredibili animarum fructu excoluere. Ut igitur aliæ tum restitutæ, aut traditæ Latinis Ecclesiæ fuerunt, haud secus Romanos Pontifices sollicite de Achridana metropoli existimo cogitasse. Nullis quidem monumentis innotescit annus, quo creati Romani ritus Antistites Achridæ; nec a quo Pontifice electi, nec qui extiterint, primi, detegere potuimus. Attamen cum an. 1320. unus tandem in lucem prodeat Archiepiscopus Achridanus, verisimile est, inito, seu dimidio sæc. saltem XIII. ab Honorio forsitan III. forte a Gregorio IX. e diuturno squallore fuisse Achridam erectam, & Latinæ redditam Ecclesiæ. Status hujus Archiepiscopatus, suæque diœcesis fuerit, opinor, ærumnosus novis Metropolitis, & modici proventus; bona enim Ecclesiæ sibi Græci Antistites arrogabant; quidquid præterea esset fundi & juris ecclesiastici dissipatum vastationibus & rapinis militaribus, aut ab iniquis possessoribus usurpatum nihil sacris administris præbere potuit eorum victui, cultuique, & in Ecclesiarum usum atque ornamentum necessarium. Certo constat, quo ditiores per Bulgariam & Serbliam aliaque circum loca Græci Episcopi commoda utuntur vita, eo Latinos egentiores vix Romanis subsidiis & piorum largitionibus sustentari. Sed de re Achidensi ecclesiastica, & de diœcesi sparsim ea dicam, quæ tabulæ Romanæ suppeditant. Atque hic seriem Achridensium Archiepiscoporum subtexere incipio, quorum nomina & acta injurias temporum & vetustatis effugerunt.

Initium Ecclesiæ Achridensis Latinæ.

Archiep. Achridenses Latini.

Archiepiscopi Achridani Latini.

I. Nicolaus an. 1320.
II. Matthæus an. 1517.
III. Raphael an. 1647.
IV. Andreas an. 1651.
V. Franciscus an circ. 1657.

NICOLAUS ARCHIEPISCOPUS ACHRIDANUS I.

Nicolaus Archiep. Achridanus an. 1320.

In libris expens. Cam. Apostol. tom. 62. pag. 95. t. legitur; *an.* 1320. *die* 18. *Junii soluti Nicolao Archiep. Achridano & An-*

Andreæ Croensi &c. floreni 100. *auri;* ut eorum levaretur paupertas. Hinc recte arguimus, præcessisse alios Achridenses Antistites, quorum memoria intercidit & modicos fuisse hujus Ecclesiæ proventus. Post Nicolaum Ecclesia Achridensis suo caruit Pastore annis fere ducentis. Creverant eo tempore Turcarum vires, & effrænis audacis, qui bella e bellis serentes nunc Græcos Serblosque, nunc Bulgaros & Hungaros præliis & populationibus adeo fatigarunt, ut, capta ab iis Constantinopoli an. 1453., trans Istrum depulsis Hungaris, eæ gentes eorumque regna in barbaricam servitutem ceciderint. Tum Achrida, quæ post Græcorum dominationem Serblis, & Hungaris paruit, Turcarum subiit tyrranidem, a qua nunquam libera hactenus crudeliter premitur. Initio sæc. XVI. Europa respirare visa est ab immania hostis terrore & minis; quare Leo X., ut aliquod Catholicis Achridensibus afferret solamen, Archiepiscopum illis præfecit an. 1517. Fuit is

Interregnum Archiepiscopale.

MATTHÆUS ARCHIEPISCOPUS ACHRIDANUS II.

Matthæus Archiep. Achridanus an. 1517.

E familia Vivaria, & Ordine S. Francisci, *an.* 1517. *providit F. Matthæo de Vivariis in titulum Ord. Min. Convent. de Ecclesia Achriden. in partibus Infid. concessitque Pontificalia in Eccl. & diœcesi Ragus. tantum de consensu, & quod non teneatur &c.* ex tabulis Romanis. Matthæus, cum Ragusii degeret, haud parum suo gregi potuit prodesse ope Ragusiensium civium, qui mercaturæ causa ad ea loca itabant Catholicæ religionis protegendæ studiosissimi. Sed rursum a Turcis bella & cædes, ac novæ Catholicorum vexationes atque calamitates; nec ullus Acridæ datus est Antistes, nisi post integrum sæculum, cum creatus est

RAPHAEL ARCHIEPISCOPUS ACHRIDANUS III.

Raphael Archiep. Achridanus an. 1647.

Origine Chrobata, natus est ex honesta familia Levacovichia in oppido Jatroberatchæ, atque pietate domi excultus ac litteris arctiorem D. Francisci disciplinam professus est. Vir ingenii summi, magni animi & eximia scientia & eruditione præditus Romam se contulit jussu Pontificii in Germania Internuncii, ut ex mandato Urbani VIII. Illyricæ typographiæ præesset in Collegio de Propaganda Fide; ibique Missale & Breviarium Slavonicum quanta maxima potuit fide ac diligentia emendavit; utrumque vero Codicem ab eo recognitum & emendatum Sacra Congregatio Romanis typis committendum curavit. Erat Romæ an. 1638. ut Ecclesiastica ageret negotia Benedicti Vinkovichii Episcopi Zagrabiensis, cui apprime charus erat & intime familiaris. Quare in Chrobatiam reversus illi adstitit consilio & opera; ferunt vero, cum Semandriensi Ecclesiæ suus deesset Antistes, egisse Benedictum apud Ferdinandum III. Imp. ut Raphaeli gubernanda traderetur; sed non probata a Romano Pontifice Cæsarea Raphaelis nominatione, illum sibi in Episcopatu adjutorem Vinkovichius poposcit ab Apostolica Sede; qua etiam spe frustratus, an. rursum 1642. sategit, ut, vita functo Valachorum Episcopo Martino Petrovichio, unus Raphael ad eam dignitatem conscenderet, gravibus tamen obortis impedimentis, Raphael ipse ab hac se cogitatione & cura liberari obtinuit; de Episcopis Valachis, qui & Marchenses, vide dicta tom. v. pag. 568. Post hæc ad urbem rediit, & nescio quid negotii illi a Capitulo Zagrabiensi creditum fuit nimirum, ut sibi liceret veterem liturgiam retinere, iis emendatis, quæ minus Sacræ Rituum Congregationi placerent; verum ab incœpto destitit, adversante Urbani VIII. decreto de antiquandis nonnullarum Ecclesiarum vetustis ritibus, de quo, deque Zagrabiensis Ecclesiæ liturgia actum a nobis est eodem tom. v. pag. 570.

De illo quædam memoria digna.

Romæ cum ejus virtus & doctrina eluceret clarius, & Ecclesia Achridensis tot annis deserta suum efflagitaret Antistitem, quo amanti & provido illius levarentur calamitates, Innocentius X. haud alii potius, quam Raphaeli grave illud Archiepiscopale munus & laboriosissimum committendum censuit; quare an. 1647. *die* 27. *Maji prov. Eccl. Achridanæ a pluribus annis vacanti de pers. Fr. Raphaelis Levacovich ord. Min. S. Francisci strict. observ. cum assignat. scut.* 200. *pro congrua sustent. juxta decretum Sacr. Congreg. de Propag. & datum Pallium præsenti Romæ secunda Julii,* ex tab. Rom. Raphael triennio præfuit; ejus acta nobis ignota; fortasse nec suam invisit Ecclesiam, Cretensi Venetorum bello adversus Turcas impeditus; quo tamen tempore dicitur is antiquum Primatis Serbliæ ac Bulgariæ titulum ab Innocentio X. obtinuisse, haud aliter, quam Justinianæ primæ Archiepiscopi eo olim cum potestate utebantur. Sperabat enim fore, ut victricibus Venetorum armis provinciæ veteris Exarchatus e Turcarum tyrranide prorsus liberæ rursus sui Primatus juri & imperio subjicerentur, restituta ubique Catholicæ fidei professione. Extant illius

fit Archiepiscopus.

obit.

ejus scripta.

Digitized by Google

illius ingenii & eruditionis testes libri aliquot; plerique, quod ego sciam, nunquam editi; Commentarii scilicet Ecclesiæ Zagrabiensis, Annales regni Hungariæ, et Historia universalis gentis Illyricæ, opus ingentis laboris, e quo excerpta aliquando retulimus in nostri Illyrici tomos; editus verum ab eo est Dialogus de antiquorum Illyriorum lingua, quem inscripsit Francisco Barberino Cardinali, ibique inseruit nobile elogium patroni sui Benedicti Vinkovichii a nobis in Episcopis Zagrabiensibus allatum.

ANDREAS ARCHIEPISCOPUS ACHRIDANUS IV.

Andreas Archiep. Achridanus an. 1651. De quo vide jam dicta in metropoli Scopiensi. Hanc vero Ecclesiam regendam accepit ab Innocentio X. an. 1651. ad quam Simeon de Summis transferri e Sappatensi cupiebat; 27. *Februarii* 1651. *providit*, Innocentius *Eccl. Ocriden. per ob. Raphaelis Archiep. de pers. Andreæ Bogdani &c.* ex actis Consist. Potior Andreæ cura fuit invisendi suam diœcesim, ac provinciam, quam illico peragravit cum Marco Crisio Apostolico viro, cupius merita ad Antibarensem metropolim illum postea extulere. Sed non leves cum Episcopo Prisrensi contentiones Andreæ animum plurimum exagitarunt; de quibus hæc Marcus Crisius, antequam Antibarensi Ecclesiæ præficeretur, in suis ad Sacram Congregationem litteris VI. id. Augusti an. 1652. ejus cum Episcopo Prisrensi contentio. *Cum Serbliam Achridanus Archiepiscopus & ego obiremus, deprehendimus, hanc provinciam ab Antistite Prisrensi lustratam fuisse, quam sui juris esse Achridanus contendit allatis monumentis, & litteris etiam Sacræ Congregationis ad Prisrensem, queis monetur, ne fines suæ diœcesis excedat. Serbliani nostro adventu haud parum commoti sunt, incerti nimirum cui debeant parere. Archiepiscopus prudenter privatum se gessit, neque ex hujusmodi litigio offensio animos læderet Catholicorum. Rogavi utrumque, ut ab exercendis Pontificalibus muniis se abstinerent, donec a Patribus his dirimatur; & ita statutum; sed Prisrensis ad suam Ecclesiam regrediens cum Chrismatis sacramento inungere Catholicos vellet, ab iis pacti consciis prohibitus est*, ita Crisius. Hinc discimus, Serbliam in potestate stetisse metropolis Achridanæ eo jure, quo antiqui Exarchi Justinianæ primæ, Dardaniæ, & Mœsiæ superioris nomine, seu Daciæ mediterraneæ, & Bulgarorum primi Archiepiscopi potiti fuerant, quodque sibi adhuc servant Schismatici Metropolitæ. Hisce a Crisio cognitis, Sacra Congregatio limites utriusque diœcesi constituit; cumque Prisrensis ejus decreto non acquiesceret demum trium Cardinalium Capponii, Cecchinii & Azzolinii opera ac studio ita conventum est, ut Metropolita Achridanus ad Prisrensem Episcopatum transire, transit ad Scopiensem Ecclesiam. addito titulo Archiepiscopi Scopiensis cum Serbliæ administratione, & Prisrensis Episcopus titulum sumeret Achridensis metropolis, & quæ circum erant Bulgariæ loca procuraret, ac harum diœceseon fines a fluvio Morava dividerentur. Hoc modo sopita siluit controversia, quæ rursum experrectior graviores turbas excitavit, postquam uterque Sedem commutaverat.

Archiepisc. Achridani IV. Græci e schismate conversi. Atque per hæc ferme tempora quatuor Achridenses Græci Archiepiscopi, dimissa Achridana Ecclesia, & ejuratis, quos profitebantur, erroribus, Apostolicæ Sedi obsequentissimos sponte semet devoverunt; Porphyrius, Athanasius, & Abrahamus, qui successione Achridæ præfuerant; hosque commemorat Allatius lib. 3. de consens. utriusque Eccl. cap. XI. num. 1. Lequienius inter Archiepiscopos Achridanos, alium adjungit Anonymum, teste Urbano Cerrio lib. de statu Eccl. universo; isque Romæ, Alexandro VII. P. ejus communioni se addixit. De Athanasio habes pluva tom. VII. pag. 382. cujus tamen ad Pontificem litteras hic lubet adnectere, uti ex tabulis Romanis eas accepimus.

Litteræ Athanasii Archiep. Achridani Græci ad Pontificem. *Athanasius miseratione divina Archiepiscopus novæ Justinianæ, & Patriarcha Achridanus, Serviæ, Bulgariæ, Secundæ Macedoniæ, Ponti Occidentalis, & aliarum Diœceseon Primas Sanctissimo, & Summo Pontifici, Successori Principis Apostolorum Alexandro VII. in Christo salutem. Debitam reverentiam trado maximæ tuæ Beatitudini, precans Christum verum Dominum, ut sanus sis, & felicior vivas secundum divinissimum tuum, & sanctissimum corpus ad multos prosperos annos, & constitutionem, & instructionem Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ.*

Scito igitur Beatissime Pater, quod anima nostra sitiebat uti Cervus ad fontes Catholicæ unionis. Cum vero pervenisset ad nos sanctissimus Metropolita Dyrrachii, & Dalmatiæ Simeon, potavit nos ex lacte, quod hausit ab uberibus Ecclesiæ, & repleta est anima nostra. Propterea mittimus ad vestram Beatitudinem uti nostram personam, ut fiamus digni tua benedictione, et Apostolicæ Cathedræ Filii restituamur.

Cum vero nos in medio turbarum, et tentationum simus incredulitatis, noster Frater et Comminister Simeon tuæ Beatitudini annuntiabit quæcumque a nobis audit.

Digitized by Google

dit. Nos porro precamur semper Christum Deum, ut tibi concedat Regnum nunquam finem habiturum cælorum; qui tribuat nobis tuas Sanctas, et Deo amabiles benedictiones, in universa vita nostra salutares. Salve in Domino. Anno 1659. *Mense Januario, die* 12.

Tuæ Beatitudinis Frater, et Comminister Patriarcha Achridanus Athanasius.

Laudatus Lequienius conjectura existimat, Abrahamium, de quo Allatius, eumdem esse, atque Abraham, qui Porphyrium in Archiepiscopatu præcesserat, cujusque hanc narratiunculam subjicio haud contemnendam. Hic ante an. 1630. Possonium in Hungariam profectum se esse testatur, ut est in actis S. Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Alex. apud Bollandum die 23. Jan., ut illius corpus veneraretur, quod ibi quiescere acceperat a magno Logotheta Constantinopolitano nonaginta annorum sene, & a Turca rege dono datum Matthiæ Corvino. De possessione hujus sacri corporis lis est Hungaros inter & Venetos, quam erudite, & perspicuis monumentis dirimit Flaminius Cornelius tom. 4. monum. Eccl. Ven. ubi de Eccl. S. Joannis Eleemos. & quod Venetiis colitur, verum esse Joannis Alexandrini corpus invicte probat; quod Possonii, Joannis est Jejunatoris Patriarchæ Constantinopolitani, cui & *Eleemosinarii* titulus jure debetur ob ejus effusas in pauperes largitiones; hinc Joannes Langus Ferdinandi Imp. a consiliis cum an. 1552. Basileæ ederet a se in Latinum sermonem versam historiam Nicephori Callisti, ubi Græcus scriptor eloquium texit Joannis Jejunatoris, *alii*, adnotat *Joannem Eleemosynarium* vocant, sacrosque cineres Budæ asservatos, unde Possonium translati sunt; illumque *Sanctum* appellant Græcorum, atque Moscorum Menæa. Cæterum de illius sanctitate ambigendum censet Guillelmus Cuperus in hist. Chronol. Patriarch. Cp. tom. 1. Aug. Boll.

FRANCISCUS ARCHIEPISCOPUS ACHRIDANUS V. ET POSTREMUS.

Franciscus Archiepisc. Achridanus an. 1657.

Natus est Chiprovatii nobili Bulgariæ oppido ex honesta familia Svimirovichia, in qua pie educatus & humanis excultus disciplinis primam transegit ætatem. Postea Ordini Minorum S. Francisci adscriptus est, & virtute ac doctrina adeo profecit, ut dignus haberetur, quem Innocentius X. Prisrenensi Ecclesiæ in Serblia præficeret. Fuit illi dissidium de finibus diœceseon cum Archiepiscopo Achridano, de qua componenda dum agebatur, Achridensis ad Scopiensem metropolim transire jussus est ab Alexandro VII. & Franciscus e Prisrenensi ad Achridanam an. circ. 1657. & insequenti datis litteris v. Kal. Decembris ad Sacram Congregationem, a se jam triennio in Bulgaria versari scribit & Chiprovatii, quo secesserat cum suis presbyteris, ibique præstolari a Patribus eorum jussa; etenim sui Archiepiscopatus provinciæ ab aliis Metropolitis Sophiensi scilicet & Scopiensi administrantur, sibique locus non exstat, ubi Pontificali fungatur auctoritate & munere. Achridæ vero nemo exstat Catholici ritus et dogmatis cultor; hæc Franciscus, veteres denuo contentiones suscitans adversus Andream Bogdanum, dum hic Achridæ sedebat, et pro sua Scopiensi contra Achridanam Francisci jurisdictionem pugnabat; & Franciscus quidem Justinianæ primæ Exarchatum sui juris esse ajebat, quod Innocentius X. litteris an. 1647. die 15. Junii Raphaeli Archiepiscopo confirmaverat; interea, inquit, Scopiensis Antistes Serblianum regnum cum subjectis provinciis, Sophiensis Daciam ripensem sibi vindicant. Cæterum, ut vere dicam, Scopiensis erat solummodo Administrator omnium Ecclesiarum, quæ tum in regno Serbliæ carebant Episcopis; et Sophiensis Metropolita Daciam ripensem non solum regebat, verum et Thraciæ partem aliquam, sed Pontificis jussu, quæ a nobis dicta pag. 21. et 72.

ejus litteræ ad sacram Congregationem,

Cum itaque litteræ Francisci Patribus lectæ fuissent, et de dissidii causis fieri certiores vellent, porrecta uni ex illis hæc relatio est; post nimirum divisionem illam finium, quam paullo superius descripsi in Andrea Archiepiscopo, animadvertisse Franciscum, inanem esse et vacuum Achridensem Archiepiscopatum, cui nihil superest præter urbem, ubi ne vestigium quidem visitur Catholici cultus; hic rumore nescio, quo commotus, Raphaelem Archiepiscopum Primatis titulo et jure auctum fuisse ab Apostolica Sede, eodem, quo Justinianæ primæ Exarchi præditi fuerant auctoritate, hanc is sibi per Bulgariam in Episcopos omnes arrogavit; Franciscum male conqueri de divisione; poterat enim ante inquirere rei statum, quam illam probaret. Verendum ne inconstanti agatur animo et ambitioso. Chiprovatii quidem degebat non in suo Cœnobio, quod decentius, sed in domo paterna. Nunc Precopiæ habitat in diœcesi Scopiensi, tanquam Episcopus, et pensionem efflagitat a Sacra Congregatione prius negatam, cum a sua abesset diœcesi, quia locus illi non est, ubi conquiescat; hæc de Francisco aliquantum acerba ex relatione scripta pridie idus Martias an. 1659.

& controversia cum Archiepi. scopo Scopiensi.

Qua in causa Patres æque juste agendum,

Digitized by Google

dum, atque clementer censuere. Aderant tum Romæ Petrus Bogdanus Episcopus Scodrensis Andreæ Archiepiscopi nepos, et Petrus Adeodatus Sophiensis metropolita; auditæ utriusque sententiæ, et Sophiensi mandatum, ut scripto totius controversiæ integram traderet narrationem, quo nova decerneretur locorum finiumque divisio pro horum Antistitum dignitate, et commodo. Sed dum in Sacra Congregatione consulitur, Archiepiscopus Scopiensis, cui data jussio suæ diœcesis describendæ, litteris ad eandem an. 1659. die Augusti 10. affirmavit primam quidem divisionem profuisse quam plurimum provinciarum quieti atque saluti; sublatæ lites, pacati Episcopi, Parochi ferventiores, populi tranquilli, parti fructus non modici religionis atque pietatis? sin nova fiat rerum conversio, is est earum Ecclesiarum status, ut priores exorituræ sint turbæ, et populorum graves offensiones tam subita proximi decreti, et litterarum Apostolicæ Sedis mutatione. Nullum mihi est monumentum, ex quo finem controversiarum cognoscam; & fortasse nihil a Patribus definitum est tum ob materiæ implexas difficultates, tum consilio sedandi interea lenibus remediis dissidii.

plures lustrat & administrat Ecclesias. Equidem Franciscus a Sacra Congregatione postea destinatus est pluribus iisque honorificis & magni momenti obeundis muneribus. Anno 1661. in Bosnam venit, ut ortum schisma inter Patres Franciscanos compesceret, & ad concordiam dissidentes revocaret. Anno post eum titulo & potestate Visitatoris Apostolici eam provinciam lustravit, & conatibus obstitit Patriarchæ Ipekiensis, qui jurisdictionis dilatandæ cupidus vetuerat, ne absque ejus permissu Patres Franciscani rem divinam facerent, & sacris mysteriis plebem Christianam impertirent. Invisit etiam jussu Pontificis aliquot trans Savum diœceses; & his perfunctus excursibus Apostolicis iter Romanum aggressus est, ut a se acta Pontifici significaret, & rebus suis opem posceret, atque subsidium. Anno 1663. XII. Kal. Decembres in Bulgariam rediit. Tum Valachiam peragravit, Nicopolitanæ, Sophiensis, & Marcianopolitanæ Ecclesiæ administrationem suscepit, ut sacræ Congregationis pareret jussis, multumque illi fuit adlaborandum, quo Paulianistas coerceret, & ab hæresi ad rectam fidem perduceret, de quibus vide narrata in ecclesia Sophiensi; nec minor eidem cura in Nicopolitana lustratione, cum hæc diœcesis sui Episcopi incuria non leve religionis detrimentum perpessa esset. Crebris litteris Sacram Congregationem de iis, quæ gesserat, quæque opus forent earum provinciarum saluti certiorem reddidit; ejusque opera, & indefessum pro servanda Catholica fide studium, & animarum incolumitate promovenda impense commendarunt Patres. Chiprovatii demum consedit, ubi reficiendæ causa, & ornandæ Ecclesiæ suæ Cathedralis aliis litteris Romanum adjumentum enixe poposcit; & hinc licet intelligere, Sacræ Congregationis concessu ibi Sedem ab eo Archiepiscopalem delectam, & quæ Pontificalis erant dignitatis atque officii quiete ac libere fuisse peracta. Post annum 1666. quid illi contigerit omnino nescio, & reliquæ ejus vitæ memoriam comperio nullam. Postremus certe fuit Achridanus Archiepiscopus, & ejus obitu concidit nobilissima Ecclesia, & tot sæculis diverso licet titulo in Ecclesiastica historia metropolis celeberrima. Achridensis provincia finitimis committi solet Episcopis; nunc subesse puto Episcopo Nicopolitano, cui aliarum credita est diœceon cura. Atque de subjectis Achidensi metropoli Ecclesiis, cum Latini Archiepiscopi fuere instituti sæc. XIII., mentio nulla in Geographis sacris & in tabulis Romanis, si Prisrensem Episcopatum excipias, qui vulgo huic Ecclesiæ adscribitur, & de quo nunc pauca dicam, quæ temporum effugerunt injurias. fuit Archiepisc. postremus.

EPISCOPI PRISRENSES.

CUm in tomo VII. de Ecclesia Priscensi ageremus pag. 409., perspicue probatum est, hanc a Prisrensi esse diversam; Prisrensem vero male cum Achridana metropoli confundi; quin & falsum est, e Prisrensi Episcopatu Justinianæ primæ, deinde Achridæ Archiepiscopatum originem traxisse; de quibus & Bremondus tom. 2. Bull. Dominic. in Append. de Episcopis sui Ord. a Bonifacio IX. creatis an. 1404. & Lequienius tom. 3. Orien. Christ. pag. 953. perperam opinati sunt; jamque cum ipso Lequienio tom. 2. pag. 282. statuimus multo superius una serie Lychnidensibus Justinianeos, hisce Achridanos Antistites successisse. Prisra itaque, unde Ec- Prisrensis urbis & Ecclesiæ notitia.

 cle-

clesia Prisrensis, de qua disserimus, Prisna etiam dicta, a Pistrina omnino distingui debet; hæc enim ad Cassovi planitiem & campum Merulæ assidet in Scopiensi territorio, illa in extrema Serbliæ parte Rasciam versus sive Dardaniam prope abest a Drino, qui vulgo Niger, flumine quique Albus a nobis per errorem dictus est pag. 402. tomi VII. Pagina 2. hujus tomi diximus Prisnam in Scopiensi diœcesi censeri ceu pagum cæteris nobiliorem; id ex ore didici honesti cujusdam viri Epirotæ, qui ea loca inviserat mercaturæ caussa. Quare arguere necesse est, Prisram, Episcopatu antiquato cum Achridana metropoli, in deteriorem prolapsam fuisse fortunam, & Scopiensi attributam Metropolitæ; de his plura inferius. Hic autem Baudrando non assentimur, cum Prisnam esse eamdem urbem autumet atque Ulpianam, seu Justinianam secundam, de qua in hoc tomo actum; & fallitur Orbinus pag. 68. qui Prisnam Justiniani Imp. patriam appellavit. Idem pag. 278. scribit Prisrenam a rege Turca fuisse expugnatam an. 1414. quam mœnibus cinctam hodie, uti ferunt, cives incolunt decem millium numero, & nobilis præ multis circum oppidis habetur.

Urbis originem frustra est inquirere; de illa enim silent veteres Geographi; & pauca produnt Scriptores Græci; fortasse a Serblis aut a Bulgaris ortum habuit & nomen. Sed neque Prisrensis Episcopatus initia novimus, nam monumentis caret Holstenii opinio, qui Paullum Prinatenum memoratum in Geographia Sacr. Caroli a S. Paullo pag. 201. veluti ignotæ urbis Antistitem Prisnensi donat Episcopatu. Paullus an. 458. subscripsit epistolæ Synodicæ Episcoporum Epiri novæ ad Leonem Imp. quo tempore nondum Prisra seu Prisna nata erat, & si tum velis extitisse, nunquam vero provinciæ Epiri novæ fuit adscripta; vide tom. VII. in Ecclesia Drivastensi & Luca Archiep. Dyrrhachiensi I. Reor ego, Episcopatum Prisnensem cœpisse, cum primo creati Archiepiscopi Achridani Latini, quorum adjumento hæc Ecclesia instituta adversus Schismaticorum insolentiam, nequid Catholicis hominibus aut damni inferrent, aut molestiæ, cum Græcanici quoque ritus Episcopi Prisnæ præsint, Prizrenenses in Panagiæ dicti sub Patriarcha Ipekiensi. Cœterum quæ de Prisna hactenus & brevi diximus, eorum judicio probanda vel rejicienda subsint, qui ea loca norunt, in iisque degunt; nos quippe inde nimium remoti ea tantummodo possumus proferre, quæ aliorum fide nituntur atque testimonio. Non est tamen omittendum, quod Petrus Massarechius Archiepiscopus Antibarensis affirmat suis ad Sacram Congregationem litteris an. 1633., Prisram nobiliorem fuisse olim inter Serblianas urbem tum situ, tum civilium & sacrarum ædium magnificentia, quas Serbliæ reges ædificaverant, nunc solo æquatas; & quamvis posita extra cursum publicum aeris amænitate, dulcium aquarum copia, & vini celebritate laudatur; haud dives opibus sed molendinorum opere ac lucro necessaria plura comparat victui cultuique. Marcus autem Crisius cum an. 1653. Serblianam provinciam invisisset anno ante, quam Antibarensem adipisceretur Ecclesiam, aliis litteris ejusdem anni Romam missis Prisrensem diœcesim hisce describit. Prisnæ una tantum extat Ecclesia, huic titulus Deiparæ in cælum Assumptæ; tres ibi degunt sacerdotes; Catholici in urbe, & per territorium sexaginta supra nongentos; potior pars mulierum, quæ, si innuptæ, aut recens nuptæ, Ecclesiam non adeunt, nisi sacris majoris Hebdomadis diebus. Præter oppida septem hæ urbes parent Episcopo Prisrensi, Pecchia & Rogovum absque Ecclesia; Jaccovi una lignea Ædicula; Romanæ communionis incolæ ubique paucissimi; hæc ex Crisio. Vetustum Prisræ templum incensum corruit an. 1592. & flammis abjumpti periere Codices plurimi vetustissimi; urbi proximum est Monasterium Deciani, sedes Patriarchæ Ipekiensis; tum aliud S. Archangeli, ni fallor, ubi conditum corpus Stephani Neemanis Serbliæ Imperatoris

Antistitum Prisrensium ne vestigium quidam ullum superest ad sæculum usque XVII. Ex his quatuor tantum nobis suppeditant tabulæ Romanæ, quos breviter recenseo.

PETRUS EPISCOPUS PRISRENSIS I.

Cognomento Catich initio sui Pontificatus electus a Paullo V. De ante diœcesis finibus acriter contendit cum Petro Massarechio Antibarensi Vicario & Administratore; sed inquieti, uti videtur, animi vir jussus est ab eodem Pontifice Belgradum secedere; & in Cœnobio Franciscanorum Bosnensium reliquam vitam exegit. Cum Massarechius Constitutiones ederet Synodales an. 1617. de quibus in tom. VII., his subscripsit *Marcus Relacius Parochus S. Mariæ Assumptæ de Priscren.*, hinc & a Petro abdicatam suam Ecclesiam arguo, & a Massarechio fuisse administratam loco Achridani metropolitæ, qui nullus erat; eodemque fungebatur munere an. 1633. visum quippe erat Patribus sacræ Congrega- — Petrus Catich Ep. Prisrens. I.

ga-

gationis, non esse tum Episcoporum numerum in Serblia augendum. Neque ante an. circ. 1650. creatus est ab Innocentio X.

FRANCISCUS EP. PRISRENSIS II.

Franciscus Ep. Prisrensis an. 1660. De quo in Ecclesia Achridana saxis. Anno 1660. Archiepiscopus Scopiensis Prisræ sedebat, hujus diœcesis Administrator, & quævis Parochi officia sedulo exercuit. Postea de novo Episcopo creando Romæ actum; isque fuit

FELIX EPISCOPUS PRISRENSIS III.

Cognomen illi Bernabei; hanc Ecclesiam rexit sub exitum sæc. XVII. cui successit

JOSEPH ANTONIUS EP. PRISRENSIS IV.
ET POSTREMUS.

A Clemente XI. electus an. 1705. *per ob. Felicis Bernabei*; in Monte nigro ortus erat e familia Jaspa; unoque tempore *Compostellanus Suffraganeus* dictus; ex actis. De utroque Episcopo hæc unice nota; neuter Prisram adivit, quæ sui Episcopatus nec umbram retinet; cum ferme nulli supersint Catholici. Joseph Antonius Ep. Prisrensis an. 1705.



EC-

Digitized by Google

ECCLESIA TERNOBENSIS.

ARCHIEPISCOPI TERNOBENSES.

Ante præmittenda strictim nonnulla, quam tractationem hanc aggredior, de quibus et fuse dictum in Ecclesia Achridana, et copiose disseruit ope veterum scriptorum Assemanus tom. 3. et 4. de Kal. Univ. Eccl. et Bandurius tom. 2. de Numism. Impp. Rom. Anno circiter 1018. debellati Bulgari a Basilio Imp. et in Mœsiam inferiorem coacti se recipere, quam primum obtinuerant, mortuo jam Samuele eorum rege, tum Gabriele filio, et Joanne Uladislavo seu Bladisthlavo Aronis filio, ac Samuelis nepote, cum ea regio in provinciam a Græcis redacta fuisset, regnum Bulgaricum restituere moliti sunt. Hoc facinus primus aggressus est an. 1040. Deleanus quidam regiam originem mentitus; is comparato exercitu Græcos devicit, Michaele IV. Paphlagone imperante; tum Alusianus Uladislavi frater, Constantinopoli fuga elapsus, qua in urbe privatam vitam agebat, cum Deleano arma junxit; sed accepta ad Thessalonicam clade, et exorta inter Bulgaros principes discordia, ad Imperatorem confugit, cum Deleanum antea excoecasset; hinc Bulgari nullo duce instructi a Michaele deleti sunt, et imperio rursum subjecti. Boisthlabus quidem vir inter Bulgaros primus in Constantinum Monomachum denuo bellum movit, quod brevi exstinctum est. Exinde quievit gens Bulgarica; et e veteri regia stirpe ortam Aecatharinam sibi uxorem delegit Isaacius Comnenus, quam Augustam appellavit. Dimidio sæculo XII. cum Græcum imperium jam inclinare cœpisset, et viribus minui, hostibus circumseptum, et per provincias intestinis etiam dissidiis ac motibus labefactatum, Bulgari spe freti non dubia novi regni in Mœsia saltem condendi Græcorum excussere dominatum, et Asanem e veterum principum prognatum sanguine regem salutaverunt, & Græcos adorti secundis sæpe præliis usi sunt, frustra obsistente Isaacio II. Angelo Imperatore; et cum Fridericus I. Augustus per Hungariam et Thraciam in Orientem cum exercitu proficisceretur an. 1189. sacræ pro liberanda Palæstina expeditionis ductor, ferunt ab Asane rogatum, ut sibi regium diadema imponeret, & abnuisse illum, ne Græcos in itinere infestos, infensosque experiretur. Asanes, firmato an. circ. 1187. imperio, cujus partem Petro fratri regendam tradiderat, res Bulgaricas decem circiter annis egregie administravit. Sed ab Joanne consobrino suo fœde jugulatus est, cui Petrus in regnum successit; qui partis adversus Isaacium III. Angelum victoriis clarus popularis hominis gladio occubuit. Tum regia dignitas, & potestas Joanni a Bulgaris collata est, Asanis & Petri fratri, quem Nicetas Choniates *in Hæmimonte natum, & educatum,* Orbinus vero Zagoriæ ibidem seu Debelti Dynastam fuisse ajunt, quemque & Calojoannem & Joannicium nominant historici. Hæc gesta an. circ. 1195., & hinc Ternobensis Archiepiscopatus sumenda initia.

Restituitur in Mœsia inferiori regnum Bulgarorum.

Eorum reges usque ad Ioannicium.

Cum Bulgari Romanas provincias primitus occupassent, etiam Thraciæ partem aliquam, quæ Mœsiæ proximior, sibi subactam tenuerunt; sæculo vero nono Christianis sacris imbuti, a Theodora Augusta Teophili Imp. uxore, & Michaelis III. matre donati dicuntur oppido Debelti in Thracia munitissimo, quod tamen Crumnus eorum rex antea expugnaverat. Constat vero certissime, eos posteaquam intra Mœsiæ fines, & contermina Thraciæ loca a Basilio abacti sunt, Debeltum incoluisse, ubi Bulgaricorum conventuum, & rerum etiam sacrarum principem sedem constituerant, quam eorum lingua Zagoram dixere. Joannes autem, regnum adeptus Debelto Ternobum transtulit & regiam, & ecclesiasticam dignitatem, eamque urbem ad radices Hæmimontis positam tum sui imperii, tum Hierarchiæ Bulgaricæ caput voluit esse. Regni Bulgarici amplitudo sub Joanne, & qui secuti sunt, regibus complexa est non solum Mœsiam, sed Thraciæ quoque magnam partem, & Thessaliam, aliasque circum regiones; dumque stetit, imperium modo latius patuit, modo arctioribus constrictum est confiniis; at quæ nunc Bulgaria proprio dici debet vocabulo, ea Danubio in Septemtrionem terminatur, Serbliæ regnum attingit ad solis occasum, & ad ortum mare Ponticum, & meridiem versus cum Thraciæ jugis conjungitur; totus vero Bulgariæ tractus unam continet Illyrici Justinianei provinciam, nem-

Debeltum sedes regni Zagora dictum

Bulgariæ hodiernæ descriptio

Digitized by Google

nempe Mœsiam inferiorem; nam Tomitana, uti diximus, Illyrico nostro nunquam adscripta fuit. P. Antonius Melissano in Supplem. Annal. Waldingi tom. 9. pag. 143. partem Mœsiæ superioris hodiernæ Bulgariæ attribuit; quod abest a vero; Ciabrus enim linea quasi recta inferiorem Mœsiam a superiore quæ Serblianum regnum magna sui parte complectitur, & hoc a regno Bulgarico perfecte dividit; neque obest, siquando aut Bulgari sibi aliqua arripuerint Serbliana loca, aut Serbli Bulgarica; & vulgo in Bulgaria esse dicimus oppida & urbes ob regionum vicinitatem, quæ in Serblia sunt, et vicissim; præterea fallitur is, cum Serrajum Bosniæ metropolim in Bulgariam transfert. Itaque rex Joannes commodiorem in ipsa Mœsia nactus locum, ubi regia et sacra potestas et emineret fulgidius, et sua jura in regno universo exerceret, relicta Zagora seu Debelto, Ternobum ad hoc fastigium regiæ et ecclesiasticæ metropolis evexit; de qua non ante dico, quam Debelti ecclesiam; unde orta Ternobensis, describam; licet illa extra Illyricum Justinianeum sita olim fuerit; est tamen animadvertendum Mœsiam secundam cum Thracis, et viciniori Hæmimontis provincia conjunctam fuisse a Constantino M. uti in tom. 1. docuimus; hinc cum Mœsia hac Hæmimontis regio quasi confundi et permisceri visa est; cujus testis Athanasius Debelti Episcopus, qui, ut inferius patiebit, in Mœsia secunda Antistitem se profitetur.

EPISCOPI DEBELTI POSTEA ZAGORENSES.

urbis origo. Debeltum itaque, Develtus etiam, & Dibaltum, ac Debelium appellatum ab Historicis oppidum non ignobile in provincia tertia Traciæ dicta Hæmimonti situm fuit, olim colonia Romanorum, teste Ptolemæo. Plinius lib. 4. cap. 11. *Debeltum*, inquit, *cum stagno, nunc Deultum vocatur veteranorum*. Loci vix reliquiæ supersunt; vulgo *la Stagnara* dici ferunt, ubi stagnum visitur. A S. Andræa Apostolo Christi religionem incolæ accepere, cum Thraciam lustravit; & condita Ecclesia Metropolitæ, Hadrianopolitano paruit. Nihil memoria dignum de illa produnt vetera monumenta præter ea, quæ contigerunt, Bulgaris regnantibus, & paucos Episcopos, quorum hæc series.

Debelti Episcopi.

I. Ælius Publius Julius an. circ. 173.
II. Athanasius an. 431.
III. Jovinus an. 448.
IV. Eustratius an. 787.
V. S. Georgius an. 812.
VI. Simeon an. 879.
VII. Basilius an. 1186. titulo Episcopi Zagorensis.

ÆLIUS PUBLIUS JULIUS EPISCOPUS DEBELTI I.

Anno circ. 173. suam Ecclesiam a Montanistis strenue defendit, cum per Thraciam cum mulierculis vagantes hæretica dogmata disseminarent. Serapion hujus ævi Scriptor illustris in sua epistola ad Coricum & Pontum, de qua Eusebius lib. 5. cap. 19. inter Episcoporum testimonia, qui Montani & Priscillæ pseudophetissæ errores reprobarunt, & hoc affert Publii; *Ælius Publius Julius ex Debelto colonia Thraciæ Episcopus; Vivit Deus in cœlis; quod Sotas in Anchialo voluit Priscillæ dæmonem ejicere, sed veteratores illi hypocritæ neutiquam permiserunt*. Erat Sotas Anchiali Episcopus in eadem Publii provincia. Ælius Ep. Debelti an. 173. Montanistis infensus.

ATHANASIUS EPISC. DEBELTI II.

Sæc. v. regebat etiam Ecclesiam Sozopolitanam ejusdem provinciæ, & in Concilio Ephesino anni 431. adhæsit Nestorianæ factioni, subscribens Episcoporum intercessioni, ne S. Cyrillus quidquam in Nestorium ageret ante Joannis Antiocheni cum suis Orientalibus adventum; *Athanasius episcopus Dinela*, corrupte pro *Devalti*, seu *Debelti*, adnotat Harduinus, *Mœsiæ secundæ subscripsi;* quæ Mœsia cum Hæmimontana provincia, ubi Debeltum, olim censebatur. Athanasius, detectis Nestorii dolis, paullo post in Cyrilli partem se transtulit, & cum Ephesinis Patribus impium hæreticum suo suffragio condemnavit. *Athanasius episcopus Dueltanus*, Debeltanus, & *Sozopolitanus subscripsi*. Athanasius Ep. Debelti an. 431. in Conc. Ephes.

JOVINUS EPISCOPUS DEBELTI III.

Qui an. 448. in Synodo Constantinopolitana sub S. Episcopo Flaviano nefarium Eutychen anathemate perculit; *Jovinus episcopus Develti judicans subscripsi*. Triennio post Chalcedone cum esset, in Concilio Œcumenico sententiam tulit contra Dioscorum Alexandrinum Eutychis fautorem & patronum, eumque e gradu & sede Episcopali ejiciendum decrevit, & jam dejectum pronunciavit; *Jovinus episcopus Develtensis dixit. Dioscorum magnæ Alexandrinæ civitatis quondam episcopum in multis & diversis accusatum criminibus, insuper et perfidiam Eutychis secutum, juste a sancta et magna Synodo damnatum concors et ego effectus, ab omni cum episcopali mi-* Jovinus Ep. Debelti an. 448. in Conc. Constantinop. litano & Chalced. contra Eutychem.

ni-

Digitized by Google

nisterio existimo alienum; in Cod. Paris. *Jovianus episcopus Debelteanæ civitatis provinciæ Hæmimonti* &c. in subscriptionibus vero VI. Actionis e Græco corrupto latine *legitur Juvenalis episcopus Dibelli definiens subscripsi*, nempe *Jovinus episcopus Debelti*. Anno etiam 459. Constantinopoli degens, Gennadii Episcopi Constantinopolitani Synodo interfuit, ejusque decretum adversus Simoniscos probavit; *Jobinus*, i. Jovinus, *episcopus Debelti subscripsi*. Post Jovinum series intercidit horum Antistitum usque ad an. 787., quo

EUSTRATIUS EPISCOPUS DEBELTI IV.

Eustratius Ep. Debelti an. 787. in Conc. Nic. II.

Adfuit Nicænæ Synodo II. adversus Iconomachos, seque subscripsit actione VII. Concilii decretis, *Eustratius indignus episcopus Debelti*. Et hoc quidem tempore Bulgari Mœsiam & Thracias multis elati victoriis partim impune vastabant, partim sub imperio redegerant; nec tardius Barbarorum iras & militares impetus experta est Debelti civitas; nam cum Eustratio successisset

S. GEORGIUS EPISC. DEBELTI V.

S. Georgius Ep. Debelti an. 812.

Anno 812. *Crumus Bulgarorum Princeps, cum Debeltum obsidione capisset, oppidanos cum episcopo in regionem aliam transportavit*; inquit ad hunc annum Cronographus Teophanes. Hunc Anonymum signat Lequienius, tom. I. Orient. Christ. in Episcopis Hæmimonti; sed Assemanus tom. 3. de Kaleudariis ec. pag. 138. merito illum arguit, quia huic anonymo Debelti Antistiti præponit Symeonem in Photiano Concilio an. 879. nominatum, sexaginta scilicet ac sex annis post Debeltum captam. Verum is, cujus nomen silent Teophanes & Lequienius, & Debelti præerat Ecclesiæ, cum in Bulgariam fuit abductus, in Græcorum Menæis & Georgius, & *Archiepiscopus Debelti* perspicue appellatur; quo titulo ornati postea fuerunt hi Antistites, cum Bulgaricæ Ecclesiæ sedes ibi est constituta; & rectius dicitur Episcopus a Teophane. Martyrio illum a Bulgaris affectum produnt Græci Scriptores & Menæa, & Martyrologium Romanum cum aliis ferme quadringentis, quos inter eminuit Manuel Archiepiscopus Hadrianopolitanus. Hi omnes apud Bulgaros captivi eam gentem Christianis doctrinis imbuere cœperunt; cum, extincto Crumo, & Ducumo regibus, Mortragon, alii Curtragon, & Ditzengum nominant, in eorum imperium successit, vir barbara superstitione impius & crudelitati ferus, qui odio in sanctissimos viros exarsit, & comprehensos omnes ob fidei constantiam diversis cruciatibus immanem in modum obtruncavit die Januarii vicesima secunda an. circ. 813. uti Bollandus arguit ad hanc diem; qui & eorum nomina describit. De Georgio autem hæc Menæa; *Sanctum vero Archiepiscopum Debelti Georgium, et Petrum Episcopum virgis primum inhumaniter laceratos capite plecti jussit*. Locus martyrii fuisse videtur trans Danubium, cum Bulgari nondum in provinciis Romanis constiterant; & Mœsiæ inferioris, aut etiam Scythiæ parvæ aliquam partem occupassent. Incertum porro an Martyres hi sint Illyricis adjungendi, quippe omnes Hadrianopoli in Thracia a barbaria comprehensi, si Georgium excipias, & extra imperii Romani fines perempti. Sed a nostro Martyrologio expungendi Martyres plurimi, qui an. 811. ab eodem Crumo crudelissima morte affecti sunt die 26. Julii post devictum & fœde obtruncatum impium Imp. Nicephorum Phocam; de quibus fuse disserit Pinius in actis Boll. die ejusdem mensis 23. Locus Crumianæ victoriæ ad Nicopolim Thraciæ urbem affigitur ab Orbino pag. 413. ubi & illustre Christianorum martyrium consecutum. Funestissimam Græcorum cladem pluribus describit Paulus Diaconus in hist. Miscella. & Martyr.

SYMEON EPISCOPUS DEBELTI VI.

Non rejiciendus veluti fictitius ab Assemano laudato in loco; licet enim Photius in actis suæ Synodi multa inseruerit falsa, & suopte conficta ingenio, vera Synodus fuit, a Romana autem Ecclesia, & a Catholicis Episcopis reprobata; & huic interfuit *Symeon Develti*, postremus hoc titulo Episcopus. Quo in loco nonnulla advertamus oportet, quæ nos tutius clariusque ad Ternobensem historiam deducant. Ac primo certum est, Mœsiæ ac Thraciæ provincias Constantinopolim usque fuisse diutinis bellis Græcos inter & Bulgaros exagitatas, donec hi a Basilio Bulgaroctono domiti, victique, amisso priori regno, in Mœsia constricti fuere, & imperii vestigales effecti sæc. XI. initio; quare Debeltum per varias vices & Bulgaris, & Græcis subiecta fuit. Præterea Bulgari IX. sæc. in exitum vergente a Romana Ecclesia ad Græcam defecerant, schismate Photiano a Latinis divulsam; jamque post Constantinopolitanum Concilium an. 869., quo S. Ignatius, pulso Photio, suæ Sedi est restitutus, in privato conventu contenderant Græci, Bulgaricam Ecclesiam juri subesse Patriarchæ Constantinopolitani, etsi Legati Pontificii eorum sententiæ obsisterent, & intercessissent decreto; ac S. Igna-

Symeon Ep. Debelti an. 879. in Sin. Photiana.

Schisma Bulgaricum.

Digitized by Google

Ignatio vità functo, cum Photius rursum Constantinopolitanam invasisset Ecclesiam, Bulgari in ejus errores, & perfida sensa, ac impia dogmata reciderunt; vide dicta in Ecclesia Achridana.

Quod siqui Debelti fuerunt Episcopi post Simeonem, Photiani censendi sunt. Quo tamen tempore urbis hujus & Ecclesiæ nomen in Zagorensem commutatum fuerit, certo non liquet, nec id contigit, nisi adepta a Bulgaris Hæmimonti possessione; sed neque e Bulgaris quis reperitur Zagoræ Episcopus, nisi posteaquam amissa regia urbe & metropoli ecclesia Achrida, & in Mœsiam compulsi a Basilio avitum regnum suscitare aggressi sunt; & Deltum seu Zagoram utrinsque dignitatis, potestatisque sedem delegerunt. Tum innotescit

BASILIUS EP. ZAGORÆ UNICUS, DEBELTI VII. AC POSTREMUS.

Basilius Ep. Zagorensis seu Debelti an. 1186. Erat natione Bulgarus & totius gentis Archiepiscopus, idemque Episcopus Zagoræ. Nam in suis ad Innocentium III. litteris, se & *Archiepiscopum* dicit, & *Pastorem de Zagora;* de Bulgaris Archiepiscopis alibi dictum; esse autem Pastorem de Zagora profecto nihil innuit aliud, nisi Episcopalem illo in loco jurisdictionem, quam augebant immo fulciebant Archiepiscopatus insignia & auctoritas. Anno jam 1186. uti ex iisdem literis discimus suo loco exscribendis inferius, Episcopatum Zagorensem adiverat, rege Asane; & Græcanicis instructus doctrinis eorumque male implicitus schismate Constantinopolitano Patriarchæ obsequebatur. Ubi autem Joannes ad regnum evectus consilium iniit redeundi in gratiam cum Romano Pontifice, ejusque opis adversus Græcos implorandæ, Basilius haud ferens Schismaticorum dominatum, & superno instinctus lumine in regis sententiam concessit, egitque constanter, ut Bulgaria universa ad obsequium & obedientiam rediret erga Apostolicam Sedem. Quæ omnia pius vir gavisus est felici eventu fuisse absoluta, cum jam dimissa imo antiquata Ecclesia Zagorensi seu Debeltana, ad Ternobensem stabiliendam & regendam profectus est; de quibus partite mox sumus acturi. Zagoræ seu Debelti Episcopatu antiquato ne titulus quidem illius superfuisse videtur; fuerunt fortasse aliqui Debelti Antistites Titulares, quos ignoramus; unus tamen propius huic appellationi accedit. Debeltum ab Antonino *Develtum* dictum Ortelius affirmat; & in tabulis Ecclesiæ Patavinæ hæc notata leguntur. transit ad Ecclesiam Ternobensem circ. 1201 Debelti Episcopatus antiquatus.

1414. 22. *Septembris. Ordinationes* &c. *per Rev. Fr. Johannem de Padua Ordinis Heremitarum Ep. Davaliensem Vicarium ad Pontificalia Rev. Petri Marcello Ep. Patavini.*

1415. 22. *Decembris* Prout supra, Ep. Davaliensis. 1416. 18. *Aprilis. Johannes de S. Anna de Padua Ord. Heremitarum*, usque ad an. 1429

Ecclesiam Davaliensem nuspiam repperi; hinc alicui conjecturæ locus, pro *Develiensis* vocabulo aut vulgo pronuntiatum, aut per errorem scriptum *Davaliensis* titulum fuisse.

Nunc de Ternobensi Ecclesia.

ARCHIEPISCOPI TERNOBENSES.

Ternobum sæc. XII. innotescit, & describitur. Ternobum, olim vix alicujus nominis oppidum, & ante XII. sæc. pœne ignotum antiquis Geographis & Historicis in Mœsiæ finibus ad Hæmimonti provincia extructum fuit, quod *Trinabum* dicitur a Laonico, & *Trenova* in hodiernis Geographicis tabulis, Nicetas Choniates lib. 1. cap. 5., Ternobum, inquit, *est omnium Hæmi urbium munitissima, & præstantissima, in montis vertice sita, firmis circumdata mœnibus, quam etiam amnis alluit.*, in ea nimirum parte Hæmi, unde late patet in Mœsiam, seu Bulgariam prospectus Septemtrionem versus, quæque ab ipso Niceta Mœsiæ tribuitur; is vero historiam scripsit initio novi regni Bulgarici, nempe dimidio circ. XII. sæc., cum primi reges Asanus & Petrus urbem munire jam cœpissent, & regiis operibus exornare. Sunt qui autumant Ternobum idem oppidum esse ac Trimammium, seu Trimmanium, & Triamamminm in Mœsia inferiori, Ptolemæo & Antonino notum, atque Notitiæ imperii, quo in loco stativa habebant *Auxiliares milites Constantini;* nunc *Drimago* vulgo appellatur. Sed diversus utriusque situs hanc refellit opinionem; Trimammium ad Istrum ponitur, Ternobum ad montem Hæmi

mi in Thraciæ limitibus; quod neque cum Novis, quæ ad ripam erant Danubii, debet confundi. Crevit Ternobi magnificentia, cum rex Joannes eo transtulit imperii sui ac Bulgaricæ Ecclesiæ sedem, adeo ut opibus, fastu, luxuque, simulque religionis splendore nobilissimis se urbibus æquaret. Sed ut est rerum humanarum conditio labente paulatim Bulgarorum regno, eoque everso sæc. XV., & civitas concidit, & in deteriorem in dies fortunam a Turcis redacta est; hæc autem aptiore in loco describam. Eadem Ternobi Christianæ fidei initia, quæ in cæteris Mœsiæ locis, seu pagus tum hujus nominis extiterit, sive oppidum, cum repente ab imis ad summa assurgens Episcopalem non solum, sed etiam metropoliticam, imo & Primatus dignitatem uni subjectam Romano Pontifici assecuta est urbs, ipso tempore cum regiæ sedis majestate, incœpto nempe sæculo XIII.; tum Archiepiscopi Bulgarorum nominati primo Antistites Ternobenses, & totius regni Primates, quibus duæ suberant Archiepiscopales Ecclesiæ, Præslabensis seu Marcianopolitana, & Belesbugdensis, & Episcopatus Brandizuberensis; vide Ecclesiam Achridanam. Horum igitur Antistitum exordimur historiam, & persequimur, quacum civilia Bulgarorum gesta necessario erunt identidem conjungenda.

metropolis regni & Ecclesiæ Bulgarorum.

ARCHIEPISCOPI TERNOBENSES.

I. Basilius an. 1202.
II. N. an. 1217.
III. Joachimus an. circ. 1370.
IV. Ignatius an. circ. 1430.

BASILIUS ARCHIEPISCOPUS TERNOBENSIS I.

Joannis regis sollicitudo pro conjunctione suæ gentis cum Romana Ecclesia.

Joannes, quem paullo superius diximus Joannicium & Calojoannem appellari, stabilem adeptus regni possessionem recipi se, & gentem Bulgarorum in communionem & clientelam Romanæ Ecclesiæ demisse poposcerat an. 1197. non religionis caussa tantum, sed quo potissimum validius regnum retineret ac tueretur Pontificis præsidio, & auctoritate; hinc enim Græci, quorum excusserat jugum, inde Hungari, qui utrique Mœsiæ inhiabant, Bulgariam hostilibus armis conabantur lacessere. Propterea missi ab eo semel iterum ac tertio Romam nuncii, ut aliis in litteris testatur, quas proferemus; sed Schismaticorum fraude, ac insidiis impeditum iter fuit, ne ad Urbem pergerent. Verum Innocentius III. Pontifex creatus anni initio 1198., cognito regis consilio, non morandum ratus Archipresbyterum Brundusinum delegavit ad Joannem cum litteris, quibus & devotum erga Sedem Apostolicam animum ei gratulatur, hortaturque, ut Brundusino suæ mentis consilia aperiat, & quid exoptet, ingenue proponat, postea solemni more ac ritu per suos Legatos perficiendum; data epistola an. 1199. est hujusmodi ex Baluziana edit. epistolarum Innocentii III.

ad eum litteræ & nuntius Innocentii III.

Respexit Dominus humilitatem tuam, & devotionem, quam erga Romanam Ecclesiam cognosceris hactenus habuisse, & te inter tumultus bellicos & guerrarum discrimina non solum potenter defendit, sed etiam misericorditer & mirabiliter dilatavit. Nos autem audito quod de nobili (1) urbis Ro- 1
mæ prosapia progenitores tui originem traxerunt, & tu ab eis & sanguinis generositatem contraxeris & sinceræ devotionis affectum, quem ad sedem Apostolicam geris quasi (2) hereditario jure, jampridem te pro- 2
posuimus litteris & nuntiis visitare: sed variis Ecclesiæ solicitudinibus detenti, hactenus non potuimus nostrum propositum adimplere. Nunc vero inter alias solicitudines nostras hanc etiam assumendam duximus, immo consummandam potius jamdudum assumptam, ut per Legatos & litteras nostras te in laudabili foveamus proposito, & devotione Sedis Apostolicæ solidemus. Dilectum itaque filium nostrum Dominicum (3) Archipresbyterum Græcorum de 3
Brundusio ad te personaliter destinantes, monemus nobilitatem tuam & exortamur in Domino, ac per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus ipsum humiliter & devote recipiens, honorifice ac benigne pertractes, & per eum plenius tuam nobis devotionem exponas. Cum enim plene nobis per ipsum de sinceritate tui propositi & devotionis affectu constiterit, ad te proposuimus majores nuntios vel Legatos potius destinare, qui tam te quam tuos in Apostolicæ Sedis dilectione confirment, & te de benevolentia efficiant certiorem.

N O T Æ.

1 Difficillima est investigatio Romanæ originis, de qua hic Innocentius, in regibus Bulgarorum, quamque jactat Joannes in epistola postea afferenda ad eumdem Pontificem. Existimat Assemanus tom. 5. Kalend. ec. pag. 128. Bulgaros reges, haud veteris Romæ, sed novæ, idest Constantinopolitana e sanguine Imperatorum nobilitate gloriari solitos fuisse, & Romæam, seu Byzantinam originem aliquando cum Romana Italica ab iis confusam. Nam Petrus rex an. 927. uxorem duxit Ma-

Digitized by Google

Mariam Christophori Imp. filiam, & Romani Lecapeni Imp. ex quo Christophorus, neptem. Ex ea suscepti filii Borises & Romanus; ac ex iisdem series regum aliorumve Principum Bulgaricorum usque ad Joannem hunc. Sed in aliam nos sententiam pertrahunt verba Basilii Archiepiscopi, qui in primis ad Innocentium litteris testatur non Joannem regem solummodo, sed *totum imperium ejus tamquam hæredes descendere e sanguine Romano;* & ipse Assemanus pag. 110. idem conjicit ex priori Innocentii epistola ad Joannem; hinc Bulgari, qui *Blachi* hoc ævo nominari cœperunt a nonnullis Græcis Scriptoribus, videntur mihi origine Daci Transdanubiani, quo Romana colonia a Trajano deducta, potissimum ubi nunc Valachiæ provincia. Valachi quidem Romana lingua hactenus utuntur barbara tamen & corrupta, seque jactant e veteribus Romanis prognatos his loquendi formulis, quas affert Bonbardius in Topographia Hung. pag. 303. *Noi sentem di sangue Rumena;* nos sumus de sanguine Romano; *Su noi sentem Rumenis;* & nos sumus Romani; aliæque his similes sunt; quæ omnia Bulgaris facile aptantur.

2 Sæpe enim Bulgari cum Romana Ecclesia conjungi curarunt, ut alibi diximus.

3 Hic latinas æque callens litteras ac Græcas dicitur Archipresbyter Græcorum in magna Græcia, ubi Brundusium, & Græci coloni atque incolæ olim frequentissimi, & Romanæ Sedi addicti.

His ce susceptis, Joannes ingenti affectus est lætitia, multoque honore cumulavit Brundusinum Archipresbyterum, quocum plura collocutus est de negotio conjunctionis suæ gentis cum Ecclesia Romana; eique Romam revertenti comitem esse voluit Blasium presbyterum, electum Brandizuberensem Antistitem, suumque nuncium ad Innocentium cum secretioribus mandatis, & litteris, quibus Pontificem orat, ut in sinum excipiatur Catholicæ Ecclesiæ, sibique & nobiliores nuncii mittantur ab Urbe, & regia insignia, quo palam imperium Bulgaricum Pontificia auctoritate confirmetur; antea vero alias ad Pontificem litteras scripsit, queis de Dominico dubitatum a se fatebatur, verus ne esset illius nuncius, & an dolus & fraus lateret; sed nobilis viri Prætaxati testimonio rei noverat veritatem, ac eumdem Dominicum reverenter exceperat. Sed periere illæ, easque innuit Pontifex in epistola dein subjicienda. Quæ sequuntur, in hæc verba scriptæ sunt an. 1202.

Venerabili & Sanctissimo Patri summo Pontifici, ego Calojohannes Imperator Bulgarorum & Blacorum, (1) *gaudium & salutem mando tibi.* 1

litteræ Joannis regis ad Pontificem,

Notum facimus Sanctitati vestræ quod nos recepimus vestras sacrosanctas litteras, quas nobis portavit religiosus Archipresbyter Brundusinus, & nos reputavimus eas caras supra omne aurum, & quemlibet lapidem pretiosum. Unde multas egimus gratias omnipotenti Deo, quia visitavit nos servos suos indignos, secundum suam inæstimabilem bonitatem, & respexit humilitatem nostram, & reduxit nos in memoriam sanguinis & patriæ nostræ, a qua descendimus. Et nunc, Sancte Pater, tamquam bonus pastor, & caput omnium fidelium Christianorum, filios Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ sedis congregare volens in unum, requisistis nos remotos secundum corpus.
Et quamvis fratres (2) *mei bonæ memoriæ* 2
jamdudum voluerint mittere Sanctitati vestræ, non tamen ad vos pervenire propter nostros multos contrarios potuerunt. Et nos similiter probantes semel, secundo & tertio ad vos dirigere, deducere non potuimus quod optabamus in fructum. Et nunc videntes quod Sanctitas vestra dignata est mittere Imperio nostro, tamquam proprii & dilectissimi filii sicut amantissimo & desiderantissimo patri mittimus misericordiæ vestræ religiosum electum Brandizuberensem fidelem nostrum presbyterum Blasium, una cum fideli nuntio vestro Archipresbytero Brundusino, referentes vobis ex parte nostra gratiarum actiones & amicitiam, & servitium sicut patri spirituali & summo Pontifici. Sanctissime Pater, significastis nobis per sacras litteras vestras, quod vos significaremur vobis, quid ab Ecclesia Romana petamus. Hoc autem petit Imperium nostrum ab Apostolica Sede, ut nos simus in Ecclesia Romana sicut matris filialitate firmati. Inprimis petimus ab Ecclesia Romana matre nostra coronam & honorem tamquam dilectus filius, secundum quod Imperatores nostri veteres habuerunt. Unus
fuit Petrus, (3) *alius Samuel, & alii qui* 3
eos in Imperio præcesserunt, sicut in libris nostris invenimus esse scriptum. Nunc autem si placitum est sanctitati vestræ nobis istud implere, quicquid Imperio nostro duxeritis injungendum, ad honorem Dei & Ecclesiæ Romanæ complebitur. Nec miremini quod nuncius vester citius non redit, quia nos suspicati fuimus aliquid contra eum, quia multi venerunt in Imperium nostrum nos decipere cogitantes; sed nos ab omnibus bene novimus præcavere; sed nos pro eo testimonium recepimus Prætaxati, & ei acquievimus. Verum, si placet vobis,

bis, Sanctissime Pater, mittite nobis magnos nuntios, de quibus nobis per litteras nuntiastis, & istum destinate cum eis; & tunc certificabimur de prima missione pariter & secunda. Det vobis Dominus multos annos.

NOTÆ.

1 Blachia, cujus provinciæ se regem nominat pars est Daciæ Trajani trans Danubium, media inter Hungariam & Moldaviam, quam Bulgari occupabant; & hanc etiam ob caussam Hungarorum in Bulgaros bella. Bulgari a Græcis Scriptoribus quandoque *Blachi* appellantur, & Mysi; vide Assemanum tom. 5.

2 Joannis fratres Asan & Petrus primi novi regni conditores, de quibus superius; sed nullis præter Joannis testimonium constat monumentis, optatam ab illis & procuratam fuisse Romanæ Ecclesiæ pacem & clientelam.

3 Petrus & Samuel postremi prioris regni Bulgarici reges; de his in historia Achridensi.

Basilius adit Ecclesiam Ternobensem.

Aderat tum Ternobi Basilius Archiepiscopus, cum eo venit nuncius Pontificis; & in sincero perfusus gaudio suas esse partes existimavit, regiæ epistolæ suam adjungere testem honoris & observantiæ erga Innocentium, quem rogat, ut Joannis petitionibus velit assentiri; conjicere autem licet, Blasio mandasse regem, ut de Ternobensi Archiepiscopatu ageret cum Pontifice, cujus est potestatis novas condere sacras metropoles & Episcopales Ecclesias; nam paullo post collata sunt Basilio metropolitica insignia; uti inferius dicam; et Innocentii auctoritate constituta est Ternobensis Ecclesia, quam is an. circ. 1202. videtur adiisse. Hæc Basilii epistola.

ejus ad Innocentium P. epistola.

Honorantissimo & Sanctissimo summo Pontifici Papæ, ego Basilius indignus Archiepiscopus sanctitatis vestræ, & pastor de Zagora, salutem, gaudium, & adorationem merito vobis tanquam Patri nostro spirituali.

Quamvis non possumus vos corporaliter adorare, vos tamen spiritualiter adoramus, notificantes Sanctitati vestræ quod cum nos vidimus missum a vobis Dominicum Archipresbyterum Brundusinum, Deo gratias egimus, qui non despexit nos humiles & indignos servos suos esurientes & sitientes gratiam, & benedictionem Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Sedis: quia Domini nostri Imperatores & nos voluimus a multis annis mittere ad vos, sed non potuimus. Et nunc per voluntatem potentis Dei & vestræ sanctitatis, quia misistis Domino nostro Imperatori orationem & benedictionem, valde bene fecistis. Nos autem hæc ab Imperatore discentes, qui fecit nos vocari, levavimus manus ad cælum cum universo populo sic dicentes: Memor fuit nostri Dominus, quod nos non cogitavimus. Unde nos omnes parvi & magni, sicut boni filii, rogamus vos sicut bonum Patrem ut Dominus noster Imperator quod petit a vobis obtineat, quia dignus est hoc obtinere; quia ipse ac totum Imperium ejus bonam devotionem ad Ecclesiam Romanam habent, tanquam heredes descendentes (1) a 1 *sanguine Romanorum. Item rogamus sanctitatem vestram quod sint vobis recommendatis filius socius noster Blasius Presbyter Brandizuberensis electus, una cum fidelissimo nuntio vestro Dominico Archipresbytero Brundusino; quia eis commisit Dominus noster Calojohannes Imperator sua secreta; & quod isti dixerint vobis & littera nostra, firmum habeatis. Et precamur sanctitatem vestram quod festinetis nuntios vestros destinare.*

NOTA.

1 vide, quæ prioribus Innocentii litteris adnotavimus.

Innocentius cum e litteris Joannis & Basilii eorum mentem cognovisset & consilia, primum jussit Blasium electum Brandizuberensem coram se chrismate inungi, & consecrari Latinorum ritu ab Cardinali & Episcopo Albanensi, duobus Episcopis Adjutoribus, tum mature perpensis regiis postulationibus postquam plura exposuit officii plena & amoris, & quid priores ante se Pontifices egerint erga veteres Bulgariæ reges, respondit, mitti a se cum litteris Legatum Joannem Capellanum suum, data ei mandata Bulgarorum Ecclesiæ ac regno profutura, tum ut inquirat in regiis tabulis quid olim de regia corona a Pontifice donanda præstitutum fuerit; & hæ litteræ datæ an. 1202. v. Kal. Decembris.

alia Innocentii P. ad Joannem.

Calojohanni Domino Blacorum, & Bulgarorum.

Apostolica Sedes, cui licet immeriti præsidemus, Evangelici verbi memor quod Beato Petro Apostolorum Principi & cuilibet successori ejus intelligit esse dictum; si diligis me, pasce oves meas; ut puræ dilectionis affectum habere se ostendat, oves ejus pascere satagit, & in unius Ecclesiæ gremio remotas etiam congregare contendit, ut sit unum ovile, & unus pastor. Cum

enim

enim mater sit omnium generalis, ut circa filios matris exibeat lenitatem, convocare ipsos & congregare conatur in unum, sicut gallina congregat pullos suos, & eos tum per Legatos tum per litteras suas visitat, ut & pastor suas oves agnoscat, et cognoscant oves ovile pariter et pastorem. Hoc igitur attendentes, jampridem nobilitatem tuam per nuntium et litteras nostras duximus visitandam, ut intellecto devotionis affectu, quem habes ad Romanam Ecclesiam matrem tuam, majores ad te nuntios postmodum mitteremus, qui tam te, qui ex nobili Romanorum prosapia diceris descendisse, quam degentem sub te populum verbo pascerent et exemplo, et de benevolentia et gratia Sedis Apostolicæ redderent certiorem. Et licet de nuntio nostro primum tua nobilitas dubitaverit, sciens quod Angelus Sathanæ interdum se in lucis Angelum transfigurat, intellecta postmodum per nobilis viri Prætaxati testimonium veritate, benigne ac honorifice ipsum recipere procurasti, sicut transmissæ ad nos tuæ litteræ continebant. Rescripsisti autem nobis per eum, et humiliter intimasti quod litteras nostras reputaveras pretiosas super omne aurum et quemlibet lapidem pretiosum, et Deo gratiarum exsolveras actiones, quod te dignatus fuerat visitare. Addidisti etiam quod licet inclytæ recordationis fratrum tuorum sequutus exemplum, semel et secundo et tertio nuntios ad nos dirigere tentavisses, non potueras tamen quod desideraveras adimplere; sed nunc per nostras litteras confortatus B. Presbyterum Brandizuberensem electum cum nostro nuntio destinabas; quamvis idem electus ad nos propter viarum discrimina non potuerit pervenire. Petisti vero humiliter ut coronam tibi Ecclesia Romana concederet, sicut illustris memoriæ Petro, Samueli, & aliis progenitoribus tuis in libris tuis legitur concessisse. Nos igitur ut super hoc majorem certitudinem haberemus, regesta nostra perlegi fecimus diligenter; ex quibus evidenter apparet quod in terra tibi subjecta multi Reges fuerant coronati. Præterea continebatur in eis quod tempore bonæ memoriæ (1). Nicolai Papæ prædecessoris nostri Rex Bulgarorum, ad cujus consulta sæpissime respondebat, cum toto Regno sibi commisso ad prædicationem ejus fuerat baptizatus, & rex ipse ab eo Archiepiscopum postulaverat. Legatus quoque Michaelis Regis Bulgarici cum donis regalibus Adriano Papæ prædecessori nostro regias litteras præsentarat, & postularat ab eo ut aliquem ex Cardinalibus in Archiepiscopum eligendum dirigeret, quem post approbationem eorum ad Sedem Apostolicam remeantem ipse postmodum consecraret. Cumque idem Adrianus illuc cum duobus Episcopis quemdam subdiaconum direxisset, Bulgari corrupti donis Græcorum, & promissionibus circumventi, Romanis ejectis Græcos Presbyteros receperunt. Licet igitur tantæ memoria levitatis nos usque adeo induxerit ad cautelam ut nullum ex fratribus nostris, Cardinalibus scilicet, ad tuam præsentiam mitteremus, nihilominus tamen dilectum filium Johannem (2) Capellanum, & familiarem nostrum, Apostolicæ Sedis Legatum, virum providum & discretum, quem nos & fratres nostri suæ probitatis, & religionis obtentu inter cæteros Capellanos nostros specialis in Domino dilectionis brachiis amplexamur, ad te duximus destinandum; cui etiam commisimus vices nostras, ut & in tota terra tua quoad spiritualia corrigat, quæ corrigenda cognoverit; & statuat quæ secundum Deum fuerint statuenda. Per ipsum quoque (3) Archiepiscopo terræ tuæ palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, destinamus, et juxta formam, quam sub bulla nostra dirigimus, conferendum. Eidem quoque Legato nostro dedimus in mandatis ut siqui forsan in terra tua promovendi ad ordinem fuerint, vel in Episcopos consecrandi, per vicinos Catholicos duntaxat Episcopos & ordinandos ordinet, & consecret consecrandos. Mandamus quoque ipsi ut de corona progenitoribus tuis ab Ecclesia Romana collata tam per libros veteres quam alia documenta inquirat diligentius veritatem, & de omnibus tecum tractet, quæ fuerint pertractanda; ut cum per ipsum & nuntios tuos de omnibus redditi fuerimus certiores; consultius & maturius prout procedendum fuerit procedamus. Monemus igitur nobilitatem tuam & hortamur in Domino quatenus Legatum ipsum sicut personam nostram benigne suscipias, & honorifice studeas pertractare, salubria monita & statuta ipsius & tu ipse recipiens & ab universa Bulgarorum & Blacorum multitudine recipi faciens & servari. Expedit enim tibi tam ad temporalem gloriam, quam salutem æternam ut sicut genere, sic sis etiam imitatione Romanus, & populus terræ tuæ, qui de sanguine Romanorum se asserit descendisse, Ecclesiæ Romanæ instituta sequatur, ut etiam in cultu Divino mores videantur patrios redolere.

NOTÆ.

1 Quæ hic narrantur de gestis a Nicolao et Hadriano Pontificibus Rom. cum regibus Bulgarorum, habes fuse in Ecclesia Achridana.

2 Joan-

Digitized by Google

2 Joannes de Casæmario Præpositus Sacelli Pontificii, et gravibus antea legationibus functus in Bosnia et Albania. Vide tom. IV. et VII.

3 de hoc paullo inferius.

Eodem tempore scripsit Pontifex ad Basilium, quem Archiepiscopum, misso Pallio, legitimum sua auctoritate confirmat.

& ad Basilium, quem, misso Pallio aliisque insignibus, declarat Archiepiscopum Ternobensem.

Quia nobis in Beato Petro Apostolorum Principi intelligimus esse dictum; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos; cum ab innumeris sollicitudinibus, quæ nobis incumbunt, ad tranquillitatem convertimur nostræ mentis, remotos etiam Fratres & Coepiscopos nostros, quos etsi habeamus absentes corpore, præsentes tamen spiritu reputamus, confirmamus in iis, quæ ad salutem eorum, & Ecclesiæ pertinent unitatem; ut sicut sunt in partem sollicitudinis evocati, sic etiam nostris monitis roborentur. Sane cum unum sit Ecclesiæ Sanctæ orpus, juxta illud Apostoli; omnes unum corpus sumus in Christo; æstimari non debet in uno corpore capita esse plura; sed is duntaxat post Dominum intelligendus est Ecclesiæ Dei caput, quem Jesus Christus Dominus noster Vicarium sibi substituit & caput etiam nominavit, dicens ad Petrum; Tu vocaberis Cephas; quod & Petrus interpretatur & caput. Sane cum ei Dominus pascendas commisit oves suas, Pasce, inquiens, oves meas, ab ovili Christi, quæ est Ecclesia, extraneum se demonstrat, qui caput eum habere noluerit & pastorem. Nos ergo quos Dominus licet immeritos Vicarios suos esse voluit & Apostolorum Principis successores, ut paternæ dilectionis affectum circa Bulgarorum, & Blacorum Ecclesiam, quæ a Romanis secundum carnem, & sanguinem descendisse dicitur, per effectum operis monstraremus, jampridem dilectum filium Archipresbyterum Brundusinum ad dilecti filii nobilis viri Calojohannis Domini Bulgarorum & Blacorum præsentiam duximus destinandum, qui tam ipsum, quam degentem sub eo Populum Christianum in devotione Sedis Apostolicæ roboraret, & nos de puritate fidei, & sinceritate dilectionis ipsius rediens redderet certiores. Gaudemus autem & tuam prudentiam in Domino commendamus, quod Apostolicæ Sedis magisterium recognoscens, scripsisti gratiam, & benedictionem Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ te sitire, ac Deo gratiarum actiones egisse, quod prædictus nobilis nostris meruerat litteris visitari. Volentes igitur adhuc plenius te ac Ecclesiam tibi commissam in Ecclesiastica unitate, ac devotione Sedis Apostolicæ roborare, dilectum filium Johannem &c. ad te ac nobilem memoratum duximus destinandum; cui etiam commisimus vices nostras, ut in tota terra ejusdem nobilis corrigat &c. Per ipsum quoque Fraternitati tuæ palleum, &c. conferendum. Monemus igitur Fraternitatem tuam & exhortamur attentius & per Apostolica scripta tibi mandamus quatenus Magisterium & primatum Sedis Apostolicæ recognoscens, & in nostra & Ecclesiæ Romanæ devotione persistas, & Legatum ipsum sicut personam nostram benigne recipias, &c.; ut qui a Romanis traxerunt originem, Ecclesiæ Romanæ instituta sequantur. Noveris autem quod eidem Legato nostro dedimus in mandatis ut siqui forsan in Provincia tua &c.

Græci consilia Joannis turbant.

Interea Græci in Joannem ira exarserant, utpote quem et Imperio, et Ecclesiæ Constantinopolitanæ rebellem palam proclamabant, sed terrere armis eum nequirent, callide a proposito removere conati sunt, adhibitis pollicitationibus eum Imperatorem quantocius renunciatum iri Bulgariæ universæ, et Archiepiscopo Basilio Patriarchæ dignitatem et jura collaturos. Verum Joannes, qui a Romano Pontifice hæc illustriora, et utiliora obventura sperabat, contemnens Græca promissa Innocentium certiorem de iis fecit, tum ut suam constantium Pontifici probaret, tum ut ne Pontifex longius quam vellet, tempus protraheret se regem inagurandi ritu solemni; et hanc ob caussam precatur sollicite et obsecrat, ut e Cardinalium Collegio Legatum ad se mittat, et regium diadema suæ majestatis insigne, et Pontificiæ potestatis. Epistolam subjicio, quam Raynaldus in annum 1203. rejicit ineuntem, uti arbitramur.

ejus ad Innocentium epistola.

Calojoannes Imperator Bulgarorum sanctissimo domino fidei Christianorum ab oriente, usque ad occidentem patriarchæ Papæ Romano.

Ego cartam mitto tibi, gaudens si nuncius meus inveniet te sanum, & lætum cum omnibus, qui sunt tecum, & omnibus consanguineis, & amicis tuis. Ego sanus sum per virtutem Domini, & Beatæ Virginis, & per orationes sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum, & per sanctas orationes tuas. Intelligo ego Calojoannes Imperator Bulgarorum, quod tu habes potestatem a Deo ligandi, & solvendi sicut habuit Beatus Petrus Apostolus, cui dixit Dominus: Quodcumque ligaveris super terram &c. sic tibi contulit Deus gratiam istam; unde quem ligaveris, ligatus est, & quem solveris, solutus. Notum facio sanctitati tuæ, quod elapsi sunt sex anni, quod ego semel, secundo, et tertio misi ad vos; sed nuncii

mei

mei non potuerunt ad sanctitatem tuam accedere, et proponere verbum meum, et referre mihi consolationem tuam. Inspiravit Dominus sanctitatem tuam ut mitteret mihi Dominicum Archipresbyterum Brundusinum, per quem intellexi, quod non es oblitus mei servi tui, quem honoravi sicut hominem tuum, et dedi ei litteras, quas tuæ sanctitati deferret, quas utrum attulerit, vel non attulerit, Deus novit. Ex quo sciverunt istud Græci, miserunt mihi
1 2 *patriarcha*, (1) *et Imperator;* (2) *veni ad nos, coronabimus te in Imperatorem, et faciemus tibi patriarcham, quia Imperium sine patriarcha non staret; sed ego non volui, immo recurri ad sanctitatem tuam, quia volo esse servus sancti Petri, et tuæ sanctitatis; et sciat sanctitas tua, quod ego misi ad te Archiepiscopum meum cum omni ordinatione, et pecunia, et pannis sericis, cera, et argento, equis, et mulis, ut adoret sanctitatem tuam pro me servo tuo. Et rogo per orationes Beati Apostoli Petri, & per sanctas orationes tuas, ut tu mittas Cardinales, quibus præcipiat sanctitas tua, ut me coronent in Imperatorem, & in terra mea faciant patriarcham, ut sim servus tuus tempore vitæ meæ.*

N O T Æ.

1 Is est Joannes X. cognomento Camaterus Patriarcha Constantinopolitanus XCVIII. qui aliquamdiu unioni Græcorum cum Romana Ecclesia propensus visus est; ad quam illum adhortabatur Innocentius III., sed ficta ab eo acta & simulata patuere. Cumque an. 1204. Latini Constantinopolim cepissent, is cum Schismaticis ab urbe discessit; & abdicata dignitate exsul obiit an. 1206. vide historiam chronologicam Patriarcharum Constantinopolitanorum editam a Cupero tom. 1. Aug. Boll.

2 Alexius III. Angelus, qui Imperium invasit an. 1195., fratre Isaacio II. Angelo in carcerem conjecto. Adversus Bulgaros infeliciter præliatus est, quibuscum & pacem iniit; sed sociali Latinorum bello victus, ac purpura exutus in carcere interiit post an. 1204.

Basilii Archiep. legatio ad Innocentium,

Ante vero, quam Pontificis nuntius Ternobum perveniret, rex Joannes mense Junio an. 1203. Legatum misit ad Innocentium Basilium Archiepiscopum, eo stipatum procerum, aliorumque virorum nobilium comitatu, eaque cum regiorum munerum copia & magnificentia, ut tanti regis magnitudinem atque majestatem legatio ipsa præseferret. Basilius Julio mense ad urbe digrediens Dyrrhachium ubi advenit, a Græcis, qui Bulgaros ab Ecclesia Romana abstrahere omni vi nitebantur, prohibitus est in Italiam trajicere; ibi triginta dies commoratus etiam cum vitæ discrimine, duos e comitatu jussit, qua possent via, Romam proficisci, qui suas litteras, & regia donaria Pontifici deferrent. At Innocentius videndi Basilii cupidus, & coram negotia agendi, quorum causa arduum & periculosum iter arripuerat, respondit, legationis grandem apparatum dimitteret, ipse cum paucis in Apuliam occulte navigaret, unde in Urbem commode totoque ei patuisset ingressus. Hujus epistolæ meminit Assemanus tom. 5. pag. 132. & particulam affert ex Regest. Innocent. lib. 6. epist. 143. *Nuper autem idem Legatus noster nunciis ejusdem nobilis*, Calojoannis, *obviavit ad charissimum in Christo filium nostrum H. illustrem regem Hungariæ destinatis, cum quibus ad eorum Dominum sine mora se asseruit profecturum. Licet igitur prædictos Constantinum presbyterum & Sergium Comestabilem ad præsentiam nostram duxerit destinandos, quia tamen tibi specialiter memoratus nobilis vir*, Calojohannes, *veniendi ad nos laborem imposuit, & onus suæ legationis injunxit, monemus &c.* Quæ de nunciis innuit Pontifex, ex litteris acceperat Legati sui Joannis; & aperte indicat postremis verbis velle se, Basilium ipsum ad Urbem pergere, & commissam sibi legationem implere. Meminit Assemanus ibidem pag. 133. alterius Innocentii epistolæ num. 144. in lib. 6. Reg. ad Joannem regem missam uno tempore, & ejusdem fere argumenti; sed neutram mihi licuit in Baluzianis editionibus Opp. Innoc. III. reperire. Verum Basilius sibi metuens ab Schismaticorum insidiis Dyrrhachio discesserat, cum allatæ illi regis litteræ fuerunt, queis & certior factus de Pontificii Legati in Bulgariam adventu, & jussio adjuncta, ut Ternobum properaret: quo mense Septembri demum intravit; hæc e Basilii, & Joannis litteris ad Innocentium postea describendis.

a Græcis impedita.

Et revera Joannes legatus in Hungariam profectus obvios jam habuerat regni nobiles viros, a quibus honorifice ac secure Ternobum duceretur; ita is suis ad Pontificem litteris.

acta Ternobi a Legato Innocentii.

Tractato negotio illorum quondam Patarenorum in Bosna, sicut jampridem scripsi Sanctitati vestræ, fui in Hungaria aliquantis diebus voluntate regia. Interim nuncii illius magni viri Calojoannis venerunt ad regem, cum quibus, Deo dante, spero ire ad ipsum; & Christianissimis rex fecit eos jurare super Evangelia in Ecclesia coram altare, quod me securum usque ad præsentiam ejus deducerent.

Qui

Qui Ternobum ingressus pompa plane regali a Joanne exceptus est, tum ab Archiepiscopo Basilio, cui Pontificis nomine obtulit Archiepiscopalia insignia Pallium, Annulum & Mitram, iisque illum ornavit ritu consueto, Rege ipso præsente & Episcoporum ac Procerum circumstante corona, die natali Deiparæ Virginis; hac usus formula, more Romano conferendi Pallia.

Ad honorem Dei omnipotentis & beatæ Mariæ virginis & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Domini Papæ Innocentii, & Romanæ Ecclesiæ, necnon & Ecclesiæ tibi commissæ tradimus tibi palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis potestatis officii, quo ad Missarum solemnia infra Ecclesias tibi subjectas utaris in nativitate Domini, festivitate protomartyris Stephani, circumcisione Domini, Epiphania, Hypapanti, Dominica in ramis palmarum, Cœna Domini, sabbato sancto, Pascha, feria secunda post Pascha, Ascensione Domini, Pentecoste, tribus festivitatibus sanctæ Mariæ, natali beati Johannis Baptistæ, solemnitatibus omnium sanctorum, commemoratione omnium Apostolorum, dedicationibus Ecclesiarum, consecrationibus Episcoporum, ordinationibus clericorum, Ecclesiæ tuæ principalibus festivitatibus, anniversario consecrationis tuæ dic.

Statimque, edito jurejurando, sese conceptis verbis Romanæ Ecclesiæ obstrinxit atque devovit.

Basilii Archiep. jusjurandum, Pallio accepto.

Ego Basilius archiepiscopus Trinovitanus primas totius Bulgariæ, & Blachiæ ab hac hora in antea ero fidelis, & obediens beato Petro, sanctæque Romanæ & Apostolicæ sedi, & domino meo Innocentio, ejusque catholicis successoribus. Non ero in facto, vel consilio, vel consensu ut perdant vitam, aut membrum, vel capiantur, aut spolientur. Consilium quod mihi crediderint, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam: eorum certum malum si scivero, impediri studebo, quod si non potero impedire, eis quam cito potero intimare curabo. Papatum Romanum, honores, dignitates, & rationes Apostolicæ sedis defendam pro posse, salvo ordine meo, contra omnem viventem. Vocatus ad synodum veniam, nisi præpeditione canonica fuerim impeditus; Apostolorum limina singulis quadrienniis per me, vel per meum nuncium visitabo, nisi eorum absolvat licentia. Legatum Apostolicæ sedis, quem pro certo scivero esse legatum, devote suscipiam, & in suis necessitatibus adiuvabo. Cum quemlibet de meis suffraganeis in Episcopum consecravero, faciam illum jurare, ut Romano Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ perpetuam obedientiam, & debitum honorem impendat. Cæterum, cum aliquem coronavero in regem Bulgarorum, & Blachorum juxta indulgentiam mihi, & successoribus meis ab apostolica sede concessam, ab eo juratoriam recipiam cautionem, quod ei, qui tunc Apostolicæ sedi præfuerit, successoribus ejus, & ecclesiæ Romanæ devotus, & obediens permanebit, & cunctas terras, & gentes, suo subjectas imperio, in obedientia, & devotione sedis Apostolicæ conservabit. Hæc omnia bona fide servabo; sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Evangelia in præsenti, & in futuro.

qui Bulgariæ Primas renunciatur.

Præter ista Legatus Ternobensem Ecclesiam ad honorem Primatus evexit in regno universo; utque illi major accresceret splendor, duo instituti sunt Archiepiscopatus, rege annuente, Belesbugdensis, & Præslabensis in quo metropolis Marcianopolitana revixit, uterque novo Primati subjectus. Tum vero rex ipse obsequium & obedientiam Pontifici pollicitus est coram Joanne, cui discedenti tradidit rex auro descriptas litteras, quibus se suumque regnum Romanæ Sedis subjicit potestati, eamque veluti matrem ac dominam a se diligi & coli fatetur; & hæ sunt.

litteræ auree regis Joannis, obsequii, & obedientiæ testes erga Romanam Ecclesiam. 1

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Cum placuit Domino nostro Jesu Christo me Dominum, & Imperatorem totius Bulgariæ & Blaciæ facere, inquisivi antiquorum nostrorum scripturas & libros, & beatæ memoriæ (1) Imperatorum nostrorum prædecessorum leges, unde ipsi sumpserunt Regnum Bulgarorum & firmamentum Imperiale, coronam super caput eorum, & Patriarchalem benedictionem; & diligenter perscrutantes in eorum invenimus scripturis, quod beatæ memoriæ illi Imperatores Bulgarorum & Blacorum Simeon, Petrus, & Samuel, & nostri Prædecessores coronam Imperii eorum, & Patriarchalem benedictionem acceperunt a Sanctissima Dei Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede, Principe Apostolorum Petro. Sed imperium meum voluit benedictionem, & Imperiale firmamentum coronæ capitis Imperii sui suscipere, & Patriarchalem benedictionem ab Ecclesia Romana, ab Apostolicæ Sedis Principe Apostolorum Petro, & a Sanctissimo Patre nostro universali Papa Tertio Innocentio; & a quocunque Patriarchalis benedictio, & mandatum in civitate Imperii mei Trinovi data, & concessa fuit a Domino Papa faciendi, & consecrandi Archiepiscopos, Metropolitas, & Episcopos, & reliquas Ecclesiasticas obsequutiones Sacramentales; concedit Imperium

rium meum ut plenissimam in omni tenimento, & Imperii mei pertinentiis ipsi habeant potestatem. Ecce enim omnes Imperii mei, & tenimenti, & Patriarcha (2)
2 *meus Metropolitanus, Episcopi, Archiepiscopi, & cuncti Sacerdotes Romanæ subsint Ecclesiæ, & teneant legem et consuetudinem, et observationem, quas tenuerunt beatæ memoriæ Imperatores totius Bulgariæ, et Blaciæ, prisci illi nostri prædecessores, et nos eodem modo vestigia eorum imitantes. Subsignat autem Imperium meum ad securitatem Chrysobolum suum, quod nunquam ab Ecclesia Romana et ab Apostolica Sede, Principe Apostolorum Petro, ipsum videlicet Imperium meum discedet, neque alii Imperii mei Principes disgregabuntur; sed ut vocatus dilectus filius Sacrosanctæ, et Apostolicæ Romanæ Sedis Principis Apostolum Petri ero. Et deinceps quascunque Terras Christianorum, seu Paganorum meum acquisiverit Imperium, sub potestate et mandato ejusdem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, et Apostolicæ Sedis e-*
3 *runt. Et ut præsens* (3) *chrysobolum Imperii mei ratum, et firmum habeatur, dedi Imperium meum in manibus Reverendissimi viri Johannis Sacrosanctæ Romanæ Sedis Legati, et Domini Papæ Capellani, in quo et nostrum pium, et a Deo promotum subsignavit Imperium anno sex millesimo septingentesimo duodecimo, Indictione septima*. idest 1204. ad Græcorum computationem.

NOTÆ.

1 De his adi historiam Ecclesiæ Achridanæ.

2 Intellige hic Primatem; nam nec Basilius, neque cæteri Ternobenses Archiepiscopi nunquam a Romano Pontifice Patriarchalem dignitatem sunt consecuti; sed de Patriarchis Bulgaris diximus in Ecclesia Achridensi.

3 Chrysobolum, quod & *Chrysobolium et Chrysobullum* dictum, est aurea Bulla, qua Pontifices & Reges graviora, & publica seu negotia definire, seu privilegia etiam privata confirmare solent. Joannes Chrysobolum appellat litteras hasce auro scripta, & testes suæ erga Pontificem, & regni totius reverentiam atque subjectionem.

Cumque Joannes reditum in Italiam parasset, rex comitem itineris illi esse voluit Blasium Brandizuberensem Antistitem, qui denuo regia legatione fungeretur apud Pontificem, & quæ in mandatis habebat, negotia omni studio compleret. Erant hæc, optare se ab Innocentio, Cardinalem Legatum mitti, qui Ternobensem Primatem Patriarchali dignitate insigniret, & ampliori in Bulgarica Ecclesia jurisdictione, ejusque eligendi facultatem tribueret Clero Ternobensi; afferat etiam ab Apostolica Sede regalia insignia, coronam & sceptrum, queis solemni cœremonia rex Bulgariæ Blachiæque declaretur Pontificis auctoritate. Hæc eadem in litteris ad Innocentium deferendis per Blasium is distincte exposuit, postquam quæ acciderant in Basilii aliorumque legatione descripsisset, & addit de sacro chrismate a Primate Ternobi conficiendo, tum de finium regni controversia cum rege Hungariæ; testaturque Pontifici, vera esse, quæ Blasius Episcopus coram est dicturus de rebus singulis.

Sanctissimo et Dominatori, et universali Papæ sedenti in Sede Beati Petri, et Domino Patri regni mei Tertio Innocentio Papæ Sedis Apostolicæ, et Ecclesiæ Romanæ, et Magistro totius Mundi. Regis Johannis aliæ ad Pontificem litteræ.

Spero in Deum Salvatorem omnium, quod bene et multum bene valeat Sanctitas tua cum omnibus sedentibus circa thronum Sanctitatis tuæ Cardinalibus Sanctæ Ecclesiæ Romanæ. Noverit magna Sanctitas tua, quod ego filius tuus, et Romanæ Ecclesiæ, Imperator omnium Bulgarorum et Blacorum, cum omnibus Principibus Imperii mei, multum bene sum per Deum, et orationem tuam. Multotiens misit Imperium meum nuntios suos ad sanctitatem tuam, sed non invenerunt opportunitatem transeundi ad sanctitatem tuam. Ideo certe non potuerunt transire, quia illi, qui non habebant pacem cum Imperio meo, servabant vias. Postea mense Junii præterito Imperium meum (misit) Archiepiscopum meum, et totius Bulgariæ regionis et universalem Sanctæ et magnæ Trinovæ, et magnum hominem Imperii mei merito nominatum Primatem, et Archiepiscopum totius Bulgariæ et Blaciæ nomine Basilium: qui cum pervenisset Durachium, non fuit permissus transire ad sanctitatem tuam, ut compleat desiderium Imperii mei sanctitas tua secundum consuetudinem prædecessorum meorum Imperatorum Bulgarorum (1) *et Blacorum Simeonis, Pe-* 1
tri, et Samuelis progenitorum meorum, et cæterorum omnium Imperatorum Bulgarorum. Verum, Deo adjuvante, et intervenientibus orationibus sanctitatis tuæ, venit ad me præsens Nuntius Apostolicus Cathedræ et primæ Sedis Principis Apostolorum et Sanctæ et universalis Ecclesiæ Romanæ Johannes Capellanus, et detulit mihi litteras ex præcepto sanctitatis vestræ, et Apostolicæ Sedis, et palleavit dictum Archiepiscopum, et fecit eum Primatem totius Bulgariæ et Blaciæ, et portavit Imperio meo litteras sanctitatis tuæ, et exposuit quicquid ei sanctitas vestra mandavit; et repletum est

Digitized by Google

*cor meum gaudio magno, quoniam secun-
dum voluntatem Imperii mei donavit mihi
Deus et sanctitas tua. Et rogo et depre-
cor magnam sanctitatem tuam ut compleat
desiderium Imperii mei, & mittat virgam
pastoralem ad congregandas oves, & cæte-*
2 *ra quæ (2) Patriarcha consuevit habere,
& faciat præsentem Primatem & Patriar-
cham in Sancta, & magna Ecclesia Trino-
væ primæ civitatis totius Bulgariæ, & ha-
beat Ecclesia ipsa etiam post mortem istius
Patriarchæ Patriarcham in perpetuum ex
præcepto Sanctitatis tuæ. Et quoniam gra-
ve esset propter longitudinem viæ & guer-
rum hominum in obitu cujusque Patriar-
chæ recurrere ad Ecclesiam Romanam, con-
cedatur ab Ecclesia Romana Ecclesiæ Tri-
novæ ut sibi possit eligere, & consecrare
Patriarcham, ne ex ejus absentia terra il-
la sine benedictione remaneat & tua con-
secratio imperfecta, & redundet peccatum
in sanctitatem tuam. Nunc autem petimus
ut fiat chrisma ex præcepto sanctitatis tuæ
in Sancta & magna Ecclesia civitatis Tri-
novæ pro baptismate Christianorum. Sciat
Sanctitas tua, quod cum sciverint Ro-*
3 *mæi (3) quod receperimus consecrationem a
sanctitate tua, non dabunt mihi chris-*
4 *ma (4). Et aliud peto a sanctitate tua,
ut mittas Cardinalem ad Imperium meum,
seu istum qui venit ad me, sive alium a
Sede Apostolica, & des ei diadema & sce-
ptrum secundum Apostolicæ Sedis & Apo-
stolorum Principis benedictionem, & mittat
Privilegium bullatum aurea bulla ad e-
xemplar ipsius servandum perpetuo in Ec-
clesia Trinovæ. Et hæc omnia dent Impe-
rio meo, & consecrent & coronent Impe-
rium meum. Omnia autem prædicta mitti
debent ad Imperium meum a sanctitate
tua. Videat præsens nuntius Brandizube-
rensis Episcopus Blasius ut possit referre,
quid tu scripseris manu propria. Et si hæc
omnia impleverit sanctitas tua, ita reputa-
bo cum prosapia Imperii mei & omnium
Bulgarorum & Blacorum, quod sumus di-
lecti filii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et de*
5 *confinio (5) Ungariæ, Bulgariæ, & Blaciæ
relinquo judicio sanctitatis tuæ, ut dirigas
negotium istud recte & juste, ut non ha-
beat peccatum anima sanctitatis tuæ, &
ita habeat Imperium meum justitias Bul-
gariæ & Blaciæ, quod rex Ungariæ habeat
justitias Ungariæ, & cessent occisiones Chri-
stianorum in me, & Imperium. Sciat au-
tem Sanctitas tua, quod quinque Episcopa-
tus Bulgariæ pertinent ad Imperium meum,
quod invasit & detinet Rex Ungariæ cum
justitiis Ecclesiarum; & ipsi Episcopatus
annihilati sunt, et si justum est hoc, fiat.
Quicquid dicturus est præsens nuntius Im-
perii mei Episcopus Brandizuberensis Bla-
sius sanctitati tuæ habeas verum; quoniam
ex parte mea dicet.*

NOTÆ.

1 Vide Ecclesiam Achridanam.

2 Ambitione potius, quam desiderio splendidioris, atque venerabilioris in Hierarchia Bulgarica decoris atque ornamenti id postulat Joannes, ne videlicet Bulgarica Ecclesia inferior Constantinopolitana videretur hoc honoris titulo. Nam Primas, cujusmodi erat Basilius, idem re valet, ac Patriarcha, hoc tantum discrimine, quod ille paucioribus, hic pluribus imperet provinciis Ecclesiasticis. Primatus vero Bulgaricus regnum universum complectebatur sua auctoritate, quod satis superque æstimari debet huic sustentandæ tuendæque dignitati. Hinc Innocentius Pontifex in hanc appellationem consentire nunquam voluit, honori & jurisdictioni Primatus haud necessariam; insuper metuebat prudenter, ne quemadmodum Constantinopolitani Præsules, & Bulgari Patriarchali titulo superbe abuterentur; & hanc aliasque ob causas, quas diximus in Achridensibus, Nicolaus I. & Joannes VIII. Patriarchatus nomen Bulgarorum Ecclesiæ denegarunt.

3 idest Constantinopolitani.

4 de sacro chrismate erit inferius dicendum.

Regiis litteris adjiciamus & Basilii epistolam ad Innocentium, qua & Romani itineris narrationem exponit, & de collatis sibi a Joanne Legato honoribus & donis gratias agit demissis ac sinceris animi sensibus.

» Multas inclinationes & magnas preces & Basilii primatis.
» ad Dominum & gloriosissimum & Ca-
» thedralem Apostolicæ Sedis, patri totius
» Christianitatis, & Domino nostro Inno-
» centio tertio Papæ, Archiepiscopus Basi-
» lius de minoribus & humillimis totius
» Bulgariæ & Blaciæ, vestram perfectam
» benedictionem.

» Adoro clementissimum Deum, & Bea-
» tissimam Dei Genitricem Mariam, ut sa-
» nam & gaudentem vestram sanctitatem
» meum inveniat scriptum. Et quod mea
» anima desideravit per octavum decimum
» annum, ecce hodie dedit nobis Deus &
» sancta tua oratio Sedis Beati Petri Apo-
» stoli et tuæ sanctitatis. Noscat sanctitas
» tua qualiter ego conversatus sum, tuam
» quærens benedictionem. Mota est per men-
» sem Julii quarta die, anno sex millesimo
» septingentesimo undecimo, Indictione sex-
» ta (1), mea humilitas ad Sanctissimum 1

„ et

„ et gloriosissimum Patrem nostrum Inno-
„ centium Papam Romanum, et fecit dies
„ trigiuta in Durachio juxta mare; et cum
„ vellem introire navim gratia transfretan-
„ di, tunc detinuerunt me Græci, et non
„ dimiserunt transire, sed tenuerunt me
„ apud Durachium per octo dies, et mul-
„ ta mea deprecatione erga Deum, et Bea-
„ tissimum Principem Apostolorum Petrum
„ per sanctas tuas orationes dimiserunt
2 „ me (2) Latini. Nam consilium accepe-
„ rant projiciendi me in mare; sed eripuit
„ me Deus tuaque sancta oratio. Exiens
„ autem de civitate, reversus sum in vil-
„ la nuncupata Cavathocori, et ibi diebus
„ viginti permansi, et inde misi duos bo-
„ nos homines meos Romæ sanctitati tuæ;
„ et utrum transiverint, necne, novit Do-
„ minus. Sed litteræ mihi ex parte Do-
„ mini mei Imperatoris venerunt Domini
„ Johannis dicentes mihi: Revertere cito,
„ quia hic pervenit Cardinalis a Domino
„ Papa. Legens ergo litteras Imperatoris,
„ et videns, quoniam me vocavit, reversus
3 „ sum, et perveni Drianum (3) per men-
„ sem Septembrem, et inveni virum san-
„ ctum, justum, et rectum a tua sancti-
„ tate directum. Nomen ejus Johannes
„ Capellanus. Et dedit mihi litteras ex
„ parte vestræ sanctitatis, et perlectæ mi-
„ hi fuerunt. Unde valde anima mea est
„ lætata; et manus meas ad cœlum ex-
„ tendens, gratias Deo egi quia visitavit
„ Dominus plebem suam, et Pater noster
„ Beatus Papa quærens ovem, quæ perie-
„ rat, ut eam reduceret in sancto ovili.
„ Et sicut continebatur in litteris vestræ
„ sanctitatis, sic Dominus Johannes Ca-
„ pellanus fecit. Secundum edictum ma-
„ gnæ vestræ sanctitatis, vestram mihi be-
„ nedictionem dedit, et largiens mihi pal-
„ leum ad plenitudinem Pontificalis officii,
„ mense Septembris, octavo die, in festo
„ Nativitatis sanctissimæ nostræ Dei Ge-
„ nitricis. Et ego cum multa devotionis
„ humilitate recepto palleo, exibui fideli-
„ tatis obedientiam, præsentibus Episcopis,
„ qui scribunt sanctitati vestræ, et Princi-
„ pe nostro et multis aliis in Ecclesia as-
„ sistentibus. Et iterum, Pater Sancte,
„ vestram rogo Sanctitatem ut dispenses
„ et adimpleas ordinem Ecclesiasticum, et
„ qualiter debeam regere ovile, quod mihi
„ est commissum a Deo et sanctitate ve-
„ stra. Sanctum chrisma non habemus;
„ imo a Græcis receperamus. Sed de cætero
„ nos, tamquam et vos, Græci exosos ha-
„ bent. Et scias, Domine mi, quoniam
„ hæc omnia in sanctitate tua remanse-
„ runt, quod debeat in omnibus dispen-
4 „ sare. Et de sancto chrismate (4) nos
„ doceat qualiter gentem debeamus bapti-
„ zare, et ne remaneat gens absque chri-
„ smate sancto, et erit peccatum, sed in
„ omnibus nos filios tuos perditos et pe-
„ reuntes moneas; et mittas mihi, Pater
„ bone, pallea ad opus duorum Metropolita-
„ norum Prishlavæ, et Belesbudii; et quid-
„ quid aliud noverit vestra sanctitas, quod
„ sit ad opus mei Pontificalis officii plenitu-
„ dinem, mihi illud vestra dirigat sanctitas.

NOTÆ.

1 Is annus est 1203. Græcorum computatione.

2 Vox corrupta in apographis.

3 Locus Ternobo suburbanus aut proximus.

4 Vide inferius doctissimam Innocentii epistolam.

Hæc acta anno 1203., & insequente jam inito, quo Joannes Pontificis, Blasius regis nuncii Romam pervenerunt; & oblatis Innocentio regiis & Archiepiscopi litteris, utriusque consilia & mandata illi significarunt. Qui ut prudentia, & sapientia valde pollens, singulis, quæ proposita fuerant, diu ac mature perpensis, decrevit, Leonem Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Presbyterum titulo S. Crucis in Bulgariam mittere Sedis Apostolicæ Legatum, a quo & Bulgaricum regnum Pontificis auctoritate stabiliretur, & regalia insignia Joanni deferrentur. Erat Leo ex prænobili familia Romana Brancaleona Canonicus primum regularis in sodalitate Lucensi S. Fridiani, deinde Diaconus tit. S. Luciæ in Septisolio, nec multo post Presbyter Cardinalis S. Crucis in Hierusalem, qui D. Francisco adhuc vivo, ejusque Ordini addictissimus virtute claruit, prudentia, doctrina, & variis pro Innocentio legationibus; obiit an. 1230. Hunc Pontifex commendat Serbliæ & Hungariæ Archiepiscopis epist. 2. lib. 7. per quæ loca illum transire oportuit, & epist. 8. ejusdem lib. monet regem Joannem, curet ut Legatus suus quibusvis honoris significationibus ab Episcopis regni excipiatur. Datum præterea est Pontificium diploma regi inscriptum; eoque rata jubet esse, & firma, nec ullius violanda potestate de Bulgarico regno a se decreta, & de rege Bulgarorum.

(regnum Bulgariæ ab Innocentio stabilitum,)

„ Calojohanni illustri Bulgarorum & Bla-
„ corum Regi, ejusque posteris ei tam in
„ Regno quam in devotione Sedis Aposto-
„ licæ successuris in perpetuum.

(& Joanni collata regia dignitas ac potestas diplomate Pontificio.)

„ Rex Regum & dominus dominantium
„ Jesus Christus, Sacerdos in æternum se-
„ cundum ordinem Melchisedeh, cui de-

 „ dit

Digitized by Google

» dit omnia pater in manu, pedibus ejus » subjiciens universa, cujus est terra & » plenitudo ejus, orbis terrarum & omnes » habitantes in eo, immo cui flectitur o» mne genu cœlestium, terrestrium, & in» fernorum, summum Apostolicæ Sedis & » Ecclesiæ Romanæ Pontificem, quem in » Beato Petro sibi Vicarium ordinavit, su» per gentes, & regna constituit, evellen» di, destruendi, disperdendi, & dissipan» di, & ædificandi, & plantandi conferens » potestatem, loquens ad eum in Prophe» ta, qui fuit de Sacerdotibus Anatoth: » Ecce constitui te super gentes & regna, » ut evellas & destruas & disperdas, & » dissipes & ædifices & plantes. Ut autem » id expressius demonstraret, non per a» lium, sed per seipsum, cum pro homi» nibus carnem assumpsisset humanam, & » calceamentum suum extendisset in Idu» mæam, ut ei allophyli subderentur, & » oves suas, quæ de hoc ovili non erant, » adduceret, & fieret unum ovile & unus » pastor, in se, qui est super omnia Deus » benedictus in sæcula, universalis Eccle» siæ posuit fundamentum, ejusque Apo» stolorum Principi Petro magisterium con» tulit & primatum, dicens ad eum: Tu » es Petrus, & super hanc Petram ædifi» cabo Ecclesiam meam, & portæ inferi » non prævalebunt adversus eam, & tibi » dabo claves Regni cœlorum. Ubi etiam » consequenter adjecit: Quodcumque liga» veris super terram, erit ligatum & in » cœlis. Post passionem quoque suam, a» scensurus in cœlum, ovile suum, vide» licet Ecclesiam, ei committens & com» mendans in omnibus, dixit ei, Pasce o» ves meas, vocabulo tertio repetito; per » hoc patenter ostendens, quod ad ejus o» vile non pertinent oves illæ, quæ se com» missas & subjectas esse Beato Petro con» tumaciter denegarent & ejus noluerint » erudiri doctrina & magisterio subjacere. » Siquidem Ecclesia est illa Arca, in » qua paucæ animæ, pereuntibus cœteris » in diluvio, sunt salvatæ. Unde sicut o» mnes, quos arca non accepit, in diluvio » perierunt, sic omnes, qui extra Eccle» siam inventi fuerint, in judicio damna» buntur. Arca enim Ecclesiam, cataclis» mus judicium, & pastorem Ecclesiæ Pe» trum Noe rector arcæ figuravit. Ille cum » Domino legitur ambulasse; hic autem » super undas maris, quod hunc mundum » significat, ad Dominum scribitur perve» nisse. In quo etiam exprese notatur, » quod Petro non specialiter aliqua spe» cialis Ecclesia, sed totus mundus com» missus fuerit, & Ecclesia generalis. Nam » sicut aquæ multæ sunt populi multi, » sic mare magnum & spatiosum mundum » significat universum. Unde vocatis cæ» teris in partem solicitudinis, hunc as» sumpsit Dominus in plenitudinem pote» statis, cum inquit ad eum, Tu voca» beris Cephas (quod Petrus interpretatur » & caput) ut Petrum caput Ecclesiæ de» monstraret, qui sicut unguentum, quod » a capite Aaron descendit in barbam, in » membra diffunderet, ut nihil sibi penitus » deperiret: quoniam in capite viget sen» suum plenitudo, ad membra vero pars » eorum aliqua derivatur. Insuper quæren» ti Petro si quotiens peccaret in eum fra» ter ejus dimitteret usque septies, Dominus » legitur respondisse, Non dico tibi usque » septies, sed usque septuagies septies. Sane » cum omne tempus septem dierum numero » concludatur, multiplicatus in seipsum se» ptenarius in hoc loco notat universa pecca» ta universorum, cum solus Petrus non so» lum omnia sed & omnium possit crimi» na relaxare. Ipsi enim, & non alii di» ctum a Domino reperitur, Tu me seque» re, idest, in veri pastoris officio & po» testatis Ecclesiasticæ plenitudine imita» re; quia eum in officio Vicarium sibi » substituit Dominus & in magisterio suc» cessorem, sic hereditatem, in cujus præ» claris funes ejus ceciderunt, transferens » in eumdem, ut aliis possit per eum & „ sub eo quasi partem facere de heredi» tate legata. Cum igitur licet immeriti » ejus vices geramus in terris, qui domi» natur in regno hominum, & cui volue» rit dabit illud, utpote per quod Reges » regnant & Principes dominantur, cum » Petro & successoribus suis & nobis in » eo noverimus esse dictum, Ego pro te » rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, » et tu aliquando conversus confirma fra» tres tuos; cum ex præcepto Domini e» jus oves pascere teneamur, populis Bul» garorum et Blacorum, qui multo jam » tempore ab uberibus matris suæ aliena» ti fuerunt, in spiritualibus et tempora» libus paterna solicitudine providere vo» lentes, ejus auctoritate confisi, per quem » Samuel David in Regem inunxit, Re» gem te statuimus super eos, et per di» lectum filium Leonem tituli Sanctæ Cru» cis Presbyterum Cardinalem Apostolicæ » Sedis Legatum, virum providum et ho» nestum, nobis inter cœteros fratres no» stros acceptum, sceptrum Regni ac Re» gium tibi mittimus diadema, ejus quasi » nostris tibi manibus imponendum, reci» piendo a te juratoriam cautionem quod » nobis et successoribus nostris et Eccle» siæ Romanæ devotus et obediens perma» nebis, et cunctas terras et gentes tuo » sub-

» subjectas Imperio in obedientia et devo-» tione Sedis Apostolicæ conservabis. Ad » petitionem insuper venerabilis fratris no-» stri Blasii Brandizuberensis Episcopi, » quem ad Sedem Apostolicam destinasti, » publicam in Regno tuo cudendi mone-» tam tuo charactere insignitam liberam » tibi concedimus facultatem. Venerabili » etiam fratri nostro Archiepiscopo Trino-» vitsno in terris in quibus imperas uni-» versis privilegium concedimus Primatiæ, » qui et successores ipsius tuos in poste-» rum successores simili ab eis juramento » recepto Apostolicæ Sedis auctoritate co-» ronent, et in terra tua Primatus obti-» neant dignitatem, eique Metropolitani » tam in Bulgariæ quam Blaciæ provinciis » constituti subjaceant, et juxta formam » canonicam reverentiam Primati debitam » exibeant et honorem. Sic ergo, fili ca-» rissime, gratiam, quam Apostolica Sedes » mater tua tibi facit, agnoscas, sic retri-» buas nobis pro omnibus quæ tribuimus » tibi, sic Regnum tuum in Apostolicæ » Sedis devotione ac subjectione confirmes, » ut cum sub Beato Petro in illius petræ » fuerit firmitate fundatum, de qua inquit » Apostolus, Petra autem erat Christus, » nec pluviarum imbres, nec impulsus ven-» torum, nec fluminum formidet incursus, » & tu quoque præter auxilium Apostolicæ » Sedis, quod juxta devotionem tuam sen-» ties in præsenti, de temporali Regno ad » Regnum pervenias sempiternum. Decer-» nimus ergo ut nullus omnino etc. hoc » privilegium nostræ constitutionis et con-» firmationis infringere vel ei etc. Si quis » autem etc. Datum Anagniæ per manum » Johannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdi-» coni & Notarii, sexto Kalendas Martii, » Indictione septima, Incarnationis Domini-» cæ anno MCCIII. Pontificatus vero Domini » Innocentii Papæ Tertii anno septimo.

Atque animadvertit hic Assemanus; *computando annos Christi ab Incarnationis die VIII. Kal. Aprilis annus ducentesimus quartus supra millesimum esse comperitur.* Sed si mense Septembri an. 1203. Joannes nuncius Ternobi erat, uti dictum superius, quo tandem mense ad Urbem redierit, Innocentii diploma datum VI. Kalend. Martias post illius reditum affigi debet an. 1204. qui & septimus Innocentiani Pontificatus.

Præterea bellico vexillo regem donavit, quo adversus Christianorum hostes uteretur, illiusque hisce explicat depicta amblemata.

Ut in Cruce Domini nostri Jesu Christi cum Apostolo glorieris, non tibi, sed ei, cui flectitur omne genu, tuos de cetero triumphos adscribens, qui docet manus ad prælium, & digitos movet ad bellum, & inter varios bellorum eventus ejus suffragio sentias te muniri, cui Dominus claves regni cælorum, & ligandi atque solvendi contulit potestatem, præter regiæ dignitatis insignia, quæ tibi per dilectum filium Leonem tituli sanctæ Crucis Presbyterum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum virum providum & honestum tuæ Serenitati dirigimus, per eundem vexillum, quo contra illos utaris, qui honorant labiis Crucifixum, cor autem eorum est longinquum ab ipso, ad petitionem venerabilis fratris nostri Brandizuberensis Episcopi duximus destinandum. Prætendit autem non sine mysterio crucem & claves; quia beatus Petrus Apostolus & crucem in Christo sustinuit, & claves a Christo suscepit. Repræsentat itaque signum Crucis, in quo Christus, utpote qui vincit, regnat, & imperat, debellavit aereas potestates, & in quo capiens præda praedonem absorbuit, moriens vita mortem & Behemoth cepit in suis oculis quasi hamo. Clavem autem geminam repræsentat; discretionis alteram, reliquam potestatis, ut cum discreveris inter bonum & malum, lucem & tenebras, sanctum & prophanum, commissum tibi materialem gladium ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum exerceas, & arma contra illos apprehendas, & scutum, qui non posuerunt Deum adjutorem sibi, sed in feritate sua & multitudine confidentes nituntur contra stimulum calcitrare. Monemus igitur serenitatem regiam & hortamur attentius, et per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus eodem vexillo in humilitate cordis utaris, et inter acies bellicas memor Dominicæ passionis existas, ejusque magisterium recognoscas, cui Dominus ipse dixit, Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cælorum. Sic enim inimici tui non solum contra te prævalere non poterunt, sed ante faciem tuam dante Domino non subsistent.

Alio diplomate Basilium Primatem constituit Bulgariæ & Blachiæ, cujus jura exponit, & quæ illi elargita potestas, præcipue sacra chrismata & olea conficiendi.

» Archiepiscopo Trinovitsno Bulgarorum » & Blachorum Primati, ejusque successo-» ribus canonice substituendis, in devotio-» ne Sedis Apostolicæ successuris in per-» petuum.

Aliud diploma de instituto Ternobensi Primate.

» Rex Regum, & Dominus Dominan-

» tium

» tium Jesus Christus &c., *ut in diplo-*
» *mate ad regem*. Te quoque in Regno
» Bulgarorum, & Blachorum Primatem sta-
» tuimus, & ecclesiæ Trinovitanæ præsenti
» privilegio auctoritatem concedimus Pri-
» matiæ, statuentes, ut tu & successores
» tui, qui tibi in Apostolicæ sedis devo-
» tione successerint, cæteros metropolita-
» nos Bulgariæ, & Blachiæ præcellatis ra-
» tione Primatiæ, & ipsi tibi, & ei juxta
» formam canonicam reverentiam Primati
» debitam exhibeant, & honorem, frater-
» nitatem tuam scire volentes, quod apud
» nos hæc duo nomina, Primas, & Pa-
» triarcha pœne penitus idem sonant, cum
» Primates, & Patriarchæ teneant unam
» formam, licet eorum nomina sint diver-
» sa. Præsenti quoque privilegio tibi, &
» per te tuis successoribus inungendi, be-
» nedicendi, & coronandi Reges Bulgaro-
» rum, & Blachorum in posterum liberam
» concedimus facultatem. Obeunte vero te
» nunc ecclesiæ memoratæ Primate, nullus
» ibi qualibet subrogationis astutia præpo-
» natur, nisi qui canonice fuerit electus
» ad eam secundum consuetudinem appro-
» batam. Electus autem per metropolita-
» num, & alios suffraganeos ejusdem Ec-
» clesiæ, qui poterunt interesse, in episco-
» pum solemniter ordinetur. Consecratus
» vero ad sedem Apostolicam nuncios suos
» mittat, pallium de corpore Beati Petri
» sumptum, insigne videlicet plenitudinis
» pontificalis officii petituros, in cujus
» susceptione juramentum illud nobis, &
» successoribus nostris, & ecclesiæ Roma-
» næ præstabit, quod alii Primates, &
» metropolitani secundum generalem con-
» suetudinem nobis præstant, & tu ipse
» in susceptione pallii præstitisti, cujus
» formam bulla nostra signatam ad perpe-
» tuam memoriam destinamus, exprimentes
» in ea, ut cum in Regem quemlibet ex
» prædicti Regis successoribus coronarint,
» præscriptum ab eo recipiat juramen-
» tum.

» Cum autem aliquis metropolitanorum,
» qui tibi jure subjacent Primatiæ, viam
» fuerit universæ carnis ingressus, confir-
» mabis electionem canonicam de persona
» idonea celebratam, & personam electam
» in episcopum consecrabis; pro pallio ve-
» ro nuncios tuos cum nunciis ecclesiæ,
» cui præest, ad Apostolicam sedem mit-
» tes, nosque illud tibi per eos libenter,
» & hilariter transmittemus, per te me-
» tropolitano episcopo juxta formam, quam
» sub bulla nostra recipies, solemniter
» conferendum, ita tamen quod si lega-
» tum, vel nuncium nostrum contigerit
» interesse, id cum eo pariter exequaris.
» Chrisma vero, & oleum catechumeno-
» rum, & infirmorum singulis annis in Cœna
» Domini tam in ecclesia Bulgariæ, quam
» Blachiæ fieri secundum consuetudinem Ec-
» clesiæ Romanæ concedimus, ut quoties
» necesse fuerit, qui baptizandi fuerint
» baptizentur; & confirmentur per diœce-
» sanos episcopos, qui fuerint confirman-
» di, nec episcoporum consecratio, nec
» ordinatio sacerdotum propter defectum
» hujusmodi vel impediatur penitus, vel
» diutius differatur; quia licet hactenus
» apud vos nec in sua ordinatione præ-
» sbyteri, nec in consecratione sua epi-
» scopi consueverint sacram recipere un-
» ctionem, volumus tamen, ut deinceps
» non tam ritum nostrum, quam mandatum
» divinum sequentes, per quod in lege præ-
» cipitur, ut Pontifices & sacerdotes un-
» gantur, manus eorum, qui ordinandi
» sunt in presbyteros, & tam manus,
» quam caput eorum, qui consecrandi sunt
» in Episcopos, solemniter inungantur.
» Præterea crucem, vexillum videlicet Do-
» minicæ passionis ante te per totam Bul-
» gariam, & Blachiam deferendi fraterni-
» tati tuæ licentiam impertimur. Decerni-
» mus ergo, &c. Datum ut supra.

Attulit Legatus & duo Pallia nuper creatis duobus Archiepiscopis imponenda. Et quia nec Presbyteri nec Episcopi oleo inungendi mos erat apud Bulgaros & Blachos, cum consecrantur, præcipit Innocentius, ut hi ritus in cunctis perficiatur Sacerdotalis, & Episcopalis ordinis personis, nec quis in posterum audeat illum omittere. Quam ob causam scripsit Basilio epistolam cœlesti sapientia ac doctrina refertam, & quæ chrismatis & sacrarum unctionum institutio, quæ mysteria, qui usus & ritus tum in veteri lege Hebræorum, tum in nova Christianorum declarat; eumque jubet a Legato inungi, monetque, ut eundem ritum negligi unquam, aut contemni in Bulgarica Ecclesia patiatur.

» Cum venisset ad Apostolicam sedem
» venerabilis frater noster Episcopus Bran-
» dizuberensis clara nobis insinuatione mon-
» stravit, quod in consecratione sua sa-
» cram non receperat unctionem, quoniam
» apud vos non consuevere Pontifices, cum
» consecrantur, inungi. Nos ergo quod
» illi defuerat mandavimus in ipso supple-
» ri, facientes caput ejus et manus per
» venerabilem fratrem nostrum Johannem
» Albanensem Episcopum, assistentibus ei
» duobus Episcopis, secundum morem ec-
» clesiasticum sacro chrismate deliniri. Hoc
» etiam Catholica tenet Ecclesia, non so-
» lum ex præcepto divino, sed etiam Apo-

Innocentii P. epistola de sacris unctionibus ad Basilium.

» sto-

Digitized by Google

» stolorum exemplo. In Exodo quippe legitur præcepisse Dominus Moysi, ut Aaron & filios ejus inungeret, quatenus ei sacerdotio fungerentur. Et Anacletus origine Græcus, qui a beato Petro fuit in Presbyterum ordinatus, & postea in apostolatus officio Clementi successit, tradit in ordinatione sua ungendos Episcopos more Apostolorum & Moysis; quia omnis sanctificatio in Spiritu sancto consistit, cujus invisibilis virtus sancto chrismati est permixta. Unde scire te volumus, duas esse species unctionis, exteriorem, quæ materialis est & visibilis, & interiorem quæ spiritualis est & invisibilis. Exteriore visibiliter ungitur corpus, interiore invisibiliter ungitur cor. De prima Jacobus Apostolus ait; *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum*. De secunda Johannes Apostolus ait. *Vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis, et non necesse habeatis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus vos doceat de omnibus*. Unctio visibilis & exterior signum est interioris & invisibilis unctionis; unctio vero invisibilis & interior non solummodo est signum, sed etiam sacramentum; quia si digne sumatur, vel agit, vel auget absque dubio, quod designat. Ad exhibendam igitur exteriorem & visibilem unctionem benedicitur oleum, quod est catechumenorum vel infirmorum, & conficitur chrisma, quod ex oleo fit & balsamo mystica ratione. Per oleum enim nitor conscientiæ designatur, juxta quod legitur; *prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus;* per balsamum autem exprimitur odor famæ; propter quod dicitur, *sicut balsamum aromatizans odorem dedi*. Hoc igitur chrismate ungi debet Episcopus non tam in corpore quam in corde, ut & interius habeat nitorem conscientiæ quoad Deum, & exterius habeat odorem famæ quoad proximum. De nitore conscientiæ dicit Apostolus; *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ;* nam *omnis gloria filiæ regis ab intus*. De odore famæ idem Apostolus ait; *Christi bonus odor sumus in omni loco; et aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem*. Debet enim Episcopus bonum habere testimonium & ab his qui sunt foris, ut cortina cortinam trahat, & qui audit, dicat; Veni. Hoc unguento caput & manus Episcopi consecrantur; per caput enim mens intelligitur juxta illud; *Unge caput tuum et faciem tuam lava; per manus opera designantur secundum illud; manus meæ distillaverunt aurum*. Manus igitur unguntur oleo pietatis, ut Episcopus operetur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Caput autem inungitur balsamo caritatis, ut Episcopus diligat Deum ex toto corde, & ex tota mente, ex tota anima, & proximum suum sicut seipsum. Caput inungitur propter auctoritatem & dignitatem, manus propter ministerium & officium. Caput inungitur, ut ostendatur illius repræsentare personam, de quo dicitur per Prophetam; *sicut unguentum in capite ejus, quod descendit in barbam barbam Aaron;* Caput enim viri Christus, caput Christi Deus est, qui de se dicit; *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me*. Manus unguntur Episcopo, ut ostendatur accipere potestatem benedicendi & consecrandi; unde cum eas Consecrator inungit, *Consecrare*, inquit, *et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam sanctam unctionem et nostram benedictionem, ut quæcumque consecraverint, consecrentur, et quæcunque benedixerint, benedicantur in nomine Domini*. Verum in veteri Testamento non solum ungebatur sacerdos, sed & rex & propheta, sicut in libro Regum præcepit Dominus Heliæ; *Vade et revertere in viam tuam per desertum in Damascum, cumque perveneris illuc, unges Hazael regem super Syriam, et Geu filium Namsi regem super Israel, Heliscum autem filium Saphat, qui est de Abelmala, unges prophetam pro te*. Sed ubi Jesus Nazarenus, quem unxit Deus Spiritu sancto, sicut in Actibus Apostolorum habetur, unctus est oleo præ consortibus suis, qui secundum Apostolum est caput Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, Principis unctio a capite scilicet in brachium est translata, ut Princeps ex tunc non ungatur in capite, sed in brachio sive humero vel armo, in quibus principatus congrue designatur, juxta quod legitur; *et factus est principatus super humerum ejus*. Ad quod etiam designandum Samuel fecit poni armum ante Saulem, in capite ante eos qui fuerant invitati. In capite vero Pontificis sacramentalis est delibatio conservata, quia personam capitis in pontificali officio repræsentat. Differt autem inter Pontificis & Principis unctionem, quia caput Pontificis chrismate consecratur, brachium vero Principis o-

» leo

» leo delinitur, ut ostendatur quanta sit » distantia inter auctoritatem Pontificis & » Principis potestatem. Quia vero Christus » in sanguine suo fecit nos Deo nostro » regnum & sacerdotes, propter quod Petrus Apostolus ait, *vos estis genus electum, regale sacerdotium*, iccirco in novo testamento non solum Sacerdotes & » Reges unguntur, sed omnes Christiani » bis ante baptismum scilicet oleo benedicto, primum in pectore, deinde inter » scapulas, & bis post baptismum chrismate sacro primum in vertice deinde in » fronte. In pectore namque ungitur baptizandus, unde per Spiritus sancti donum abjiciat errorem & ignorantiam, & » suscipiat fidem rectam, quia justus ex » fide vivit. Inter scapulas autem baptisandus inungitur, ut per Spiritus sancti » gratiam excutiat negligentiam & torporem, & bonam operationem exerceat, » quia fides sine operibus mortua est; & » ut per fidei sacramentum fit munditia » cogitationum in pectore, per operis exercitium fit fortitudo laborum; in scapulis quatenus fides per dilectionem secundum Apostolum operatur. In vertice baptizatus inungitur, ut sit paratus » omni poscenti de fide reddere rationem, » quia per caput intelligitur mens, juxta » quod legitur; *Oculi sapientis in capite ejus*, cujus superior pars est ratio, & » inferior sensualitas. Unde bene per verticem, quæ est superior pars capitis, intelligitur ratio, quæ superior pars est » mentis. In fronte ungitur baptizatus, » ut libere confiteatur quod credit, quia » *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, memor ejus » quod Dominus ait. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo*. Ante baptismum » vero inungitur oleo benedicto, & post » baptismum chrismate sacro, quia chrisma soli competit Christiano. Christus » enim a chrismate dicitur, vel potius a » Christo dicitur chrisma, non secundum » nominis formam, sed secundum fidei rationem. A Christo enim Christiani dicuntur, tamquam uncti deriventur ab » uncto, ut omnes currant in odorem unguentorum illius, cujus nomen oleum » est effusum. Per frontis chrismationem » manus impositio designatur, quæ alio » nomine dicitur Confirmatio, quia per » eam Spiritus sanctus datur ad augmentum, & robur. Unde cum cæteras unctiones simplex Sacerdos, idest Presbyter, valeat exhibere, hanc nonnisi summus Sacerdos, idest Episcopus, debet » conferre, quia de solis Apostolis legitur, quorum Vicarii sunt Episcopi, „ quod per manus impositionem Spiritum „ sanctum dabant, quemadmodum Actuum „ Apostolorum lectio manifestat; *Cum accepissent*, inquit, *Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod accepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Johannem; qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum;* cujus adventus „ per unctionem mysterii designatur, quia „ columba, in qua Spiritus sanctus super „ Christum in baptismo descendit, ad vesperam in cataclismo revertens ramum „ retulit virentis olivæ. Cujus utique sacramentum David Propheta prænoscens „ exhilarandam faciem in oleo prædicavit. „ Unguntur etiam secundum ecclesiasticum morem, cum consecratur, altare, „ cum dedicatur, templum, & cum benedicitur, calix, non solum ex mandato „ legis divinæ, verum etiam exemplo beati Silvestri, qui cum consecrabat altare, illud chrismate perungebat. Præcepit „ enim Dominus Moysi, ut faceret oleum „ unctionis, de quo ungeret tabernaculum „ testimonii & arcam testamenti, mensamque cum vasis. De quibus etiam unctionibus, si forsitan dubitaveris, cum a te „ fuerimus requisiti, fraternitatem tuam plenius instruemus. Verumtamen unctionis „ sacramentum aliud quidem efficit & figurat, tam in novo, quam in veteri testamento. Unde non judaizat Ecclesia, cum „ unctionis celebrat sacramentum, sicut „ aliqui mentiuntur, qui neque scripturas, „ neque Dei novere virtutes. Monemus „ igitur Fraternitatem tuam, & exhortamur attentius per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ad mandatum „ dilecti Filii nostri Leonis tituli S. Crucis presbyteri Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legati tu quoque sacram suscipias „ unctionem, ne quid tibi desit ad plenitudinem sacramenti, & cum sancto fueris „ chrismate delibutus, Archiepiscopos, & „ Episcopos tuos similiter ungas, & per „ eos manus facias sacerdotum inungi „ oleo benedicto, illum de cætero in ordinandis presbyteris, & consecrandis Episcopis morem servans, & faciens observari, quem Apostolica sedes observat, „ quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est, & magistra. Mittimus „ autem tibi per Cardinalem prædictum „ pontificalia ornamenta, caligas, & sandalia, amictum, & albam, cingulum,

„ et suc-

Digitized by Google

„ et succinctorium, orarium, et manipulum, tunicam, et dalmaticam, chirothecas, et annulum, planetam, et mitram. Pallium vero per dilectum filium Joannem Capellanum nostrum antea miseramus: et licet Romanus Pontifex non utatur baculo pastorali tum propter historicam, tum etiam propter mysticam rationem; tu tamen ad similitudinem aliorum pontificum poteris eo uti, quorum omnium rationem idem Cardinalis, sicut a nobis accepit, te poterit edocere. Datum Anagniæ etc.

Leo in carcerem trusus a rege Hungariæ.

Roma igitur profectus Leo post mensem Februarium cum Blasio Episcopo Brandizuberensi in Bulgariam reduce, per Hungariæ regnum transiit, ubi ab rege Ladislao tot cumulatus fuit obsequii, ac benevolentiæ significationibus, ut regiæ pœne majestatis oblitus videretur. Sed cum ad Bulgariæ fines jam pervenisset, repente prohibitus est ab Hungaris administris trans Danubium progredi; immo circumseptus a satellitibus in angustum cubiculum, seu potius carcerem cum Blasio Episcopo detruditur, necessariis quoque vitæ sustentandæ vix concessis.

Ut indignum facinus contra Pontificiam dignitatem, cujus Leo personam gerebat, & contra gentium jura vel a barbaris servata perpetratum Innocentio innotuit, gravibus litteris Ladislaum, coarguit, monuitque, ut facti pœnitens illata Romanæ Ecclesiæ & Sedi injurias debita satisfactione sarciret. Nam commendat primum ejus religionem, & in se observantiam, cum Joannem suum ad Bulgaros nuncium in Hungarico itinere summis honoribus prosecutus est; in memoriam etiam revocat, ejus suasione adductum Megajupano Serbliæ dedisse se regiam dignitatem & coronam, salvo in ea provincia, quod Hungarorum esset, jure. Tum subdit; „ Per has ergo

Pontificis de hoc facinore querela.

„ non tam generales, quam speciales causas inducti filium nostrum Leonem Tit. Sanctæ Crucis Presb. Cardinalem A. S. L. in Bulgariam & Blachiam per regnum tuum ad propagationem Fidei Christianæ duximus destinandum, qui sicut tuis Nobis litteris intimavit, a tua regia celsitudine ultra etiam, quam crediderat, a te exstitit honoratus, ita ut quasi deposita gravitate regali, universa conaveris efficere, quæ sibi crederes complacere; dato prius cum omni jucunditate ducatu Nunciis, quos in Bulgariam duxerat destinandos. Datoque pacis osculo, & facta cum magno gaudio mutua promissione specialis amicitiæ, & muneribus elargitis, non solum licentiam obtinuit transeundi, verum etiam tuis Nuntiis præcepisti, ut eum transferrent in Bulgariam cum honore, promittens, quod tuum sibi scriptum in confinio destinares, quod ipse apud se secretius retineret; & secundum illud ad reformationem pacis fideliter laboraret. Procedens igitur cum Nunciis tuis usque ad regni terminum pervenit ad castrum, quod vocatur Keve, ubi solo Danubio mediante regnum Hungariæ a Bulgarorum provincia separatur, multis cum desiderio expectantibus ex altera parte. Sed post unius moram diei Nuncios ex insperato recepit, qui cum festinatione maxima venientes, sibi & Episcopo Bulgaro transitum fecerunt omnino præcludi, ex parte regia proponentes, ut ad quoddam tuum præsidium retroiret, quod itinere trium dierum jam reliquerat post tergum, ibique morans Domino Bulgarorum per nuncios demandaret, quod ad quamdam insulam festinus accederet in confinio constitutam, ut ibi prius de controversia, quæ vertitur inter vos, plane recognosceret, & eam fine debito terminaret; alias ei transitus non pateret. Ipse vero Cardinalis inter multa respondit; quod hoc tali modo facere non deberet; tum quia si eum cum hujusmodi pactionibus reciperet ad matris ubera redeuntem, quum super hoc non tam sæculare, quam spirituale negotium ageretur, videretur intervenire species simoniacæ pravitatis; tum quia non posset eum compellere ad aliquid faciendum, donec obligatus esset Apostolicæ Sedi per vinculum spirituale. Unde cum nollet ab incæpto itinere retroire, protinus exiit edictum a Comite Castri, quod quicumque sibi aut Episcopo memorato auderet aliquid vendere, seu aliquod solatium humanitatis exhibere, pœnam incurreret personarum & rerum. Et ipse Cardinalis cum Episcopo sæpedicto a trecentis ad minus circumfusus satellitibus custoditur, qui adeo ipsum comprimunt, quod ostium cameræ, si camera dici debet, observant; ut taceamus ea, quæ sibi & suis circa necessaria naturæ viliter irrogantur „; deinde sperare se ait fore, ut *errata* corrigat, & *injuria* cedat *in honorem*; unoque tempore scripsit ad Episcopos provinciæ Strigoniensis, ut regem ad offensam eluendam inducerent omni nisu; ex Reg. Innoc. lib. 7. ep. 126.

Contendebat nimirum Ladislaus, Pontificium Legatum esse arbitrum pacis se inter, & regem Bulgariæ, ab eoque dissidia componenda, quæ de utriusque regni finibus intercedebant, quod ait Innocentius, non li-

licuit Legato, nec liberum erat, quippe a Pontifice mandatum hoc minime acceperat. Lectis a Ladislao Innocentii litteris, nec criminis pœnitentia commotus, nec de Legati libertate sollicitus respondit is Pontifici, primum videri sibi Romanæ Sedis benevolentiam in Hungariæ reges illi obsequentissimos tepuisse, cum velit Innocentius Bulgarum sui regni hostem regia ornare dignitate; deinde subjicit, occupatas a Bulgaro possessiones, quæ jure dotis traditæ a Bela patre fuerant Margaritæ seu Mariæ sorori suæ Isaacio II. Angelo nuptæ Græcorum Imperatori, ac præterea Serbliam sibi subditam fœde vastatam, dum ipse Pontificiis monitis decertabat absens in Germania pro Othonis Saxonis imperio adversus Sueviæ Dynastam Philippum. Quid? quod Bulgaro nullum sit legitimum dominium, quippe regna non sua invaserit, & tyrannice dominetur; mirum proinde, Hungariæ inimicum ab Innocentio regem, se inconsulto, dici & coronari. Itaque vel Pontifex e sententia discedat, vel Bulgaricum regnum non ante instituat, quam Legatus de finibus controversiam tollat.

& Ladislai responsum,

Hæ nimirum erant causæ, cur reges Hungariæ Bulgaris adversabantur, hæc semina bellorum, quæ inter gentem utramque exarsere duobus, hisque amplius, integris sæculis.

ad quem alia Innocentii epistola.

Verum Innocentius aliis litteris falsas Ladislai querimonias, seu objurgationes potius in Apostolicam Sedem fortiter compescuit, & facile elusit; meminerit, inquit, Ladislaus, Belam patrem Alexandri III. Pontificis cura & studio Hungariæ regnum adeptum esse, cum gravissimæ obsisterent difficultates, ipsumque Ladislaum regni sui initio civilibus bellis conflictatum, se auctore & sequestre, nunc in pacifica Hungariæ possessione conquiescere; non ergo imminuta Romani Pontificis charitas in Hungaricos reges; de injuriis a Bulgaro in Ladislaum illatis pollicetur Innocentius se curaturum, ut justa ei satisfactio reddatur; quod vero attinet ad tyrannicam Bulgari dominationem his respondet; *Antiquitus multi reges in Bulgaria successive fuerunt auctoritate Apostolica coronati, sicut Petrus & Samuel & alii nonnulli post eos. Nam ad prædicationem sanctæ memoriæ Nicolai Prædecessoris nostri, rex Bulgarorum, ad quorum consulta sæpissime respondebat, cum toto regno sibi commisso meruit baptizari. Sed tandem prævalentibus Græcis, Bulgari perdiderunt regiam dignitatem; quin imo compulsi sunt gravi sub jugo Imperatori Constantinopolitano servire; donec novissime duo fratres Petrus videlicet & Joannicius de priorum regum prosapia descendentes terram patrum suorum non tam occupare, quam recuperare cæperunt, ita quod una die de magnis principibus, & inumeris populis mirabilem sint victoriam consecuti. Non ergo negamus, quin forte aliquam partem terræ violenter invaserint, sed constanter asserimus, quod plurimam terræ partem de jure recuperavere. Unde nos eum non super alienam, sed supra propriam terram ad instar Prædecessorum nostrorum Regem intendimus coronare, volentes ut & ipse terram restituat injuste detentam, & terra injuste retenta restituatur eidem, quum ipse postulaverit a nobis, ut de terris invasis faciamus inter te & ipsum utrique parti justitiam exhiberi*. Tandem non posse affirmat a suo Legato fœdus jungi inter regem utrumque, nisi utrumque primum adiverit; & concludit; *Attende nihilominus diligenter, quale denique reputares, si nos impedire vellemus, ne filius tuus carnalis coronari posset in regem; & tale nos reputare cognosce, si tu impedire coneris, ne filius noster spiritualis in regem valeat coronari*.

Hæc verba postrema metum Ladislao indidere, ne cum regni comitia instarent, & ejus filius a Proceribus, corona imposita, rex foret renuntiandus, Pontifex obstaret, dum is Bulgaro regium diadema afferri vetabat; quare illico Pontificis Legatum abire liberum imperavit; qui missis ad Hungaricum conventum nunciis Innocentii jussu, ipse, Istro trajecto, Ternobum pervenit idibus Octobris. Parva vero interposita mora, mox urbe tota ac templo magnifice ornatis, die Novembris septima Leo Basilium renuntiavit Bulgariæ Blachiæque Primatem, unctione & consecratione perfectis, Basilius vero Episcopos, & Metropolitas, qui aderant, inunxit, hisque Legatus Pallia tradidit, & Pontificalia ornamenta. At die postero, exercitu plaudente & civibus universis, Joannes a Leone redimitus corona, sceptrum dextera tenens manu Bulgarorum rex atque Blachorum est salutatus. Leo proinde sua legatione sapienter, ac fortiter perfunctus XVII. Kal. Decembres Ternobo Romam rediturus discessit. At Joannes voti omnino compos, & lætitia gestiens litteras misit ad Innocentium reverentiæ & officii plenas cum delectis muneribus; &, quid Legatus præstiterit, cum exposuisset, suam cum Hungaro rege controversiam veluti a Pontifice dirimendam ei commendat, & una duos pueros e gente Bulgara, quos Romam perduci jubet, ut litteras latinas ediscant; nemo enim erat in regia aula, qui Latium idioma calleret, & ejusmodi scripta in linguam Bulgaricam sciret interpre-

Legatus liber regem Bulgarum coronat.

pre-

Digitized by Google

pretari. Addit etiam nonnulla, de capta a Latinis Constantinopoli; qua super re plura inferius. Epistola hæc est.

litteræ Joannis regis ad Innocentium,

A Calojohanne rege totius Bulgariæ & Blaciæ ad a Deo promotum, & sanctissimum, & in Christo dilectum, & honorificentissimum Patrem regni nostri, tertium Innocentium, & sacerrimum Papam Romæ, & Successorem Principis Apostolorum Apostoli Petri. Legatus Apostolicæ Sedis Dominus Leo sanctitatis tuæ scriptum meo attulit imperio &c. Hoc autem notum sit Sanctitati vestræ Patri speciali regni mei, Domino Papæ, quod dominus Leo Legatus Apostolicæ Sedis venit ad imperium meum sibi afferens Coronam, & eam benedicens super caput imperii mei imposuit, & in manibus meis dedit mihi Sceptrum & Vexillum, & benedixit sanctissimo Patriarchæ regni mei & totius Bulgariæ ex præcepto vestræ Sanctitatis &c. Scribo autem vobis, & de Hungaro, quoniam imperium meum non habet aliquam societatem regionum, vel aliquam rem cum eo, neque ei nocet, immo ipse parvipendit, & nocet regionibus imperii mei, & dominus Leo Cardinalis vidit, & vestræ sanctitati annunciabit justum, vel injustum, quod est ab imperio meo, aut si ego parvipendo Hungarum; vel si ipse meum imperium parvipendit, & scribat ei sanctitas vestra, quatenus distet a regno meo, quoniam Imperium meum nec eum habet parvipendere, nec contra terras ejus abire. Si vero ipse venerit contra terras imperii mei, & Deus adjuverit ut vincatur, non habeat sanctitas vestra imperium meum suspectum, sed sim liber. De latinis quoque, qui Constantinopolim introierunt, scribo sanctitati vestræ, ut eis scribatis, quatenus distent ab imperio meo, & sic imperium meum nullum malum eis facit, neque ipsi nos parvipendant. Si forte ipsi conati fuerint contra imperium meum, & parvipenderint illud, & occidant ex eis, non habeat sanctitas vestra imperium meum suspectum, sed sint universa libera. Misi autem ad tuam magnam san-
1 *ctitatem duos* (1) *pueros, unus vero nominatur Basilius, alius Bethelem, & dentur ex præcepto eis, ut addiscant in scholis litteras latinas, quoniam hic grammaticos non habemus, qui possint litteras, quas mittitis nobis, transferre, & postquam ipsi addidiscerint, remittantur ad imperium meum. Misi autem ad præsens*
2 *in signum parvæ recordationis* (2) *examita*
3 *duo, episima* (3) *dupla, unum est ru-*
4 *beum, & aliud album, & camelum* (4) *unum. Quum vero mittam Legatos ad Sanctitatem vestram, vestræ Sanctitatis recordabor.*

NOTÆ.

1 Ad hosce pueros, quod attinet Bzovius in annal. an. 1205. sibi suadet ex hisce unum regis filium fuisse, ut in sua epistola, quam mox edam, affirmat Archiepiscopus Basilius; idemque sentit Assemanus in tom. 5. operis jam laudati pag. 148. Sed Cangius in libro de familiis Dalmaticis cap. 7. huic opinioni opponit veterum Scriptorum silentium de uxore & liberis Joannis regis. Præterquam quod inverisimile prorsus, imo absurdum est, regem in hac epistola siluisse ex duobus pueris unum esse filium suum, si revera exstitit; quem ab altero discernere, & aperte nominare debuerat, ut validior foret apud Innocentium commendatio, atque puer ab illo honorabilius exciperetur; & Basilii verba parenthesi inclusa absque ulla causa suspicionem injiciunt intrusa alicujus arbitrio, aut errore addita fuisse.

2 Examitum, pannus est holosericus, de quo Cangius in Gloss. med. & inf. Latinit.

3 Episima dicuntur panni holoserici, sed tesseris auro textis vel purpureis, vel argenteo opere clavatis. Id.

4 Camelum, forma quædam vestis Pontificalis e subtilioribus Cameli pilis contexta. Id.

Basilius etiam obsequii, & grati animi sensa erga Pontificem hac epistola declaravit.

Multas inclinationes & multas sanitates & Basilii Archiep.
a me Basilio humili Bulgarorum & Blacorum Primate erga Patrem universorum & Dominum & Patrem meum magnificentissimum, & sanctissimum Papam Innocentium.

Oramus Omnipotentem Deum &c. Notum sit ergo Sanctitati vestræ magnæ, quod Leo Cardinalis & sanus & sospes pervenit Delegatus a S. V. & Apostolica Sede, & usque ad nostram magnam civitatem Trinovæ tetendit XV. die Octobris, & portavit universalem plenitudinem Patriarchalis dignitatis, & paramenta omnia, quæ mihi a vestra magna Sanctitate fuerunt delegata. Tradidit similiter & Anulum, & privilegium & scripta & instructiones. Ex præcepto V. S. unxit me Chrismate, mihi benedicens, & consecravit me in Patriarcham mensis Novembris septimo die, in festivitate scilicet Sancti Jacobi (1) *Apostoli fra-* 1
tris Domini. Et ego illo die unxi duos Metropolitanos & cæteros Episcopos magno gaudio, & duobus de Metropolitanis benedixit Cardinalis. Et tradidit eis pallium, atque mitram, & reliquis in caput eorum mi-

Digitized by Google

mitras imposuit. Octavo vero die ejusdem
2 *mensis in festivitate videlicet sancti* (2) *Michaelis coronavit & benedixit Imperatori Calojohanni Domino omnium Bulgarorum atque Blacorum, & superposuit capiti suo regiam Coronam, & Sceptrum suis manibus imponens omnia hæc complevit atque perfecit secundum S. V. velle, & benedicens nobis segregatus est a nobis mensis Novembris die XV. Interea sciat Vestra ma-*
3 *gna Sanctitas, quod duos pueros* (3) *ex precepto Domini Imperatoris vobis mitto (unus est presbyteri Constantini filius, alius vero regis) ut ex precepto V. S. litteras latinas addiscant. Et quidquid meditari valeatis ad honorem Imperatoris, faciatis. Manuteneat enim Deus V. S. per multa & longæva tempora.*

NOTÆ.

1 Colitur S. Jacobus a Latinis Kal. Majis; sed in Menæis Græcorum aliis mensibus ac diebus affigitur ejus memoria; vide Tom. 1. Maji Boll.

2 In fastis Græcis & Græco-moschis hic dies sacer est Archangelo Michaeli, quem Latini die Maji octava, & Septembris vicesima nona venerantur; vide in Boll. mensem utrumque.

3 de his dictum in nota epistolæ superioris. Fortasse quis autumet, duos hosce pueros ab his alios esse, quos in suis litteris Joannes Pontifici commendat; sed absonum valde, uti animadvertimus, a rege patre filium ne innui quidem, & a Basilio nominari, dum uterque ambos pueros Innocentii curæ ac vigili custodiæ committit.

Hujuscemodi pompa sacrisque hisce ritibus atque cæremoniis an. 1204. institutus est Ternobensis in Ecclesia Bulgarica Primatus, ejusque Primas Basilius Archiepiscopus; atque in illo series Archiepiscoporum Bulgariæ restituta, Romani Pontificis auctoritate. Qui vero Basilium præcessere Bulgarorum Archiepiscopi, hi Achridenses dicti fuere Antistites, modo Catholici, modo Schismatici, quorum historiam habes in Ecclesia Achridana; iidemque in Schismate obfirmati creari non desierunt, dum Bulgari communioni Romanæ cum rege ipso, & Ternobensi Primate adhærebant. Quamquam neque hæc diuturna fuit concordia, quam brevi Græcorum perfidia, & Bulgarorum inconstantia dissolvit. Quod vero ad Episcopos attinet, quos Basilius commemorat, hos e vicinis provinciis Hæmimontis aut Rhodopes fuisse censeo, ubi Bulgari vetus adhuc retinebant imperium. Nam in Mœsia Episcopatus olim Metropoli Marcianopolitanæ subjecti hoc sæculo jam esse desierant, si paucos excipias, in quibus prævaluere Antistites Schismatici, ademptis Romanis præterquam in Ecclesia Nicopolitana.

Dum itaque Ternobi hæc agebantur læta ac fausta religioni & imperio, fœderatus Latinorum exercitus Balduino Francorum, Henrico Dandulo Venetorum ducibus Constantinopolim ceperant eo consilio, ut Alexium IV. Angelum Imperatorem ab Alexii Ducæ Murtzuphli manibus eriperent; quo e vivis Tyranni crudelitate sublato mense Februario hujus anni 1204. & Græcorum Principibus in varias regiones dispersis, Latini Constantinopolitanum imperium sibi vindicarunt, & primus renunciatus est Imperator Balduinus Flandriæ Comes XVII. Kal. Majas an. 1204., cum Veneti, Januenses, aliique fœderati Dynastæ imperii opportuniores insulas, & terrestres provincias sibi essent dispertiti. Celeberrimum hoc factum omnium linguis & scriptis traditum est posterorum, ut idcirco haud necesse sit pluribus illud verbis enarrare. Interea Græci partim insito in Latinos odio, partim militum licentia, tum rapinis, vexationibus graviter offensi eorum jugum detrectabant. In Thracia primi Hadrianopolitani parere victoribus recusarunt; & in auxilium accito Joanne rege, quem lacessere non verebantur Latini, cuique superbe minas intentaverant regni adimendi, cuivis discrimini sese objicere statuerunt, ne hostium servituti subjicierentur. Re autem vera cum Balduinus in illos castra movisset virtuti potius quam copiarum numero confisus, quæ paucæ erant, a Græcis & Bulgaris justa acie obseptus, exercitu deleto, & in fugam verso, ipse captivus a Joanne Ternobum, uti ferunt, abductus est XVII. Kal. Maji an. 1205. & Imperii primo vix expleto. Hæc Græci Scriptores fere omnes confirmant; sed de morte Balduini in suspicionem venit falsitatis illorum narratio, qui produnt fuisse illum a Joanne crudeliter interfectum utpote, Bulgaris inimici, qui ad odium, & exsecrationem Joannis populares incenderent. Cæterum Andreas Dandulus illorum temporum æqualis scribit lib. 10. cap. 2. profligatis Latinis copiis, Balduinum *nunquam comparuisse;* alii in carcere Ternobensi interiisse morbo perhibent, & ipse Joannes testatur in litteris ad Innocentium. Henricus Balduini frater, qui ejus nomine res publicas Constantinopoli curabat, audita suorum clade, statim nuncios & litteras misit ad Pontificem, queis inopinatum casum deplorat, & causam rejicit *in innatam Græcorum malitiam & perfidiam;*

Fœderati Latini Constantinopolim capiunt.

Balduinus Imp. a Bulgaris victus & captivus.

Digitized by Google

fidiam; dum Innocentius in epistola ad Bonifacium Montisferrati Dynastam divinæ iræ, & ultioni in perpetrata a Latinis scelera, & enormia flagitia ac sacrilegia tribuendas esse ait ejuscemodi calamitates; subjicit vero Henricus de fratre; *accepimus tamen ab exploratoribus nostris certissimis, & fama veridica, quod Dominus meus Imperetor sanus teneatur & vivus, qui ab eodem Johannicio satis, ut asseritur, pro tempore honorabiliter procuratur.* Atque his a Pontifice intellectis, uti ingenti affectus est mærore, ita Joannem regem illico vehementer est adhortatus, ut Balduinum libertate donaret, & cum Latinis pacem iniret ac fœdus tuendæ religioni, ac reipublicæ, suique regni saluti maxime necessarium.

litteræ Innocentii P. pro illius liberta

ad regem Joannem,

Calo-Joanni Regi Bulgarorum, & Blachorum Illustri. Ex illa gratia speciali, qua te glorificavimus inter omnes Principes Christianos usque adeo te diligimus, ut ad tuum commodum, & honorem efficaciter aspiremus pro certo sperantes, quod in devotione sacrosancta Romanæ Ecclesiæ Matris tuæ proficere debeas incessanter, per cujus merita gloriosum acquisivisti triumphum adversus eos, qui te intendebant graviter molestare. Cum igitur Regium diadema, & militare vexillum a nobis per Legatum Apostolicæ Sedis acceperis, ut Regnum tuum Beati Petri sit speciale, providere volumus diligenter, ut ab hostium liberatus incursibus undique tranquilla pace læteris. Noveris ergo fili charissime, quod ingens exercitus de occidentalibus partibus est in Græciam profecturus, præter illum, qui nuper accessit. Unde tibi, & terræ tuæ debes summopere providere, ut dum potes, pacem ineas cum Latinis, ne si forte ipsi ex una parte, & Hungari ex altera te studuerint impugnare, non facile possis resistere conatibus utrorumque. Quocirca serenitati tuæ suggerimus, & consulimus recta fide, quatenus cum Balduinum Constantinopolitanum Imperatorem dicaris tenere captivum, ita tibi provideas, ut per liberationem ipsius veram, & firmam pacem facias cum Latinis, ut ab impugnatione tu, & terra tua penitus conquiescant. Nos enim Henrico Fratri ejusdem Imperatoris, qui Constantinopoli præest exercitui Latinorum per Apostolicas litteras mandamus, ut ad pacem tuam pro liberatione ipsius Imperatoris Latinos inclinet, & a tua molestatione cesset omnino. Inspiret itaque tibi Deus, ut nostris monitis, & consiliis acquiescas, quatenus Regnum tuum, quod B. Petro, & Ecclesiæ Romanæ devotissime dedicasti, ab omni perturbatione servetur illæsum, ad quod diligens studium impendere cupimus, & operam efficacem.

In gestis Innocentii additur scripsisse illum & Basilio *Trinovitano Archiepiscopo Bulgarorum & Blachorum Primati*, ut regem *moneat & inducat* ad exsequenda Pontificis consilia & hortamenta; datæ sunt etiam litteræ Henrico, queis inquit Pontifex, *Nobilitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad liberationem fratris tui diligenter intendens veram & firmam pacem stabilias cum charissimo filio nostro in Christo Calojohanne rege Bulgarorum & Blachorum illustri, ut inter Bulgaros & Latinos fidelis & stabilis amicitia de cætero perseveret. Breviter scribimus, quia opus est magis opere, quam sermone &c.* Quid igitur Innocentio responderit Joannes, nos docent hujus Pontificis gesta edita a Baluzio num. 180.

& ad Archiep. Basilium.

Præfatus vero Joannicius sive Calojohannes rex Bulgarorum & Blacorum respondit, quod ipse audita captione regiæ civitatis miserat nuncios & litteras ad Latinos, ut cum eis pacem haberet; sed ipsi superbissime ei responderunt dicentes, quod pacem non haberent cum illo, nisi redderet terram ad Constantinopolitanum imperium pertinentem, quam ipse invaserat violenter. Quibus ipse respondit, quod terra illa justius possidebatur ab ipso, quam Constantinopolis possideretur ab illis. Nam ipse recuperaverat terram, quam Progenitores ejus amiserant; sed ipsi Constantinopolim occupaverant, quæ ad eos minime pertinebat. Ipse præterea coronam regni receperat a Summo Pontifice, sed ipse, qui se appellabat Constantinopolitanum Basileum, coronam imperii temere usurpaverat a seipso, Quapropter potius ad ipsum, quam ad illum imperium pertinebat. Ideoque sub uno vexillo, quod ut B. Petro receperat ejus clavibus insignito pugnaret fiducialiter contra illos, qui falsas cruces suis humeris præferebant. Provocatus igitur a Latinis compulsus fuit, ut se defenderet ab illis; deditque sibi victoriam insperatam Deus, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; ipsamque victoriam B. Petro Apostolorum Principi ascribebat. Dictum autem Imperatorem ad consilium suum, & mandatum summi Pontificiis liberare non poterat, quia debitum carnis exsolverat, cum in carcere teneretur. Hæc de Joannis responso, qui non omnino veram belli suscepti causam exponit; nam a Græcis in auxilium vocatum fuisse non obscura indicant veterum monumenta; & certo constat, hac arrepta occasione discissi, & bellicos inter tumultus pœne eversi Græcorum imperii, non solum cum Latinis concordiam

regis responsio,

qui Latinos persequitur,

Digitized by Google

diam non pepigisse, sed spe veteris recuperandæ ditionis, quam olim Basilius Bulgaris abstulerat, insecutum illos fuisse & crudeliter per Thraciam usque in Macedoniam, vastatis regionibus, deletis urbibus, donec an. 1207. ad Thessalonicam vitam finivit; ita Georgius Acropolita, & Cangius de famil. Dalmat. num. 13.

& obit an. 1207.

mors Basilii Arch.

Regis obitum consecuta est mors Basilii Archiepiscopi, anno tamen incerto, & inde iis extinctis magna & valde tristis Ternobensis Ecclesiæ ac rerum Bulgaricorum conversio,

N. ARCHIEP. TERNOBENSIS II.

N. Archiep. Ternobensis, an. circ. 1217.

Præfuit huic Ecclesiæ eodem tempore, quo Joannes alter patruo suo Joanni I. in regnum Bulgaricum successit; & uterque schismaticam labem denuo intulit in Bulgariam, quam tot curis, ac sollicitudinibus collatisque summis honoribus ad sinum Romanæ Ecclesiæ Innocentius paullo ante revocaverat. Hic Asani fratris Joannis I. filius, unde Joannes Asani, & Asanus dictus in Russiam aufugerat, cum Borilas e sorore Joannis I. nepos, eo extincto, Bulgariæ coronam sibi præripuerat. At Asanus Russorum, & Bulgarorum procerum fultus auxiliis hostem aggressus facile vicit, qui Ternobum sese cum suis recepit, nec nisi post septennem obsidionem potuit debellari. Hinc licet conjicere post decem circiter annos ab Joannis interitu, qui affigitur an. 1207., Joannem Asani quietam regni possessionem adiisse an. circ. 1217. quo tempore & Anonymus noster videtur Archiepiscopatu potitus. Interea res Latini imperii in pejus ruere Constantinopoli videbantur; nec Innocentii monita, & hortationes quidquam profecerant, quo Joannes rex Bulgariæ Latinis tuendis adversus Græcos præsto adesset; imo Asanus juncto fœdere cum Schismaticis Græcorum Dynastis non solum in eorum ruinam conspiravit, sed etiam, ut societas firmior esset, a Romanis ad Græca sacra defecit, & cum Imperio Constantinopolitano religionem Latinorum in suo regno evertere adnisus est; quandoque tamen cum Græcis etiam propitio marte conflixit, prout sua intererat; præcipue vero an. 1230. Theodorum Angelum Comnenum justo prælio victum, atque captivum in Bulgaria detinuit, oculo utroque barbarum in modum eidem effosso. Innocentio III. vita functo, successerat Honorius III. an. 1217., qui totum intendit animum in Bulgariæ salutem, eoque vivo, latentes rebellionis scintillæ in flammam non exarserant. Honorio suffectus est Gregorius IX. an. 1227. nec multo post ignem erupisse in apertum, & late incendium minitatum esse nos docent hujus Pontificis litteræ ad Præsidem Polonæ provinciæ Dominicanæ an. 1232., jubet enim, duos Bulgarorum Episcopos Albensem & Brandusiensem in schisma prolapsos serio moneri, ut, ejuratis erroribus, ad veram redeant Catholicæ fidei professionem; eas suo loco dabimus inferius. Itaque Gregorio IX. Pontifice Asanus conjugium Helenæ filiæ cum Theodoro Joannis Vatatzii Græci Imp. filio dum parabat, hanc etiam ob causam Latinis infensior effectus est, eo quod filiæ nuptias opera Venetorum oblatas Balduino II. Constantinopolitano Imp. respuisset. Quare missa ad Vatatzium legatione inter utrumque de pace conventum est & de connubio; rei narrationem verbis Georgii Acropolitæ coævi Scriptoris describo; *Asanus cum uxore Maria Hungara & filia Helena Calliupolim venit, ubi cum Imperatore sermones conserit; ibidemque amicitiam uterque confirmant. Asanus Hellespontum non trajecit, sed in Calliupolis partibus remansit. Joannes Imperator cum uxore & filia Helena Lampsatum, ubi erat Irene Imperatrix, remeat, & puerorum nuptias apparant, cum Germanus Patriarcha inter rem divinam nuptiarum ceremonias absolvisset. Tunc & Trinobi Præsul Constantinopolitano obnoxius, Imperatorio ac Synodico decreto, ut Asano Bulgarorum Principi, affinitatis & amicitiæ causa gratificarentur, suo jure vivere, & Patriarchæ nomine condecorari obtinuit.*

Joannes Asani filius rex Bulgariæ.

Latinorum hostis

Bulgarici schismatis initia & causæ.

Singula expendamus oportet, & illustremus.

Nam primum Imperatorum colloquium eo initum videtur, ut sese mutuo ab armis Latinorum tuerentur; eratque Asano multo utilius & magis necessarium Græcorum auxilium adversus Hungaros, si forte bellum inde immineret, quod postea evenit, mortua jam Maria uxore, Andreæ Hungariæ regis filia an. 1237. ex qua Helenam Theodoro sponsam susceperat; tum de amplectendis Græcis dogmatibus, & Romanis rejiciendis definitum est. Nam Calliupoli, qui Chersonesi locus ad Hellespontum est, nuptias parvulorum Principum, etsi conjugio nondum apti essent, quippe Helena decimum ætatis annum, Theodorus vix attigerat duodecimum, consueto ritu benedixit Germanus Patriarcha Constantinopolitanus schismaticus, qui Bonifacii Pontificis spem fefellit, cum & litteris, & in conventu Nymphææ in Bythinia habito an. 1233. simulasset velle se

in

in concordiam cum Romana Ecclesia redire & præterea Ternobi Archiepiscopus Græci Imperatoris decreto, & Synodi Patriarchalis auctoritate, neque illo, neque Asano repugnantibus, dictus est Patriarcha, suique juris arbiter atque dominus, nec Romani nec Constantinopolitani Patriarchatus devinctus potestati; schismatis hinc elatum signum & Bulgarorum cum Romana Sede dissoluta communio. Hunc Germanum Lequienius posuit in serie Antistitum Ternobensium, qua ex sede ad Constantinopolitanam fuerit evectus; erravit autem vir eruditissimus. In historia chronologica Patriarchatus Constantinopolitani a Guillielmo Cupero S. J. perquam accurate conscripta Germanus hoc nomine II. dicitur a Joanne Duca Vatatzio præfectus Ecclesiæ Constantinopolitanæ an. 1222. eamque annos octodecim administravit; de Ternobensi Archiepiscopatu ne ullum quidem verbum, neque in Nicephoro Callisto, qui illius vitam hisce breviter enarrat; *Germanus sapientissimus & sanctissimus ex Anaplo profectus, piscatoris, ut ferebatur, filius, diaconus primo magnæ ecclesiæ, & post captam urbem in monachum detonsus in Anchiraxa monasterio S. Georgii Paneumorphi dicto. Hunc Joannes Ducas Batatzes promovit, qui ecclesiam recte sancteque administravit; ac contra Latinos scripsit &c.* hæc de schismatico Patriarcha Historicus schismaticus. Jure igitur Germanum ab Ternobensi Ecclesia duximus rejiciendum, cum nulla pro illo monumenta Lequienius proferat, quorum auctoritati liceat acquiescere. Erat quidem hoc anno circ. 1234. aut si mavis 1235. cum Germano Patriarcha & Ternobensis Archiepiscopus in solemni nuptiarum cæremonia, cujus nomen ignotum; propterea Anonymum appellamus; isque alter est, qui post Basilium, Asano rege, Bulgaricum Primatum obtinuit, idemque Catholicæ religionis proditor, cui ambitio suasit, ut debito erga Romanum Pontificem obsequio anteferret Schismaticorum decreta, & ab eis collatos nullo jure honores; id enim fuit propositum Imperatori & Patriarchæ, ut quæ dignitas & potestas Ternobensi Præsuli ab Innocentio III. fuerant concessa, easdem ei largirentur, ne doleret amissas post defectionem a Romanis sacris, arctiusque illum obstrictum haberent Græcanici schismatis sectatorem.

Archiep. Ternob. a Romana Sede defectio.

At Pontifex Gregorius rei novitate perculsus illico obstitit Asani facinori, datis litteris an. 1236. & ne malum radices altiores ageret, voluit regem suo jussu admoneri; filiam ab illicito conjugio ad domum paternam revocaret, a Græcorum societate abstineret, ac Latini imperii, & Catholicæ religionis in Bulgaria prospiceret etiam armis, si opus foret, incolumitati. Quin & Strigoniensi Archiepiscopo mandatum misit, nisi rex obtemperaret, reducta in Bulgariam filia, illum ecclesiastico anathemati subjiceret. Hinc Asanus seu reverentia commotus erga Romanum Pontificem, seu metu, ne armis opprimeretur Catholici exercitus, qui Christi Cruce signatus, & copiarum numero validissimus per Macedoniam & Bulgariam in auxilium properabat Constantinopolitani imperii, & inde in Palæstinam erat profecturus, Helenam filiam, quamvis invitam, Ternobum ipse reduxit, nec solummodo Latinis sese fœderatum adjunxit, sed etiam a Pontifice petiit, ut Legatum mitteret, cujus consilio & ope Latini in possessione adepti in Oriente regni, atque dominii possent adversus hostium vim & insidias confirmari. Asani litteræ perierunt; superest vero Gregorii responsum, unde rerum, quas innuimus, statum cognoscas. Scripsit Pontifex epistolam an. XI. Pontificatus, scilicet Ch. 1237. die Maji 21. quare Asani litteræ aut ad exitum an. 1236. post filiæ reditum, aut ad insequentis initium sunt referendæ.

Gregorii IX. ad Asanem monitio.

qui Legatum ad se mitti postulat.

Pontificis ad eum littera hac de re

Nobili viro Assano, domino Blachorum, & Bulgarorum. Nobilitatis tuæ litteras benigne recepimus, & quæ continebantur in iis, intelleximus diligenter, devotionem tuam in Domino commendantes, ac prosequentes actionibus gratiarum pro eo quod in humi-
litatis spiritu te Deo, & (1) Ecclesiæ Ro- 1
manæ prona devotione substernens, magnanimitatem tuam nobis placitam satagis exhibere. Cæterum cum, sicut ex litteris ipsis accepimus, personam honorabilem, & circum-
spectam ad tractandum cum ea de statu (2) 2
Imperii & Civitatis Constantinopolitanæ de latere nostro desideras destinari, ecce venerabilem fratrem nostrum episcopum Peru-
sinum (3) virum utique approbatum, lit- 3
terarum scientia præditum, & morum honestate præclarum, discretum, & providum, ac nobis & fratribus nostris merito suæ probitatis acceptum ad partes easdem commisso sibi legationis officio providimus destinandum: qui a nobis instructus tam de ter-
ræ sancta (4), & prædictorum Imperii, ac 4
civitatis Constantinopolitanæ subsidio, quam de aliis universis te reddere certiorem, ac tecum de iis plene deliberare poterit, & tractare. In proximo enim, auctore Domino, eisdem terræ, ac imperio tam per cruce signatos, quorum per Dei gratiam maxima
est (5) multitudo, quam per alios Christi 5
fideles, in forti manu, & extento brachio suc-

Digitized by Google

succurretur. Ideoque nobilitatem tuam rogandam duximus attentius, & monendam mandantes quatenus eundem episcopum, cum ad te venerit, immo nos in ipso verius benigne recipiens, & honeste pertractans, quæ tibi ex parte nostra duxerit exponenda, credere studeas, & efficaciter adimplere. Interim autem taliter elabores, præstando charissimo in Christo filio nostro
6 *Joanni* (6) *Constantinopolitano Imperatori illustri consilium, auxilium, & favorem, quod te Catholicum principem & apostolicæ sedis devotum filium, & fidelem operum exhibitione demonstres, ac nos sinceritatis tuæ zelum possimus in Domino merito commendare. Datum Viterbij XII. Kalendas junii anno XI.*

NOTÆ.

1 Sincera ne essent Asani sensa, an ex animi inconstantia & calliditate, eventu comprobatum est, nova scilicet adversus Romanam Ecclesiam rebellione tum ex instabili illius gentis ingenio, tum Græcorum malignitate.

2 Hoc tempore Constantinopolitanum Latinorum imperium ruebat in pejus. Multa oppida tum Francis, tum Venetis, quorum virtute res publica nitebatur, erepta fuerunt a Græcis & Bulgaris; & nunc Asanus auxilium poscit pro iis, quos paullo ante lacesserat, post violentius nec multo insectatus est, atque crudelius.

3 Fuit is Salvus de Salvis patria Perusinus, & doctrina clarus, an. 1244. vita functus.

4 Non solum de imperii Constantinopolitani, sed & de liberanda Palæstina, & urbe Hierosolymitana e Saracenorum potestate agebatur; & Gregorius ipse triennio ante Spoleti cum esset, *Crucis verbum in Terræ sanctæ subsidium in majori platea civitatis proposuit*, inquit Raynaldus ad an. 1234. num. 27.

5 Magni quidem sacri belli apparatus fuere, milites innumeri Cruce obsignati, duces genere ac virtute illustres; pars copiarum ex Italia in Epirum & Græciam traujecerat. Irrita omnia; ac Dei justo judicio Latinum imperium corruit; & sub Turcarum tyrannide Hierosolyma detinetur.

6 Joannes Bryennius Gallus Dynasta nomen gerebat Imperatoris pro Balduino II. adhuc puero, ejusque vice fungebatur. Balduinus postea, regimine suscepto, variis jactatus est infortuniis. Capta a Græcis urbe regia an. 1261. ipse in Italiam venit, ut auxilia compararet; sed quavis ope destitutus obiit an. 1272.

Alias litteras misit Gregorius ad Episcopos Hungariæ, quo Legatum illac transiturum debitis excipiant honoribus. Sed an in Bulgariam pervenerit, quidve cum Asano de propositis negotiis constitutum fuerit, non produnt Historici; in Hungaria tamen versabatur mense Augusto an. 1238., ut nos docent litteræ Gregorii IX. quas proferemus inferius. Asanus visus est per aliquot menses Latinis adhærere, & Græcos acie persequi. Verum inito jam anno 1237., cum in castris degeret, uxoris Mariæ Hungaricæ, & junioris ex ea filii & sui Archiepiscopi obitus eodem tempore nunciatur. Dolore graviter ictus malum inde omen accepit, hanc numinis ultionem esse, quod cum Græcis fœdus & amicitiam abruperit; caussa Latinorum iniqua; haud ferendum ulterius eorum dominatum. Et hæc volvens tristi animo & irato Ternobum regreditur; & consiliis atque armis cum Vatatzio sociatis, in Latinum nomen, in Romanum Pontificem, & in Catholicam religionem aperte persecutionem indicit & bellum. Hoc igitur tempore consignanda est mors Archiepiscopi Ternobensis, qui an resipuerit necne a schismate, dubium omnino est. Inde ad annum circ. 1280. nullos comperio, qui in ejus locum successerint, Antistites; & annorum ferme quadraginta Archiepiscopale Interregnum reipublicæ Christianæ in Bulgaria calamitates auxit, & luctuosiora regno universo attulit detrimenta.

Ecclesiæ Bulgaricæ persequutio, ac Archiep. obitus.

INTERREGNUM ARCHIEPISCOPALE.

Interea impiis Asani conatibus haud aliter obsistendum censuit Gregorius Pontifex, quam missis primum Apostolicis viris ex Ordine D. Francisci, & D. Dominici, qui sanctitate ac doctrina errores illarum gentium luce veritatis excuterent, corrigerent mores, & afflictos solarentur Catholicorum animos, atque Christiana constantia solidarent; tunc enim vix exortæ hæ illustres familiæ ingentes edere cœperant fidei, religionis ac virtutis fructus in Ecclesiæ subsidium & animarum salutem. Deinde Belam Hungariæ regem vehementer est adhortatus, ut Asani impetus sua potentia retunderet & subditos sibi populos ad prælia Domini adversus Christi hostes verbis incenderet, & exemplo; datæ sunt litteræ Later. VI. Kal. Febr. an. XI. idest 1237. a Raynaldo allatæ ad eumdem annum. Hoc tempore Balduinus II., comparatis in Europa validis subsidiis, animum intendebat recuperando imperio Cpano, cui Bulgariam subesse ajebat suoque propterea juri, atque dominio. Quare Bela pari se jure præditum professus apud Pontificem, multo ma-

Bellum sacrum contra Asanum.

Digitized by Google

magis, si victo Asano, regni possessionem sibi armis vindicaret, non ante in aciem egredi volebat, quam Balduinus a sua sententia prorsus recederet. Gregorius pollicitus Balduini animum a se in æquitatis partes conversum iri absque ullo Hungariæ detrimento rursus eum impulit ad bellum quantocius Asano inferendum. Sed Bela, qui jam dolos, & perfidiam Asani præverterat sui regni tutandi, ac religionis protegendæ sollicitus, præsertim cum metuendum esset, ne a finitimo hoste subditorum tentaretur fides erga Deum ac regem, per litteras Pontifici se suaque omnia alacriter obtulit; petit vero, ut, cum Bulgaricum regnum occupaverit, sibi potestas, ut olim sancto Stephano primo Hungariæ regi, a Pontifice tribueretur procurandi res ecclesiasticas, & Episcopatus seu erigendi, seu conjungendi, ampliandi etiam, vel abolendi, & eorum diœceses definiendi, ut opus foret, in iis locis, ubi schisma, & hæreses, interni etiam tumultus, & bellorum vastitas sacra omnia subverterant ac ferme diruerant; datæ autem sunt VII. idus Junias an. 1238. quas habes in Raynaldo anno eodem. Respondit itaque Pontifex, & annuens regis postulatis sacrum bellum in Bulgaros illico apparandum edixit.

& de hoc litteræ Gregorii P. ad Belam Hungariæ regem.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio illustri regi (1) Hungariæ Salutem & Apostolicam Benedictionem.

1 *Litteras, quas nobis celsitudo regia destinavit, gratanter recepimus, & quæ continebantur in eis, tam diligenter intelleximus, quam libenter, dignas agentes gratias Domino Deo nostro in gratia Dei, quæ data est tibi in Christo Jesu, quod, illo salubriter inspirante, qui habens corda regum in manu sua ea ubi voluerit inclinabit, clar. mem. Progenitorum tuorum exempla sectatus, quanto potentiu es & dignitate sublimior, tanto te illi humiliori devotione substernens, qui exaltat humiles in salutem, ipsum reverentius honoraris, & sponsam ejus Ecclesiam revereris venerabilius, prout affectu exhibes & effectu. Fortitudine namque spiritu roboratus ad assumendum negotium contra gentem apostatricem, populum blasphemantem, hæreticos videlicet & schismaticos terræ (2) Assani, ipsumque Assanum Dei & Ecclesiæ inimicum, illudque cum auxilio Dei & Ecclesiæ personaliter prosequendum te prompta magnanimitate, magnanimi promptitudine voluntarius obtulisti, ut sic Dei & Ecclesiæ obsequiis totaliter te ascribas. Propter quod licet adhuc in minori constituti officio, ac demum ad apicem summi Pontificatus assumpti personam tuam speciali prærogativa dilectionis & gratiæ amplectentes ad profectum tuum & exaltationem coronæ regiæ intenderimus diligenter; nec tamen quodammodo reputantes nos ad id tuis meritis debitores tanto magis, non solum in his quæ in eisdem litteris expressisti, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudire te volumus, sed etiam ad omnia quæ tuum respiciunt commodum & honorem propensius aspiramus, quanto libentius divinis & nostris beneplacitis obsecundas. Sed & illam de te fiduciam gerimus, & sic puritatis tuæ zelum discretionis spiritu te credimus moderari, quod nihil tibi a nobis concedi velis, per quod Romana Ecclesia mater tua notam alicujus detractionis incurrat, vel trahi possit ab aliis in exemplum. Cum enim inductus forsan consilio aliquorum a nobis petieris, tibi Legationis officium committi in terram Assani supradicti, & concedi etiam potestatem limitandi diœceses, instituendi Episcopos, & distinguendi parochias, necnon & terram, quæ Zemram (3) nominatur, in qua dudum* 3 *desolata excrevit populi multitudo, qui nondum subfuerat cuiquam Episcopo, alicui episcopatui applicandi, quia serenitati vestræ in visceribus Jesu Christi dilectæ, ac per hoc negare tibi aliquatenus non valemus quod secundum Deum cuiquam essemus Principum concessuri; etsi non id quod ad litteram petitur, idem tamen tibi de Fratrum nostrorum consilio concedimus in effectu, ut videlicet possis assumere quemcumque malueris de Archiepiscopis vel Episcopis regni tui, qui nostra fretus auctoritate præmissa de tuo consilio exequatur, cui venerabilis frater noster Episcopus Perusinus Apostolicæ Sedis Legatus de speciali mandato, quod ei dirigimus, eamdem exsequendi tribuet potestatem. Et quia personam, quam intendis assumere, ignoramus, illam nobis regia mansuetudo significet, ut ei super hoc nostras litteras destinemus. Ad hoc ut ad assumpti expeditionem negotii ex aliquorum subsidiis, licet non indigens, per Dei gratiam fortius animeris, universis Cruce signatis ejusdem regni commutandi vota sua per manus dilecti filii... Prioris Provincialis Fratrum Prædicatorum, & .... Ministri Fratrum Minorum provinciæ Strigoniensis, quibus super hoc scripta nostra dirigimus, liberam concedimus facultatem. Ipsis quoque Priori & Ministro per litteras nostras injungimus, ut per se ac Fratres suos contra prædictos hæreticos & schismaticos prædicent verbum Crucis, illam eis, qui contra eosdem signum Crucis assumpserint, indulgentiam concedentes, quam habent laborantes in subsidium Terræ*

Digitized by Google

ræ sanctæ, tibique concedant aliquos ex Fratribus, quos in hujusmodi obsequio Jesu Christi provideris eligendos. Cæterum, quia indignum esset, ut dum militas Regi regum, aliquod regni tui dispendium patiaris, in omnes, qui postquam te accinxeris ad præfatum negotium exsequendum, quamdiu in persecutione ipsius fueris, regnum ipsum invaserint, vel contra te diabolo conspiraverint instigante, excommunicationis sententiam promulgamus, quam per Archiepiscopos & Episcopos Ungariæ, ac Fratres Prædicatores & Minores per totam Ungariam & regna & loca vicina mandamus ex tunc solemniter publicare. Ut igitur inoffenso pede curratur ad prælium Domini præliandum, nulloque possit assumptum negotium adverso obice præpediri, universos dicti regni, qui ad collaborandum tecum in eodem negotio assumpserint signum Crucis, ac alios ab universis excommunicationum sententiis latis a venerabili fratre nostro... Episcopo Perusino. Apostolicæ Sedis Legato, per Priorem ac Ministrum prædictos juxta formam Ecclesiæ mandamus absolvi. Datum Anagniæ V. Idus Augusti anno XII. idest an. 1238. ex tom. 3. *Wadingi* pag. 2.

N O T Æ.

1 Bela rex hoc nomine IV. filius Andreæ II. & frater Mariæ Asani conjugis, quæ anno ante obierat, anno 1235. regnum adeptus est, & annis viginti quinque administravit, pluribus jactatus bellorum calamitatibus, & ejus in Bulgaros expeditio non est effectum sortita, qui rei Catholicæ afferret adjumentum aut aliquod levamen.

2 Hinc perspicuum est regis exemplo regnum pœne universum schismate perturbatum fuisse, quin & hæresi infectum fortasse Patarena, quæ e Bosnia pulsa, & e Serblia finitima Bulgariam impiis dogmatibus vastabat.

3 In nota hisce litteris subjecta penes Bull. Dominic. tom. 1. pro Zemra ponitur *Zatinar* Hungariæ superioris oppidum. Mihi verimilior videtur opinio seu conjectura, Zemram appellari, quæ olim Zernensium colonia in Dacia a Trajano deducta est, eaque pars Valachiæ censetur; nunc *Tsernecz* dicitur in provinciæ finibus ad Danubium, unde in Serbliam conspectus. Hisce locis Bulgari dominabantur; hoc vero tempore neglecta prorsus, ac deserta neque civilis nec Christiani cultus speciem ullam referebat. vide Topographiam Hungaricam Bonbardi pag. 366.

Alias litteras postridie scripsit Gregorius Clero Hungarico universo, monuitque & adhortatus est, ut statim atque rex Bela in Bulgariæ fines irrumpens hostem adorsus fuerit, quavis publicæ supplicationis forma in templis, & per urbes divinam opem implorent, & regiis copiis virtutem impetrent, ac de impio inimico victoriam; ex Pagio ad hunc an. 1238. qui subjectam unice epistolæ partem exscripsit.

Quia in tanto negotio, arduo utique & implicito tam nos quam ipse indigemus meritis, & orationibus adjuvari, universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attentius, ac per apostolica vobis scripta mandamus obsecrantes per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto, quatenus eidem Regi in hujusmodi certamine laboranti charitatis vestræ suffragium impendatis; & postquam idem Rex cum exercitu suo Assani terram intraverit, facientes processionem solemnem qualibet sexta feria singulis septimanis devotione sedula illum, qui ventis & mari imperat, suppliciter exoretis, ut per suam misericordiam infinitam, super eundem Regem, & suos illuminans vultum suum ipsorum progressum dignetur misericorditer prosperare; ac singuli sacerdotes semel qualibet septimana pro felici statu exercitus munda conscientia, & puris manibus offerant sacrificium Domino Deo nostro, & commissos sibi populos ad supplicandum Deo pro ipso exercitu crebris exortationibus moneant efficaciter, & inducant. Et ut fideles Christi fortius animentur ad prælium Domini præliandum universis archiepiscopis, & episcopis, qui intererunt exercitui supradicto, concedimus, ut in solemnibus prædicationibus suis moderatam aliquot dierum indulgentiam auctoritate nostra vere pænitentibus, & confessis, prout expedire viderint, largiantur. Datum Anagniæ VI. idus Augusti anno XII. & ad Clerum Hungariæ.

Præterea Præsides etiam Hungaricæ provinciæ tum Dominicanæ, tum Franciscanæ pari studio ac religionis ardore animatos esse jubet, ut bello gerendo, quæ eos decet, eisque congruit, operam impendant, & ea munit ecclesiastica potestate, qua Christianus exercitus a quavis animi seu culpa seu pœna solutus alacrior pro Fidei & Ecclesiæ causa, fortiorque propugnet.

» Gregorius &c. Priori Provinciali Fratrum Prædicatorum de Ungaria . . . & Ministro Fratrum Minorum provinciæ Strigoniensis &c. atque ad Priorem Provinc. Dominic. & Ministrum Ord. Minorum in Hungaria.

» Sicut litteræ carissimi in Christo filii » nostri Belæ illustris regis Ungariæ nobis exhibitæ continebant, idem rex prudenter attendens, quod nihil est amori » di-

» divino, & animarum saluti penitus præ-» ferendum, æternæ remunerationis intui-» tu, ac devotionis obtentu, quam ad » nos, & Romanam gerit Ecclesiam, ad » commonitionem nostram voluntarius se » obtulit ad assumendum negotium contra » hæreticos & schismaticos terræ Assani, » ipsumque Assanum arduum utique & » implicitum, illudque cum auxilio Dei » & Ecclesiæ personaliter prosequendum. » Licet autem dictus rex promptam gerat » in hoc, velut rex Christianissimus, & » princeps Catholicus voluntatem, ut ta-» men in tam arduo negotio manus Eccle-» siæ sibi adsit, mandamus, quatenus u-» niversis Cruce signatis regni Hungariæ » commutandi in hujusmodi subsidium fa-» cultate concessa, per vos & fratres ve-» stros, prædicetis contra prædictum Assa-» num & alios per totam Ungariam, & » alia loca, ubi expedire videritis, ver-» bum Crucis, illam iis, qui contra eos » signum Crucis assumpserint, indulgen-» tiam largientes, quam habent laboran-» tes in subsidium Terræ Sanctæ; aliquos » ex iisdem fratribus, qui intersint regali » exercitui ad proponendum populis ver-» bum Dei, audiendas confessiones & pœ-» nitentias injungendas, ac sacramenta Eu-» charistica, ubi opus fuerit, exhibenda » præfato regi concessuri; & ut inoffenso » pede &c. *ut in superiori epistola ad Be-» lam usque* juxta formam Ecclesiæ absol-» vatis. Ceterum quia idem rex de salu-» te animæ suæ provide cogitans illam de-» siderat omnibus anteferre, præsentium » auctoritate concedimus, ut postquam se » accinxerit ad prædictum negotium exe-» quendum, audita confessione ipsius, ei » salutarem pœnitentiam injungentes, ei-» dem in remissionem peccatorum suorum » hujusmodi negotium imponatis, relaxa-» turi nihilominus juramenta, siqua forsi-» tan in animæ suæ dispendium eumdem » regem contigerit præstitisse; super aliis » vero juramentis & constitutionibus, quia » quæ sunt constitutiones, & super qui-» bus juramenta sunt præstita, scire ne-» quimus veritatem, illa nobis regia ma-» gnitudo transmittat, ut supra illis, au-» ctore Domino, congruum consilium ap-» ponamus. Dat. &c. *ut supra ad Belam.*

Assani ad Latinos reversio.

Jamque Bulgariæ impendebat Hungarorum impetus, & alia ex parte Balduinus cum exercitu per Epirum in Thraciam properabat Constantinopolim versus. Quare Asanus duorum hostium armis circumseptus, sibi metuens, & Græcorum diffisus auxiliis, rursum ad Latinos sese convertit; & Balduino amice junctus liberum per Bulgariam transitum permisit, atque commodiorem Latinorum copiis. Quo facto & Pontificis animum emollire voluit, & Belæ minas a se avertere, & hostiles ab universo regno irruptiones. Neque de illius gestis alium quidquam comperio memoria dignum usque ad an. 1241., quo vita decessit. Qui schisma ejuraverit necne ignoramus; certum est schismaticum successisse in regno filium Colomanum, alii Callimanum vocant; sed quatuor vix annos regnavit. Erat tum Romæ Pontifex Innocentius IV. qui tot Bulgariæ calamitatibus mœrens ad Colomanum amantissimas scripsit litteras, & sapientia, ac spiritus fortitudine plenas, quibus illum ad sinum Romanæ Ecclesiæ revocare nisus est; sed frustra; nam de illius ad Pontificis amplexus reversione nihil in historia proditum est. Litteras exhibeo ex Tom. I. Bull. Francisc. — Colomanus ei in regnum succedit,

» Innocentius &c. Illustri Colomanno » in Bulgaria imperanti Deum diligere, & » timere. — ad quem littera Innocentii IV.

» Cum simus super Apostolicæ Sedis » specula constituti, vehementer dolere co-» gimur, & turbari; cum a capite mem-» bra quædam videamus esse divisa, suæ-» que divisionis damnum tamquam morti-» ficata non plangere, nec sentire. Nempe » Orthodoxorum neminem credimus jam la-» tere, unum in terris Caput esse tan-» tummodo, ex quo totum corpus conte-» xitur militantis Ecclesiæ, rerum id exi-» gente natura, quæ corpus, si habuerit » duo capita, indicat monstruosum. Pro-» bat hoc idem ratio exemplaris æterni, » juxta quod militantem Ecclesiam sub u-» troque tempore disponendam per instru-» ctionem Evangelicam didicit Legislator, » Paulo Apostolo referente, *vide, facito » omnia juxta exemplar, quod tibi in mon-» te monstratum est;* (Heb. VIII. 5.) ubi Divina disposi-» tione Hierarchiæ per media, ultima » ipsa per prima Mediatori omnium con-» nectuntur; quod intimandum fore neces-» sario peregrinanti Ecclesiæ Scriptura sa-» cra tam figuris, quam testimoniis asse-» rit, atque probat. Unus Adam deputa-» tus ad custodiam Paradisi unam est sor-» titus uxorem, (Genes. 2.) unum Dominum Jesum » Christum in justitia, & veritatis sinceri-» tate creatum, ejusdemque unum in terris » Vicarium, & unicam ejus Sponsam Eccle-» siam præfigurans, Doctore Gentium at-» testante: *Sacramentum hoc,* inquit, *ma-» gnum est, ego autem dico in Christo, » & Ecclesia.* (Eph. V. 32.) Lamech vero, quod humi-» liatum significat, (Gen. 4.) dum uxorem unam di-» visit in duas, sanguinarius est effectus, » & virum in vulnus suum occidit; ad » instar cujus, qui Ecclesiam scindunt, » oc-

Digitized by Google

Gen. 7. » occidunt animas parvulorum. Deinde sa-
» lutis arcam tantum unam fuisse legi-
» mus, quæ, cuncta vastante diluvio, su-
» per unius Patriarchæ regiminis potenta-
» tum paucas animas sub perfectionis nu-
» mero reservavit. Facti cujus mysterium
» Pastor Ecclesiæ Petrus Apostolus tan-
1. Petr. 3. » gens, ait: *in Arca Noe pauci*, idest,
20. » *octo animæ salvæ factæ sunt per aquam,*
» *quod & nos nunc similis formæ salvos*
» *facit Baptisma*. Ipsa etiam veritas Gen-
» tium vocationem prædicens asseruit, quod
» in ovili suo unus tantum debeat esse
Jo. 10. 11. » Pastor, *fiat*, inquiens, *unum ovile, &*
» *unus Pastor*. Ad hoc ovile Paulus ipse
» divina clementia revocatus docet, &
» prædicat, unum caput esse tenendum
» fide pariter & amore. Unde Schismati-
» cos, & ab unitate corporis Ecclesiæ per
» inobedientiam.... notans, vitandosque insi-
Col. 2. 18. » nuans ait: *Nemo vos seducat volens,*
» *in humilitate, & religione, quam non*
» *vidit, Angelorum ambulans frustra inflatus*
» *sensu carnis suæ non tenens caput, ex*
» *quo totum corpus per nexus, & conjun-*
» *ctiones subministratum, & constructum*
» *crescit in augmentum Dei*. Nulli fideli
» venit in dubium, quin ipse Christus sit
» Pastor Ecclesiæ, atque caput non tan-
» tum militantis, sed etiam triumphantis,
» qui secundum carnis assumptæ naturam
» mortem pro suis ovibus subiturus, &
» post resurrectionem ad Patris dexteram
» ascensurus, ut quo caput ibat, mem-
» bra se ire sperarent, ne corpus peregri-
» nantis Ecclesiæ propter corporalem ipsius
» absentiam videretur acephalum remane-
» re, sibi successorem substituit Vicarium
» specialem, non quidem Jacobum, aut
» Joannem, *qui columnæ videbantur esse*,
Gal. 2. 9. » non Paulum Legis scientia præditum,
Cor. 1. 29. » & doctrina, *ut non glorietur omnis caro*
» *in conspectu ejus*, sed Simonem, quem
» & Petrum cognominavit. Hunc itaque
» suarum ovium Pastorem substituens, u-
» niversalem in Terris earumdem pascen-
» darum curam indistincte eidem commisit
Jo. 21. 15. » tertio dicens: *Pasce oves meas*. Cui ex
» prærogativa speciali, ut nobis ipsum ca-
» put post se fore totius Ecclesiæ demon-
Id. 1. 42. » straret, promiserat dicens: *Tu vocaberis*
» *Cephas:* quod interpretatur *Caput;* ut
» sicut in capite sensuum plenitudo con-
» sistit, a quo ad singula membra occul-
» tis meatibus pars aliqua tamquam a
» fonte rivulus derivatur, sic tres Fide-
» lium Ordines in Ecclesia; Noe, Daniel,
Ez. 14. 20. » & Job, Prælati videlicet, continentes,
» & conjugati; quos Ezechiel vidisse le-
» gitur in visione salvandos a Petro *Pe-*
» *tra*, super quam non domum saltus Li-
» bani, non porticum columnarum, nec
» domum filiæ Pharaonis, sed Ecclesiam
» suam ædificavit Dominus, Fidelibus vi- Matth. 16.
» delicet de omni genere piscium in ejus 18.
» rete conclusis; tamquam a Primate Pri-
» matum, qui de fonte Dominici pectoris
» fluenta potavit, & suæ salutis debent
» postulare remedia, & cum omni patien-
» tia, & doctrina non contentiose, vel
» superbe in aliquo resistentes a mentis
» suæ tenebris dubietatis scrupulos remo-
» vere. Nam & si Paulus ex verbo Do-
» mini Petro, cæterisque Apostolis univer-
» saliter sic dicentis: *Quorum remiseritis* Jo. 20. 23.
» *peccata, remittuntur eis; & quorum re-*
» *tinueritis, retenta sunt:* cum Petro fuit
» ministerium dignitatis exercens, fuit et-
» iam ex verbis ejusdem auctoritatis sin-
» gulariter Petro propositis: *Quodcumque*
» *ligaveris super terram, erit ligatum &*
» *in Cœlis; & quodcumque solveris super*
» *terram, erit solutum & in Cœlis:* in Pe-
» tro auctoritatis officium recognoscens; Gal. 2. 2.
» & ideo ad eum tamquam Primatem, &
» Evangelii Dominici fontem, venit Hie-
» rosolymam, & postmodum cum ipso, &
» aliis secundum revelationem contulit E-
» vangelium, ne in vacuum curreret, vel
» etiam cucurrisset. Quo Petri auctoritas
» ex ejusdem Domini verbis expressius ro-
» boratur, cum sibi soli dicitur ab eo-
» dem: *duc in altum:* & postea subinfer- Luc. 5. 4.
» tur: *laxate retia in capturam*. Si ergo Matth. 16.
» Petrus per excellentiam fidei, qua in 16.
» uno Christo duas naturas divinitus re-
» cognoscens, cum dixit: *Tu es Christus*
» *filius Dei vivi:* claves Regni cœlestis in
» Terris solus accepit; cum unum sit Ca-
» put Ecclesiæ militantis, restat, ut ad
» regimen generalis Ecclesiæ, quam ipse
» cum Paulo, & cæteris de Gentibus con-
» gregavit, caput ejusdem, suumque Do-
» minus pro ea, quæ præmissa sunt, ma-
» nifeste ostenderit successorem. Prævidens
» autem Dominus, quod Ecclesia sua con-
» culcaretur a Tyrannis, laniaretur ab
» Hæreticis, & a Schismaticis scinderetur,
» ait: *Ego pro te oravi, Petre ut non de-* Luc. 22. 32.
» *ficiat fides tua; & tu aliquando conver-*
» *sus confirma Fratres tuos*. Ex quo colli-
» gitur evidenter, quod ad Sedem Petri
» omnis sit quæstio referenda. Cui cum
» Dei gratia disponente, non nostris me-
» ritis præsideamus, nequaquam sine do-
» lore possumus intueri a tanti capitis
» corpore membra quædam esse divisa,
» videlicet Græcorum, & Bulgarorum Ec-
» clesiam; sejuncta nempe per inobedien-
» tiam a suo capite speciali corporis sen-
» sificationi nequaquam participant, cum
» ab ejus se subtraxerint unitate. Igitur
» quia

Digitized by Google

» quia debitores sumus omnium salutem quæ-
» rere; servus servorum illius, qui neminem
» vult perire, non immerito circa te, & sub-
» ditos tuos misericordiæ visceribus affluen-
» tes, Pauli Gentium Doctoris affectum in-
Rom. 1. 11. » duimus, qui sciens, Creatorem omnium
Col. 3. 25. Phil. 3. 8. » acceptionem non facere personarum, con-
» formatus infirmis, & omnibus omnia fa-
» ctus, ut omnes Domino lucraretur; ro-
» gamus & obsecramus in Domino Jesu
» Christo, quod ad unitatem sacrosanctæ
» Romanæ Ecclesiæ redire non differas;
» nec reputes otiosum, quod a nobis in
» hac parte diebus istis, inspiratione di-
» vina, de Fratrum nostrorum consilio
» sitientium illuminationem tuam, populi-
» que tibi subjecti, non sine Sacrarum
» Scripturarum est auctoritate provisum.
» Non enim vestra requirimus, sed ani-
» marum vestrarum cum Jesu Christo lu-
» cra sitimus. Nihil de facultate vestra
» subtrahere quærimus, vel minuere de
» honore, sed quantum cum Deo juste
» possumus, provehere vos, & ampliare
» potius affectamus. Erit proinde, dante
» Jesu Christo, nostris affectibus incre-
» mentum; si tu, qui esse Populi tui ca-
» put, & Princeps diceris, per gratiam
» intellectus, quo a multitudine subjecta
» discerneris, proposita tibi per pacis Nun-
» cios audiens patienter ad unitatem Ec-
» clesiæ Catholicæ reverteris, ut efficiaris
» Christo primitiæ populi reversuri. Et si
» forte te excusare volueris dicens, hæc
» nequaquam fieri posse sine Concilio Ge-
» nerali, respondemus, quod ad congre-
» gandum Concilium ad requisitionem tuam
» & Græciæ, & Bulgariæ Prælatorum of-
» ferimus nos benevolos, & paratos, reci-
» pientes vos vestrosque Procuratores, &
» Nuncios cum honore, & cordis lætitia,
» & restituemus corpori Ecclesiæ sua mem-
» bra; proferentes stolam primam, occide-
Luc. 15. 22. » mus vitulum saginatum, generale con-
» vivium faciemus universis Christi fideli-
» bus, & annunciabimus cum exultatione
» & gaudio, quod Ecclesia Catholica suo
» decore, ut a principio, est induta tan-
Ps. 127. 3. » quam vitis abundans, cujus *filii* sunt,
» *ut novellæ olivarum in circuitu suæ men-*
» *sæ*, sedentes expectando, ut occurrat
» Salvatori suo Domino Jesu Christo. Qua-
» propter tuam exhortamur industriam, &
» tibi per Deum omnipotentem, & per
» Jesum Christum ejus Filium, qui suo
» sanguine nos redemit, injungimus, qua-
» tenus dilectos filios Fratres Ordinis Mi-
» norum latores præsentium, viros virtu-
» tis, quos diu sub observantia regulari
» probatos, & in Scripturis sacris instru-
» ctos inter alios præelegimus, quia uti-
» liores tibi eos fore credimus, tanquam
» nostri Salvatoris humilitatem sequentes,
» & ad te duximus transmittendos, pro di-
» vina reverentia, & nostra liberalitate
» benigne suscipere, & honeste tractare
» debeas, imo potius Nos in ipsis, & di-
» ligenter audire, & credere firmiter quæ-
» cumque ex parte nostra tibi duxerint
» proponenda. Nam si putassemus, quod
» fructuosiores, & gratiores tibi existe-
» rent, vel aliquos Ecclesiarum Prælatos
» ad te, vel potentes alios misissemus.
» Cum itaque super prædictis, & specia-
» liter de iis, quæ ad pacem pertinent,
» tractatum habeas fructuosum; provide-
„ bis eisdem in eundo, & redeundo de
„ securo conductu, & aliis necessariis, ut
„ ad Tartaros, & alias Gentes ulteriores
„ rite valeant proficisci.

„ Datum Lugduni XII. Kalendas Apri-
„ lis, Pontificatus Nostri Anno Secundo.
„ idest 1245.

Alias litteras eodem exemplo dedit Pontifex post quatriduum ad Patriarchas &c.

Innocentius &c. Venerabilibus Fratribus universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis in Terris Bulgaror., Blacor., Gazaror. Sclavor., Servior., &c. Deum diligere & timere.

Datum Lugduni VIII. Kalendas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Narrat Waddingus in Annal. ad an. 1247. Hungariæ reginam & litteris & opera duorum e familia Franciscana Patrum, qui inde Romam profecti fuerunt, egisse sedulo cum Innocentio IV. Pontifice pro Joanne Asano rege Bulgariæ, quo a schismate revocaretur. Sed fallitur eruditissimus auctor; Joannes Asanus I. obierat ante Innocentii Pontificatum; alter regnavit in Bulgaria, mortuo Innocentio; quare cum neutro componi potest pia reginæ sollicitudo & cura. Quam affert Waddingus Pontificis ad reginam epistolam, qua illius studium commendat, non de Joannis Asani, sed de Vatatzii ad Ecclesiam Romanam reditu intelligi debet. E regibus Bulgaricis nemo Vatatzius appellatur; erat vero eo tempore Joannes Vatatzius Græcorum Imp. sapiens vir, prudensque ac fortis, qui aliquando visus est Latinorum dogmata non abhorrere; & ab anno 1222. ad an. 1255. imperium administravit. Ad illum igitur conversa erat reginæ mens religiosa; quod Innocentianæ litteræ perspicue evincunt.

Extincto Colomano, Michael ejus frater regnum tenuit, a Joanne Vatatzio din bello lacessitus; hoc mortuo, pacem cum Theodoro Joannis filio iniit, opera Uri Russiæ Principis, cujus filiam uxorem duxerat. At Michaele per Michael rex Bulgariæ; & rerum vices.

in-

insidias interfecto prope Ternobum a Consobrino suo Callimano, erat enim Alexandri Asani fratris filius, eoque pariter a quibusdam misere interfecto, Bulgari Proceres, cum legitima regia stirps deficeret, Constantinum quemdam sibi regem delegerunt. Obstitit Mytzes Asani gener, quippe hujus filiam sibi matrimonio junxerat; & a Constantino victus Constantinopolim sese recepit. Dum Lachanas infimæ conditionis homo, coactis militibus Bulgariam depopulatus in Constantinum irruit; quo cæso, regno potitus est. Verum ambitione impulsus acquirendi imperii Constantinopolitani sua spe frustratus cecidit; etenim Michael Palæologus in eum arma convertit, duce Joanne Asano Mytzis filio, & Michaelis genero; hisque perterritus, & in Tartariam profectus, ut sibi auxilia compararet, a rege Noga in convivio occisus est. Igitur Asanus hoc nomine II. ope soceri rex Bulgariæ renuntiatur, sed brevi regnavit tempore, & haud prospera fortuna. Georgius Terter e Comania oriundus, cui Asan sororem suam copulaverat, illum regno expulit, facta defectione, & Bulgariæ universæ possessionem adivit; idque factum an. 1283. Hæc, quæ summatim e Græcis & Latinis excerpta narravimus, duorum supra quadraginta annorum cursu ab obitu Asani I. gesta sunt in Bulgaria incredibili rerum omnium æque sacrarum, atque civilium subversione, & fervente schismate. Has vera inter turbas unus elucet Ternobensis Archiepiscopus, de quo sumus dicturi; isque est

JOACHIMUS ARCHIEPISCOPUS TERNOBENSIS III.

Joachimus Archiepisc. Ternobensis an. circ. 1270.

Ternobensem Ecclesiam regebat ante annum circiter septuagesimum hujus sæculi XIII. Per hæc tempora multum a Græcis disceptatum est Constantinopoli de Romana communione amplectenda, Michaele Palæologo, & Joanne Vecco Patriarcha præcipuis auctoribus. Quare Gregorius X. Pontifex eo legavit an. 1272. selectissimos virtute ac doctrina viros e Franciscana & Dominicana familia, qui tanto adeoque gravi perficiundo negotio totis viribus incumberent; & hos inter eminebat Hieronymus de Asculo, postea nomine Nicolai IV. Pontifex renuntiatus. Erat is Constantinopoli an. 1277., & Constantinopolitano Concilio in Blachernarum suburbio ipso anno interfuit; in quo Græca Ecclesia universa consensit cum Romanæ Fidei dogmatibus; ac missa acta fuere, & litteræ synodales testes reverentiæ & subjectionis ad Pontificem Joannem XIX., nec multo post alia Synodo coacta, anathemate confixi sunt, qui Romanæ Ecclesiæ non adhærerent. Hisce omnibus seu sponte, seu vocatus adfuit & Joachimus, atque subscripsit, ut mox patebit; & Bulgaricæ Ecclesiæ nomine visus est conjunctionem cum Romana rursum stabilire ac pacem. Ex Concilio Ternobum reversus Georgii regis jussu Constantinopolitanam legationem obivit an. 1283. Priorem is conjugem, e qua filium genuerat Sphendostlabum nomine, Nicæam deportari cum puero imperaverat, alia contra fas uxore ducta, quæ soror erat Asani II. Sed vix adito regno hanc pœnitens facti dimiserat, nuptam postea Urosio Milutieo Serbliæ regi; & altera ab exilio revocata, filius obses apud Græcos constitit. Hasce ob caussas Joachimus ad Andronicum Imperatorem profectus est, ut illi cuncta ordine nunciaret, & filio libertatem adeundi patris obtineret. Utroque munere egregie functus est Joachimus, cui & mandatum injunctum, ut Sphendostlabo connubium cum filia Stratopedarchæ Synadeni procuraret; quod ex libri 3. Pachimeræ cap. 26. licet conjicere.

Interest Concilio Constantinopolitano an. 1277.

& legationem obit Constantinopolitanum.

Cæterum res Christiana parum proficiebat in regno; & quamvis Nicolaus IV. vix suscepto Pontificatu an. 1288. plures eo miserit e D. Dominici sectatoribus evangelicos operarios, qui deviam gentem ad certum, ac tutum æternæ salutis portum reducerent, obstabat Georgii regis in schismate pertinacia, cujus pravo exemplo Bulgarica natio Græcorum lubentius profitebatur instituta, quam Romanorum. Cui malo ut occurreret Pontifex, regem primum alliciendum, & adhortandum ratus, quo se ad veram religionem converteret, litteras ad illum misit paternæ dilectionis plenas, & sollicitudinis erga errantem cum grege ovem a Dominico ovili; præsertim cum Helena Serbliæ regina Bulgarorum ad Romanam Sedem reversionis studiosissima per suos Legatos, & missis epistolis illum ad aggrediendum opus impulisset vehementer; et hæ sunt.

Nicolai IV. ad regem Georgium litteræ.

Magnifico Principi Georgio Imperatori Bulgarorum illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Ad curam Dominici Gregis ejus dispositione vocati, qui cælestia, & terrena virtutis suæ magnitudine provide moderatur, jugi reddimur attentione soliciti, ut universi mortales sic in semitis mandatorum Domini gressus suos dirigant, quod post cursum vitæ transitoriæ felicitatis æternæ bravium assequantur. Sane ad hujusmodi bravium assequendum necesse est cuilibet, ut ob-

Digitized by Google

observet, & teneat firmiter fidem Catholicam, quam tenet, profitetur, & docet Sacrosancta Romana Ecclesia Mater fidei, & magistra, sine qua nemo potest Deo placere, nec ad perpetuæ beatitudinis gaudia pervenire. Hæc siquidem Fides charitatis est vinculum, & totius religionis sanctissimæ fundamentum. Hæc reatus expurgat, mentes purificat, tenebras infidelitatis fugat, nubem erroris eliminat, commoda salutis impendit, & æternæ vitæ præmia suis sectatoribus repromittit. Hæc, ut vera tenet religio, alibi quam in communione ipsius Ecclesiæ Romanæ, quæ disponente Jesu Christo nostræ salutis auctore, sola super omnes Ecclesias summum, & præcipuum obtinet principatum, ad salutem haberi non potest: sicut in Arca Noe, per quam Catholica Ecclesia designatur, spiritualiter exstitit figuratum, in qua, cæteris pereuntibus, is dumtaxat, qui se receperant infra ipsam, salvi superinundante generali diluvio exstiterunt. Quia vero, princeps egregie, nos, qui licet immeriti ejus, qui de supernis Cælorum sedibus ad ima Mundi descendens carnem nostræ mortalitatis assumpsit, ut proprii aspersione cruoris humanum genus perpetuæ morti obnoxium a mortis nexibus misericorditer liberaret, vices in terris gerimus, illa, quæ tuæ salutis augmentum respiciunt, tuumque nomen apud Deum, & homines magnificant, & extollunt, totis desideriis affectamus; serenitatem tuam, cujus in hac parte salutem exquirimus, attente rogandam duximus, & in Jesu Christo Dei Filio salutaribus monitis exhortandam, quatenus Fidem hujusmodi, quam, sicut præmittimus, tenet ipsa Romana Ecclesia, & observat, inconcusse teneas, ipsam totis nisibus, totisque affectibus amplecti studeas, & Populos imperio tuo subjectos ad tenendam eamdem salubriter dirigas, & inducas. Per hæc enim te Deo reddes acceptum, tibi æternæ retributionis acquires meritum, & magnificabis multipliciter in gentibus nomen tuum. Cæterum ut Fides hujusmodi, & ejus forma serenitati tuæ plenius innotescant, ipsas fecimus præsentibus annotari, quæ tales sunt. Credimus Sanctam Trinitatem Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum &c.

Dat. apud Urbem veterem X. Kal. Aprilis Anno IV. idest 1291.

Huic epistolæ aliam die eodem adjunxit ad Joachimum Archiepiscopum, cui in memoriam revocat, quid in Constantinopolitano Concilio professus antea fuerat, & veluti segnem excitat ad retinendam atque tuendam Ecclesiæ Romanæ doctrinam; eoque magis, quod Andronicus Palæologus Michaelis filius vix imperium adeptus an. 1262. fœdus abruperat cum Latinis, & ab eorum fide desciscens vetus schisma perfide renovaverat; unde Bulgaris data ansa rejiciendæ obstinatissime Romani Pontificis potestatis. Nicolaus in responso Helenæ reddito se confidere ait in Bulgarorum Archiepiscopo, negotium hoc recte cessurum; *potest* enim *is existere plurimum fructuosus,* ut utriusque desiderio de regis ab schismate recessione satisfaceret; hinc certo licet arguere, Joachimum in orthodoxa fide hactenus perstitisse. Dubitat quidem Pontifex in hisce litteris, idem ne ille sit, quem Constantinopoli noverat; & locorum distantia, ac Bulgaricæ turbæ haud sinebant certa nuncia Romam perferri de illarum Ecclesiarum statu. At is revera Joachimus fuit, qui ad aliquot insuper annos vitam produxit.

Nicolaus, Episcopus Servus Servorum Dei Archiepiscopo Bulgarorum gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro. & ad Joachimum Archiepiscop.

Misericors, & miserator Dominus pia miseratione &c. ne gregi Dominico tanti aspersione cruoris redempto cura deesset pastoris, beatum Petrum Apostolorum Principem, & post eum omnes ejus in perpetuum successores vicarios suos in terris constituens, eis decrevit sui gregii curam, & sollicitudinem committendam. Sane cum nos, licet insufficientibus meritis, simus ipsius Dei omnipotentis vicarii, & ejusdem Apostolorum Principis successores, ex debito Pastoralis officii jugi sollicitudine attenti reddimur, ut universi, quos per propagationem carnis humanæ natura produxit in esse, ii potissimum, quos sacri baptismatis unda consperserit, actus suos disponant in lumine veritatis, & per rectam mandatorum Domini gradientes semitam, æternæ beatitudinis gaudia consequantur &c. Quia nos ea, quæ salutis tuæ ac populi, cui præs, incrementum respiciunt, totis desideriis affectamus, fraternitatem tuam rogandam duximus, & in Christi visceribus exhortandam, quatenus fidem hujusmodi, quam, sicut præmisimus, Romana tenet Ecclesia, & observat, inconcusse prædices, & teneas, ipsam promptis affectibus amplecti studeas, & magnificum principem Georgium Imperatorem Bulgarorum Illustrem, cui super hoc salutem zelantes ipsius nostras litteras exhortatorias destinamus, nec non & Populos tuæ, ac ipsius ditioni subjectos ad fidem tenendam eamdem efficaciter dirigas, & inducas. Tenet enim probabiliter nostra credulitas, quod in iis juxta Dei, & nostrum

strum beneplacitum prosequendis exhibebis te voluntarium, facilem atque promptum, cum tu (si tamen ille sis, qui tunc erat Archiepiscopus Bulgarorum) olim coram quondam magnifico Viro Michaele Palæologo Imperatore Græcorum Illustri, eo tempore Constantinopoli residente, professus fueris in palatio de Blachauria coram nobis, sicut a tua excidisse memoria non credimus, oraculo vivæ vocis te Papæ Romano immediate subesse; tuncque ad hoc, ad quod te nunc inducimus, dispositus videbaris. Exhortationem igitur hujusmodi, frater charissime, quæ de charitatis radice procedit, devote suscipias, & studio efficaci adimplere procures, ut in retributione justorum extrema tanto remunerari donis potioribus merearis, quanto in horreum patrisfamilias uberiores in te ac aliis bonorum operum manipulos introduces. Cæterum ut fides, & ejus forma fraternitati tuæ plenius innotescant, ipsas fecimus præsentibus annotari, quæ tales sunt. Credimus Sanctam Trinitatem &c.

Quæ vero litteræ scriptæ sunt a Pontifice ad Serbliæ reginam, eas habes in Tom. 7. pag. 52., nec illas referre opus est; etenim nihil inde dictis accedit.

Georgius interea non Nicolai auctoritate, non Joachimi verbis & opera permotus, dum suo indulget ingenio, pœnas, Deo vindice, luit animi obstinati. Nam regno pulsus a Nuga Scytharum seu Tartarorum ultra Danubium rege Constantinopolim aufugit ad Andronicum Imperatorem, in cujus auxilio frustra confidebat. Præfuit tum Bulgaris Smiltzes nescio quis; & hic sede dejectus est a Tzatha Nogæ filio, qui Svetislavum seu Sphendostlavum Georgii natum paterni regni possessione donavit; hujus quippe soror Tzathæ erat conjux. Svetislavus, quem cum matre Nicææ exsulem, & Joachimi opera Ternobum reductum fuisse diximus, vir barbarus, & ferox, Tzatham primum, a quo regnum acceperat, interceptum insidiis Ternobi peremit; postea revocato Constantinopoli patre, Andronicum armis appetiit. Narrat Orbinus lib. de regn. Slavorum pag. 465. Svetislavum in Persas validum immisisse exercitum, duce Mazzucato Bulgaro, ut Andronici imperium ab illorum aggressionibus tutaretur; deletis autem Bulgaricis copiis, commota regni seditio est, conquerentibus cunctis nobiliores, fortioresque in prælio Bulgaros illius causa cecidisse; ac ille suspicatus Joachimum Archiepiscopum hasce turbas fovere, repente captum jussit e præalto & confragoso jugo dejici præcipitem. Hoc mortis genere sublatus dicitur etiam a Pachimera lib. 3. cap. 26., idque an. 1296. sacrilege perpetratum subjicit Possinus in notis. Bellum Persicum silent Scriptores cœteri, & causam impii facinoris, quibus non videtur præponenda Pachimeræ & Orbini auctoritas. Non est abs re sive suspicio, sive conjectura, a schismatico rege, & ingratissimo e vita fuisse ereptum Joachimum Romani dogmatis & ritus cultorem, cui libertatem receptam, ac vitam pœne ipsam servatam debebat. Extincto Joachimo, consecutum est alterum annorum supra centum

(Marginal note: qui Georgii jussu interficitur.)

ARCHIEPISCOPALE INTERREGNUM

(Marginal note: Interregnum Archiep. & schisma Bulgaricum rege Svetislavo.)

Quo non Ecclesia tantum Bulgarica, sed regnum etiam ad suum exitium propperavit. Bonifacius VIII. novis subsidiis Catholicam religionem fulcire omni nisu adlaborabat, ut nos docet ejus diploma an. 1299. insertum Tom. 2. Bull. Dominic., & hujus instituti, ac Franciscani Patres, vix eloqui potest, quantum silvestri huic vineæ purgandæ, atque excolendæ insudaverint; homines, quibus elogium apprime aptum Apostoli Pauli ep. ad Hebr. cap. XI. *qui egentes angustiati afflicti, in solitudinibus errantes, in speluncis & in cavernis terræ, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, occisione gladii mortui sunt;* dum Evangelium Christi, & Petri fidem, atque claves in ea loca inferre, vel servare, vel tueri nitebantur nunquam interrupto plurium sæculorum cursu; adeo ut, quæ in Serblia & Bulgaria adhuc exstant Catholicæ religionis monumenta, signa, vestigia, illorum doctrinæ, ac pietati, laboribus, vigiliis ipsoque sanguini sint jure ac merito referenda, Franciscano Ordini præcipue, cui hæ provinciæ obtigerunt veluti propriæ, & adhuc destinantur a Romanis Pontificibus. Sane, cum Svetislavus regnaret, tres ex ea familia fortissimi viri martyrio perfuncti sunt. Fuerunt hi, F. quidam Angelus, qui, confecta in Oriente, & Hierosolymis sacra cum sociis expeditione, in Italiam rediit; postmodum ad Tartaros proficiscens, in itinere, *cum fidem Christi prædicaret, a quibusdam Bulgaris crudeliter gladiis confossus migravit ad Dominum; & F. Monaldus de Ancona similiter prædicando martyrizatus fuit; & F. Franciscus Missam celebrando ab Infidelibus super altare coesus fuit.* Hæc Waddingus ex Chron. B. Odorici Forojuliensis; sed quamvis eorum martyrium conjunctim narret, unus tamen Angelus videtur in Bulgaria pro Christo occisus.

(Marginal note: martyres Franciscani.)

Sve-

Digitized by Google

Bulgariæ motus civiles. Svetislavus, pace cum Andronico composita, & uxore ducta Theodora Michaelis IX. Palæologi Imp. filia, morbo jam obierat an. 1323. vel Orbino auctore, proditione interfectus. Illi filius successit Georgius Terteres II. cui dissidia & bella fuere cum Græcis; & ipso mortuo, Bulgaria in potestatem concessit Constantinopolitani Imp. a quo illius administratio tradita Boeslavo Georgii patruo. Verum Bolgari Græci jugi impatientes, coitione facta, regem sibi præfecere Michaelem Strascimirum, qui, Boeslavo pulso, regnum in libertatem vindicavit; utque cum Græcis regni turbæ. pacem iniret, Theodoram Svetislavi viduam, & Andronici Junioris sororem sibi copulavit; quo facto Stephanum Serbliæ regem, cujus sororem Nedam, liberis susceptis, repudiaverat, in se concitavit; eumque bello aggressus ingenti cum suorum clade periit lethali vulnere. Tum Bulgari, ne victoris armis opprimerentur, ejecta Theodora Palæologa una cum filiis, Nedam ad regnum revocarunt, quo Stephani fratris amicitiam sibi aucuparentur; nec multo post duo ex iis potentissimi, cum ad seditionem populum concitassent, Neda ejecta cum liberis, de creatione novi regis inter se consensere. Fuit is Alexander Strascimiri filius, & Michaelis Strascimiri e sorore nepos, qui crebris bellorum minis ac motibus Græcos, & Serbianos exagitavit; attamen cum illis renovatum fœdus est causa conjugii, quo Michael Asanus ejus filius Mariam duxit Palæologam Andronici junioris natam; hinc Joanni Palæologo Andronici filio auxilia præbuit adversus Joannem Cantacuzenum, & regnum auxit non modica urbium & oppidorum accessione ei a Palæologo attributa. Ferunt, divisum ab eo regnum fuisse inter liberos, quos plures habuit; & an. 1362. vita excessit. Verum Strascimirus e filiis Alexandri unus, haud passus æquari ae fratribus, immo & postponi, quippe Vidini tantum Præfectura donatus, solum Bulgariæ regem se dici & inscribi voluit, paullo post patris obitum, & an. circ. 1363. vel 1364.

Anni igitur quadraginta ab Svetislavi morte intercesserant ad inceptum Strascimiri regnum; quod civilibus & externis dissidiis & armis saucium ac lacerum jam fatiscebat, & vitiis refertum, & erroribus nullo religionis fræno poterat contineri in Dei metu, & veræ fidei professione. Anno 1329. & 1330. opera Joannis XXI. P. alii ex Italia eo advenerant ferventissimi Evangelii præcones, quorum labores gentis malitia, & schismatis perfidia irriti fiebant; Benedictus vero XII. vix Pontificatum adeptus nihil sibi omittendum censuit, quo Alexandrum regem benevolentia allectum ad Romanam communionem attraheret. In nostris excerptis e tabulario Pontificum Avenionensium deprehendimus, tomo IV. mentionem fieri litterarum, quibus idem Pontifex Alexandrum est adhortatus ad schisma ejurandum an. III. Pontificatus; idest 1334. quo & aliæ ab eo scriptæ litteræ commendatitiæ pro *Petrissa ducissa Carrion. vidua regis Bulgariæ*, & ad illam missa formula fidei. Præter acta Avenionensia nullos habeo auctores, qui hæc confirment, neque e regibus Bulgariæ, qui Alexandrum præcesserunt, unus mihi notus, cui hujus nominis conjux fuerit; quæ autem *Carrion.* ditio, quave in provincia extiterit, inter Geographos comperire non licuit. Interea cum Strascimirus nova moliretur, ambitiosa, eaque hostilia in Ludovicum regem Hungariæ, accidit infausta illa Bulgarorum clades, qua is prostratus, & a Ludovico in prælio captus se ipsum perdidit & Bulgariam pœne universam; etenim Ludovici cessit potestati, & Strascimirus custodiæ traditus est in castro Gemlecho Zagrabiensis diœcesis. Id gestum Missio ad Bulgaros Evangelica. an. circ. 1366. eidemque prope anno affigitur a Waddingo celebris illa Bulgarorum ad leges Romanæ Ecclesiæ conversio, auctore & hortatore ipso Ludovico, duce quodammodo B. Peregrino Ordinis Minorum Episcopo Bosnensi, & administris gloriosi operis Patribus Franciscanis, quibus onis adscribitur etiam a S. Antonino 3. p. Chron. tit. 24. §. 20. Ducenta hominum millia e Manichæis & Patarenis sacro fonte abluta sunt, diebus tantummodo quinquaginta, inquit Minister Ordinis generalis in epistola ad Ministrum provinciæ S. Francisci in Umbria, cum Fratres plurimi convenirent Assisium ad festum *Portiunculæ* ut ajunt celebrandum die II. Augusti; *& ne forte de numero scrupulus oriatur jussu regis omnes baptizati in publicam scripturam redacti sunt; illius tamen regionis, ut dicitur, necdum partem tertiam converterunt; sperant tamen firmissime aperiri eis ostium fidei, Domino nostro Jesu Christo, quidquid residuum fuerit, in caulam Dominicam congregante. Currunt cum suis gentibus Principes infideles, juvenes & virgines, senes cum junioribus turmatim confluunt ad baptisma; hæretici similiter & schismatici ad veritatem fidei orthodoxæ, ad unionem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ revertuntur. Ipsorum etiam Sacerdotes atque Calogeri sub jugo fidei efficiuntur humiles, qui in sua hæresi nimis antea fuerant pertinaces. Ædificare voluerunt loca nostræ religionis quamplurima, ut fructus virtutis, unitatis & fidei perse-*

Digitized by Google

veret &c. Propterea mihi intimatum cum fletibus, quod si numerus Fratrum non augeatur, immensus fidei fructus negligitur, atque dimittitur, & perduntur animæ, pro quibus Salvator pretiosum sanguinem suum fudit. Perditur tota illa Bulgaria populosa, quam rex ille invictissimus Hungarorum dudum potenter obtinuit; & præcipue civitas illa Bindin, famosa nostris, & magnæ, & ubi Fratres in copiosiore numero destinantur. Patareni & Manichæi sunt amplius solito dispositi baptizari, & ad Christum verum lumen converti, si non deficerent, qui viam hujus luminis demonstrarent &c. Tu vero Minister omnibus Fratribus convenientibus ad sacram indulgentiam Portiunculæ præsentes litteras distincte & intelligibiter legere facias &c.

Urbanus etiam V. suis litteris an. 1368. gratulatus est Ludovico regi de uberrimis in Bulgaria religionis fructibus, eo vel maxime juvante collectis; has habes in Waddingo. Verum insequenti anno nova exorta est procella, quæ in mærorem vertit Catholicorum lætitiam. Regulus quidam Bassaratus nomine schismaticus, qui citra Danubium quibusdam Bulgariæ locis tyrannice dominabatur, Vidino potitus est civium proditione. Illico capti, & in carcerem conjecti quinque e Patribus Franciscanis, qui Evangelicis ministeriis sollertissime vacabant magno cum animarum profectu. In eos cum Bassaratus nollet animadvertere, ne Catholicæ partis homines contra se offenderet, presbyteri schismatici arreptos per vim Patres suismet manibus trucidarunt. Præstat tamen scelesti facti narrationem Waddingi verbis ad an. 1369. hic adtexere.

alii martyres Franciscani.

Hoc anno sive ut aliis places MCCCLXXIX. die XII. Februarii in Bulgaria & civitate Bindim passi sunt in testimonium Fidei Fratres quinque viri optimi & probatissimæ conversationis; ex quibus tres priores erant sacerdotes, laici posteriores. F. Antonius Saxo vir in sacris concionibus igniti eloquii, in divina contemplatione assiduus; F. Gregorius Traguriensis sacræ Scripturæ profundissimus interpres, Fidei orthodoxæ ardens zelator, & religiosæ humilitatis verus professor; F. Nicolaus Hungarus vir miræ abstinentiæ, qui annis sexdecim panem tantum gustavit & aquam, idque semel in die post vesperas, obductis corpori lorica ferrea, tibiis & brachiis circulis ferreis; F. Thomas Fulginas, qui miris artibus carnem macerabat, & F. Ladislaus Hungarus orationibus & meditationibus divinis assuetus. Hi enim cum aliis quinque Consodalibus ab eo anno, quo diximus Ludovicum Pannoniæ regem Bulgaros subjugasse, Fidem catholicam instanter prædicabant, & contra sacerdotes schismaticos ac Calogeros defendebant. Sed capta proditorie urbe Bindim a Bassarath rege schismatico, qui citra Donubium, ad cujus ripam civitas extructa, commorabatur, in ipsa irruptione hi quinque Fratres capti sunt in quodam oratorio divinis laudibus insistentes; reliqui vero Consodales ad arces duas munitissimas a Ludovico rege extructas confugerunt. In ipso primo impetu periit unus in frusta concisus; reliqui ad Bassarath tyrannum adducti, & ad disputationem provocati a Calogeris. Illi vincula & mortis periculum contemnentes intrepide fidei Romanæ veritatem asserebant. Confusi promta Fratrum responsione, solidisque argumentis Schismatici tyrannum rogaverunt, ut morte plecterentur. Ille vero prædæ & stabiliendæ sub suo imperio urbi magis intentus, quam erga Fratres invidiæ excipiendæ, nihil decrevit. Æmuli sacerdotes schismatici arreptos sub armorum tumultu Fratres extra urbem duxerunt; & ad Danubii ripam, cervicibus abscissis, occiderunt. Protinus super projecta corpora lux magna e cælis descendit, & aer resonabat vocibus Angelorum. His auditis Bassarath turbatus est, & ad locum carnificinæ progressus vidit lumina & concentus audivit Angelicos; sed dum propius voluit accedere, non potuit, recalcitrante equo quantumvis calcaribus stimulato. Ex equo dilapsus, dum pedes appropinquare conatur, viso horribili spectro terretur; territus evaginatum gladium per aerem vibrat, solum aerem abscindens. Calogeri, ut populi reverentiam præcaverent, rabidos canes, qui in aliorum corpora solebant sævire, in ista lacessunt, sed frustra, quoties enim mordere tentant, toties ululantes recedunt quasi occulta manu percussi. Unus reliquis ferocior tandem accessit, & momordit; sed suo malo, neque enim martyris corpus laceravit, sed magnis ululatibus terrorem circumspicientibus incussit, evomens flammas horribiles easque frequentes. Post hæc signa extra alveum excrescens Danubius, quatuor corpora e terra in semet attraxit, divinitus præparatis quatuor loculis invexit. Aliis signis & prodigiis horum corpora Deus glorificavit, & schismaticos plurimos ad Fidem perduxit. Hæc Waddingus.

Strascimirus a Ludovico rege post annos duodecim libertate donatus ad Vidinensem præfecturam rediit, præstito juramento, ac nunquam a fide erga Hungaros reges defecturum. Cæterum Bulgarici regni haud modicam partem adhuc obtinebat Sismanus ejus frater, & Alexandri ex altera conjuge Judæa filius; inter quos de imperio Bul-

Digitized by Google

regina Bulgariæ a schismate recessum.

Bulgariæ decertatum est, victore Sismano. Huic arbitror, primis nuptiis conjunctam fuisse Alexandri Valachiæ Dynastæ filiam, quæ matris Claræ pietate ac monitis & hortamentis Romanæ adhæserat Ecclesiæ. Extant apud Raynaldum litteræ Urbani V. ad Claram an. 1370. In his gratulatur Pontifex de religione filiæ *Bulgariæ Imperatricis*, hortaturque ut Ancham filiam alteram Serbliæ reginam divellat a schismate, quo erat implicita; tum gratias agit ob munera Basilicis SS. Petri & Paulli oblata.

Urbanis P. ad Claram litteræ.

Episcopus Urbanus Ser. Ser. Dei nobili mulieri Claræ, relictæ quondam Alexandri Uveyda in Ulachia viduæ salutem &c.

Lætamur in Domino, dilecta filia, tibique gratias agimus ex intimis nostri cordis, quod sicut fide digna relatione didicimus, tu Spiritus Sancti lumine illustrata, & per eximiæ devotionis opera, & multiplicium virtutum exercitium jugiter Altissimo famularis: & inter alia charissimam in Christo filiam nostram Imperatricem Bulgariæ illustrem natam tuam a schismate ac erroribus hæreticalibus, in quibus diutius fuerat, retraxisti. Verum quia habere diceris alteram natam, videlicet Ancham Reginam Serviæ illustrem, adhuc in similibus schismate ac erroribus permanentem, charitatem tuam excitamus, ac hortamur attentius & rogamus, quatenus ut multos lucrifacias domino Jesu Christo, dictam reginam aliosque utriusque sexus personas schismate ac hæresibus maculatas ad præfatæ fidei, extra quam non est salus, coneris convertere puritatem. Cæterum devotionem tuam ex eo, quod beatos Apostolos Petrum & Paulum, eorumque basilicas & nos etiam de calicibus aureis & paramentis pretiosis pro divinis obsequiis honorasti, dignæ commendationis attollentes præconio liberalitati tuæ providæ gratiarum referimus actiones. Dat. Romæ apud S. Petrum XIV. Kal. Februarii anno VIII.

Luccarius in hist. Rag. Sismano conjugem tribuit Mariam Lazari Serbliæ *Despotæ* filiam, priore vel mortua, vel repudiata forsitan religionis causa. Ex hoc conjugio proles suscepta fœmines, nupta Andronico IV. Palæologo Imp., quocum amiciam Sismanus junxit, & fœdus. Hic postremus Bulgariæ res censendus est. Scio laudatum sæpe Assemanum tom. 5. de Kalend. pag. 207. inter fabulas rejicere Sismani genus & regnum; quamvis Orbinus de regno Slav. & Cangius in Byzant. famil. utrumque affirment. Nititur Assemanus pervetusti Codicis Vaticani auctoritati, in quo depicta visitur Alexandri regis familia, tresque illius filii nominati Joannes Asanus, Joannes Strascimirus, & Michael, qui Mirxas idest Marcus a Chalcocondila dictus post Strascimirum regnavit; codex autem descriptus est an. 1350., vivo adhuc Alexandro, qui an. 1330. imperium sumpsit; non igitur alii Alexandri filii, subjicit Assemanus. Ast unde is novit post an. 1350. non aliam ab Alexandro ductam uxorem, non alios susceptos filios? in Codice depicti non sunt; sed neque pingi poterant, qui nondum exstiterant. Si vero Michael idem qui Mirxas est seu Marcus Chalcocondilæ, & Sismanus idem est qui Mirxas dictus a Phranza lib. 1. hist. cap. 19., inquit Cangius. Quam crebra fuerint Principum Bulgarorum illicita conjugia, & divortia & repudia, produnt illorum temporum historici; nec unius pictoris æstro puto fidendum præ bonæ notæ Scriptoribus.

Bulgari a Turcis lacessiti;

At, quemcumque velis, regnaverit hoc tempore in Bulgaris, sive Sismanus Cangii, sive Michael Assemani, confusissima enim sæc. XIV. hujus regni historia, Turcarum nomen & potentia tum in dies adeo creverat, ut Græcorum imperium, & citra Danubium Bulgariæ Serbliæque regna gravi metu fuerint perculsæ, ne extremum sibi impenderet ab iis exitium. Revera Bajazethes Turca Imperator in Bulgariam irruptionem fecerat ante an. 1393. quo commotus Sigismundus Imperator Germaniæ, & rex Hungariæ acriter per Legatum conquestus est violasse Turcam justitiæ & amicitiæ jura, cum Bulgari apud clientelam & fidem Hungarorum commendati essent, atque ea provincia ad Hungaricam ditionem pertineret. Ferunt vero Bajazethem manu apprehensum Legatum duxisse in armamentarium bellicis instrumentis refertissimum; tum, *hæc arma*, inquit, *hunc apparatum, quem vidisti, jus meum est, quod habeo in Bulgariam*. Quare in apertum bellum uterque prosiluit ingentibus animis, atque armorum militumque viribus; & inde secuta Hungarorum & sociorum clades ad Nicopolim an. 1393., qua Turcæ tota pœne Bulgaria potiti sunt. Verum Sismanus quamdam regni speciem retinere adhuc videbatur; qui an. 1374. in prælio adversus Bajazethem interfectus est; ajunt nonnulli captivum a Turcis abductum.

qui regnum invadunt.

Anno hoc ipso novis præsidiis rem Christianam tueri inter Bulgaros curavit Gregorius XI. & novæ e Dominicana & Franciscana familia evangelicæ expeditiones susceptæ, queis trepidi Catholicorum animi, & undique periculis circumventi retinerentur in fide. Et sane dolendum, præclara pe-

Digitized by Google

periisse in horribili illorum temporum tempestate monumenta virorum, qui pro Catholica religione strenue decertaverint, aut expoliati bonis omnibus, aut vertere solum coacti, aut tormentis extincti, cum & Ecclesiæ viduatæ Episcopis paterent hostium depiædationi ac insultibus, atque nulli, vel paucissimi præsto adessent Christianorum adjumento ac solatio sacerdotes. Eugenius IV. an. 1435. in eamdem curam incubuit; tum vero erat

IGNATIUS ARCHIEP. TERNOBENS. IV. AC POSTREMUS.

Ignatius Archiep. Ternobensis an. circ. 1440. subscribit Concilio Florentino.

Qui Concilio Florentino interfuit an. 1439. & Latinæ ac Græcæ Ecclesiæ optatissimam conjunctionem suo assensu comprobavit; *Humilis metropolita Tornobi, & locum supplens Nicomediensis Ignatius contentus subscripsi;* sed in actis latinis Concilii editis a Iustiniano legitur solummodo; *Ignatius Archiepiscopus Ternovi sequendo subscripsi*. Dissoluta postea unio est Marci Ephesini perfidia; & an Ignatius e sententia recesserit, ac quamdiu vixerit, omnino ignoratur. Nulli deinceps, quos sciam, Ternobenses Archiepiscopi Latini dogmatis memorantur. Eugenius Pontifex eodem anno 1439. Bulgariex Ecclesiæ opem ferre conatus est per Dominicanos operarios; sed capta paullo post a Turcis Constantinopoli, deleto Græcorum imperio, & Varnensi prælio Hungaris profligatis, ac e Bulgaria pulsis an. 1444. cessit Turcicæ tyrannidi regnum & natio Bulgarorum absque ulla libertatis recuperandæ spe; quin etiam, auctore Calchocondila, qui, superstites fuerant e regiis Bulgariæ familiis Dynastæ in Valachia an. 1462. a Mahomete aut interfecti periere, aut barbarorum jugo subjecti sunt; v. laudatum Assemanum pag. 203. Tom. 5. Josephus Benko in suo opere *Transilvania* inscripto tom. 1. pag. 498. affirmat Bulgaros e Bulgariæ nostræ regione in Transilvaniam migrasse, seu potius aufugisse Turcarum immanitate coactos, eosque in *veteres & novos* distingui. Verum quos *veteres* dicit, facile assentior, e vetusta hujus gentis origine sæc. XV. trans Danubium libertatem & salutem quæsivisse; aliosque subsecutos posterioribus annis paullatim ad avitas sedes, & contermina iis loca semet recepisse veri est simillimum. Sed qui *novi* a Benko appellantur, non ab antiqua stirpe, sed a provinciæ incolatu, quæ nunc etiam Bulgariæ nomen retinet, Bulgari vulgo solent hactenus vocari. Et certe qui, Chiprovatio aliisque circum oppidis fuga relictis, sibi suisque rebus consuluerunt, Leo-

Regni Bulgarici casus.

poldo Cæsare sub exitum sæc. XVII. Bosnenses partim, & Serbliani, & Dalmatæ, plurimique erant Ragusienses coloni, e quibus totus ferme constabat regionis populus; de Chiprovatio plura vide in Ecclesia Sophiensi. Cumque Romana sacra profiterentur, a quibus alieni fuere veteres Bulgari labente jam regno, nil mirum si cura cultuque a Franciscanis Patribus sollerter impenso in Catholica religione constantissimi perseverent, uti Benko fatetur; & ab eo discimus, plures ex iis Devæ in Comitatu Hunyadensi, alios in Transylvania Saxonica, plurimos in Themesiensi Banatu sedem fixisse; Franciscani autem operarii tria incolunt Cœnobia, alterum Devæ, alterum Vinczii, tertium Albæ Juliæ, quæ & Alba Carolina nuncupatur in Transylvania Hungarica. Ternobensis Ecclesia & urbs Archiepiscopali ac regia sede amissa, jam tum squallescere cæpit. Non defuit nec Pii II. an. 1464. nec aliorum Pontificum sollicitudo, quo Catholicorum reliquiis providerent, & numquam interrupti Patrum Franciscanorum labores; Ternobensis vero diœcesis Sophiensi Archiepiscopo administranda tradita est. Sed an. 1630. de restituendo hoc Episcopatu actum est; quo autem modo id fuerit propositum, docent ex tabulario Sacræ Congregationis excerpta hujusmodi.

Agitur de restituendo Episcopatu Ternobensi.

F. Laurentium Florium patria Ragusinum Romam miserunt Catholici Ternobienses, qui eum sibi Episcopum præfici vehementer exoptant, idemque suis ad summum Pontificem litteris summopere postulant freti confisique promissis sane liberalibus Petri Massarechii Archiepiscopi Antibarensis, qui cum jussu missuque Sacræ Congregationis ad eam urbem venisset, & professus esset id sibi a Summo Pontifice mandatum fuisse ut eos inviseret, & delictorum omnium indulgentia impertiret, illud insuper adjecit; ederent atque fidenter exponerent, siquid præterea a Pontifice Maximo expeterent; eum quidquid præstare posset, ut illorum commodis utilitatique prospiceret, id omne cumulate facturum.

Porro iidem Catholici summis efferunt laudibus F. Laurentium, ejusque integritatem ac vitæ innocentiam miris præconiis prosequuntur. Præclarum item testimonium virtutis illi tribuunt Catholici civitatis Provati, quæ sita est in eadem Provincia. Ternobium civitas est frequens inprimis ac nobilis totius Romaniæ, quæ olim vocabatur Thracia, in provincia Mysiæ inferioris, nunc Bulgaria dicta; erat quondam Arx & metropolis Bulgarici Regni, in quo Sedem & Regiam habuit Sigismundus Rex Bulgariæ po-

Digitized by Google

postremus, ut in sua illa epistola Catholici testantur.

Nunc vero est Sedes Archiepiscopi ex eorumdem Catholicorum testimonio; & F. Laurentius asserit Metropolitanum Græcum ibidem nunc residere, sibi ex animo amicum vereque benevolum, cui subsunt Episcopi Nicopoleos in Bulgaria, Russorum, Busgradi, Pumagæ, Prorcti, Balbe, & Varni in Syrfia, Silistriæ, & Tergovisti in Walachia, quæ sedes est urbsque regia Vaivodæ Padulii, qui Catholicos & F. Laurentium singulari benevolentia complectitur.

Ternobiense territorium tribus mille familiis habitatur, quarum singulæ singulos denarios, singuli vero Presbyteri singulos nummos aureos Venetos Metropolitæ Græco quotannis tributi nomine persolvunt.

Catholicos in urbe ac territorio commorantes constat esse quam plurimos, quorum quidem multitudinem F. Laurentius certo numero definire nequit; illud tamen pro certo habet atque affirmat, qui ripas ultra Danubium Valachiam versus accolant, eos vocari Christianos Sassios, & Catholicam religionem profiteri, licet veteris Calendarii usum retineant, profectosque esse illuc e Transilvania, & finitima Saxonia, unde fortasse illis Sassiorum cognomen obvenit; qui vero loca citra Danubium incolunt, ii novo Calendario utuntur, & quidquid Sancta Romana Ecclesia præscribit, sancte riteque observant.

Catholici Ternobienses chirographum Romam miserunt, in quo Archiepiscopo assignant quatuor Vineas bene cultus, septem officinas, & quatuor domos, quæ olim ad Latinum Archiepiscopum pertinebant, & policentur præterea se ad illius victam cultumque quadringenta & septuaginta Scuta singulis annis collaturos, neque piorum hominum eleemosynas defuturas, unde ille satis commode & pro dignitate sustentari possit.

Cæterum F. Laurentius, quem sibi Episcopum postulant Catholici Ternobienses, est vir bonus ac simplex, Episcopo Scutarensi notissimus, sed admodum mediocriter a doctrina instructus; id quod illi earum gentium benevolentiam conciliavit.

Ego vero sic existimo Ecclesiæ illi præficiendum esse virum apprime doctum, linguæ Illyricæ gnarum, & concionandi peritum. Is quippe vel plurimum Schismaticis prodesse posset, cum eorum Episcopi Græci doctrinarum omnium rudes sint ignarique, ut idem F. Laurentius testatur. In Regesto lustrationis Dalmatiæ aptus huic Ecclesiæ Episcopus proponitur Frater Simon Arbensis ex Ordine S. Francisci, vir eximiæ integritatis ac virtutis, idemque doctus & facundus Concionater, & sciens utriusque sermonis Illyrici atque Italici; & Michael quidam Cisella Siculus sacerdos. Duos item huic Ecclesiæ regendæ idoneos suggessit Episcopus Scutarensis, F. Desiderium ex Dominicana, & F. Innocentium Ragusinum de Terra nova ex Franciscana familia.

Idem F. Laurentius Romam secum perduxit adolescentulum quemdam Schismaticum, nobili loco natum, ut fidem jurati faciunt Catholici Provatenses; quem cum ipse ad rectam in Deum Fidem Ecclesiæque Romanæ auctoritatem revocaverit, admitti cupit in aliquod Seminarium, in quo bonis artibus ac moribus instuatur, idque pariter petunt & expectant Catholici Provatienses; cum genere ac sermone sit Illyricus, videtur posse colocari in Collegio Illyrico.

Cæterum Ternobensium votis illud officere videtur; quod illis satisfieri non possit, quin ex jurisdictione F. Eliæ Episcopi Sophiensis aliquid detrahatur; ejus quippe diœcesis Bulgariam, in qua sita est civitas Ternobi, complectitur. Sed Catholici Ternobenses graviter queruntur se ab Episcopo Sophiæ plane neglectos ac destitutos esse, quippe quem ferre numquam vident; ac propterea certum sibi ac proprium Episcopum dari desiderant, qui Ternobio affixus numquam illinc discedat.

Ex hisce habes, quo in statu esset Ternobensis civitas ac diœcesis sæc. XVII. nec dubito, quin idem hactenus perseveret; sed justas ob caussas Ternobensium desideriis ac postulationibus non assensere Congregationis Patres; ac Nicopolitano Antistiti nunc subsunt cum reliqua Bulgaria. De Ecclesiis, quæ Ternobensi paruere, hæc pauca. nunc subest Episcopis Nicopolitanis

EPI-

EPISCOPI BELESBUGDENSES.

Belesbudii notitia.

BElesbudium in provincia Rhodopes versus Hæmum montem in Occidentem situm olim videtur ad ripam Hebri, nunc *Marisa*, fluminis, ubi Valentiopolis urbs a Valente Imperatore condita dicitur atetisse in Notitia Græca Episcopatuum orbis edita in calce Codini ab eruditissimo Goario; *Belentiopolis* seu *Velentiopolis*, *quæ nunc Belesbudium*. Narrat Georgius Acropolita, Joanne Vatatze Imperatore, multa Bulgariæ circa montem Rhodopes loca, & *Belesbudii regionem* Græcis se dedidisse; quare Belesbudii, & hinc Valentiopolis locus in provincia Rhodopes, quæ Thraciæ pars, constitui debet, quousque Bulgaricum patuit imperium, minime in Mœsia inferiori. Belesbugdensis Ecclesia exstitit jam sæc. xi., de Valentianopolitana ne ullum quidem hoc nomine vestigium. Eo vero sæculo fuit

NICEPHORUS EP. BELESBUGDENSIS UNICUS.

Nicephorus Ep. Belesbugd. an. 1072.

Qui se prodit in Cod. 72. Bibl. Coislinianæ. Continet ille homilias Græcas in Joannem S. Joannis Chrysostomi, & in fine hæc leguntur subjecta a Nicephoro; *Auxiliare Domine misero peccatori, & indigno Episcopo civitatis Belesbugd Nicephoro Apelasti filio, intercedente purissima matre tua, & delecto discipulo tuo Joanne Theologo, & omnibus Sanctis tuis. Quicumque legitis orate pro me propter Dominum. scriptus est Indict. x. anno mundi* 6580. idest Christi 1072. hæc ex Græco. Sive vero Belesbugdium in potestate Græcorum eo tempore fuerit post illatam Bulgaris cladem a Basilio an. circ. 1018. sive in fide Bulgarorum constiterit, mihi fit verisimile, Nicephorum schismatica labe fuisse pollutum, cum utraque natio a Romana Ecclesia abhorreret.

Post Nicephorum series horum Antistitum deficit ad an. usque 1204. cum rex Bulgarorum Joannes ab Innocentio III. impetravit, ut Belesbugdium metropolitico honore ac jure donaretur; hinc

ARCHIEP. BELESBUGDENSES

NN. ARCHIEP. BELESBUGDENSIS UNICUS.

Ad quem Pallium misit Innocentius III. hoc an. 1204. & ne dicta repetam, vide hæc fuse enarrata in Basilio Archiep. Ternobensi. Periisse postea hanc Ecclesiam, & brevi quidem temporis intervallo, conjici potest e silentio tum Græcæ tum Latinæ historiæ ecclesiasticæ, in qua nec nomen superest.

N. Archiep. Belesbugd. an. 1204.

EPISCOPI BRANDIZUBERIENSES.

BRandizuberium Bulgariæ civitas, fortasse in proximo Hæmimonte, nota unice est ex actis Innocentii III. cum Joanne Bulgarorum rege. Videtur autem tum orta Episcopalis hæc Ecclesia, quæ omnino interiit; neque ullos Episcopos Brandizuberienses fas est reperire præter hunc, quem subjicio.

BLASIUS EP. BRANDIZUBERIENSIS UNICUS.

Blasius Ep. Brandizub. an. 1202.

Gente Bulgarus an. 1202. electus jam hujus urbis Antistes. Cujus sollertia & prudentia nixus Joannes rex Bulgarorum illum Romam misit ad Innocentium III. Pontificem pro renovanda suæ gentis cum Romana Ecclesia conjunctione & pace. Ibi accepta ab Episcopo Cardinali Albanensi consecratione Episcopali in Bulgariam reversus est. Rursum, cum Joannes nuncius Pontificis legationem suam obivisset apud regem, Blasius comes eidem additus in Italiam revertenti, ut cum Innocentio multo gravius negotium perficeret de instaurando regno Bulgarico. Demum, rebus bene compositis, an. 1204. socium se adjunxit Leoni Cardinali S. Crucis, & Pontificio ad Bulgaros Legato, quocum gravia ab Hungaris incommoda passus est; vide dicta paullo superius. Demum Ternobum ingressus mense Novembri, & a rege, ut par erat, impense commendatus in sua Ecclesia quievit, & obiit, incertum quo anno, quo in loco. Erravit autem Lequienius, cum eum Archiepiscopum dicit; nam in litteris antea prolatis tum Innocentii, tum regis & Archiepiscopi Basilii Epi-

ejus acta.

Lequienii error.

Digitized by Google

Episcopus appellatur; ac duæ tantum regni Ecclesiæ, præter Ternobensem, metropoleos titulo, ac jurisdictione decoratæ sunt, Preslabensis & Belesbugdensis.

Præter hasce non dubito, quin & aliæ fuerint Episcopales Ecclesiæ, quæ circa Hæmimontem, & Rhodopen, & ipsius Thraciæ fines subessent Ternobensi Primati. Lequienius nullas commemorat. Sed duo mihi innotescunt Bulgarici Episcopatus ex diplomate Gregorii IX. an. 1232 in Bull. Dominic. tom. I. ad ejusdem Ordinis Præsidem in provincia Poloniæ, Albensis & Brandusiensis; ac ubinam extiterint, difficile est reperire. Extra Mœsiam inferiorem illos inquiramus oportet; tum hi vero, tum descripti superius in Illyrico nostro nequeunt comprehendi. Subjicio tamen Gregorii diploma aliorum judicio & sententiæ; sed valde miror, in Supplem. Bull. Dominic. annales Bzovii citari, e quibus notitiam haurias facti hujusmodi, cum in Bzovio diligentissime pervolutato nihil omnino hac de re fuerit deprehensum.

Littera Gregorii IX. P. *Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Dilecto Filio Provinciali Ordinis Fratrum Prædicatorum in Polonia, salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Cum Unigenitus Dei Filius Jesus Christus Beato Petro Apostolorum principi pascendas oves commiserit suas, ita ut qui eum non receperint in Pastorem ab ipsius ovibus censeantur alieni, dolemus non modicum, ac turbamur, quod Albæ, & Brandusii Bulgarorum Episcopi, nulli nisi Pontifici Romano subjecti, jamdiu ab unitate Romanæ Ecclesiæ declinantes, post greges sodalium evagando, ipsius magisterio se subducunt. Illius igitur Vicarii, licet insufficientibus meritis, constituti, qui, ut drachmam perditam reperiret, & ad caulas, ubi nonaginta novem reliquerat, errabundam ovem propriis humeris reportaret, de secreto Patris in publicum egressus ad servos, testam induit fragilitatis humanæ, discretionem tuam monemus, & præcipimus, quatenus prædictos Episcopos infra competentem terminum a te præfigendum eisdem, ad unitatem Romanæ Ecclesiæ revertentes, tibi reverenter obediant, & intendant, sollicite moneas, & inducas. Quod si tuis monitis acquiescere forte noluerint, ex tunc subdas Episcopatus eorum, auctoritate nostra, Episcopo Suniensi. Contradictores &c. Dat. Reate XII. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno Sexto. idest 1232.

Ante vero quam huic de Bulgarica Ecclesia & natione historiæ finem imponam, libet hic adtexere quæ Busbeckius apud Turcam regem Internuncius Cæsareus de Bulgaria scripsit in prima e suis vulgatis epistolis, cum Constantinopolim proficiscens eam regionem præsens lustraret.

Pluribus diebus fecimus iter per amœnas & non infrugiferas Bulgarorum convalles, quo fere tempore pane usi sumus subcinericio, fugacias vocant; eum puellæ mulieresque vendunt, neque enim sunt in ea regione pistores. Illæ, ubi hospites advenisse sentiunt, unde lucelli quid sperent, subactam subdito cum aqua sine fermento farinam calidis cineribus subjiciunt; atque ita ferventes etiamnum a foco panes parvo pretio venales circumferunt. Sunt illic & reliqua edulia satis vilia. Vervex XXXV. asperis, singuli pulli gallinacei gallinæque singulis comparantur. Asperi 50. Coronatum constituunt. Non est prætermittendus illarum mulierum ornatus. Fere solis indusiis seu interulis vestiuntur. Ea linea sunt filo haud subtiliore, quam quo apud nos sacci texuntur, sed multiplici acus pictura variis coloribus rudi & ridendo opere elaborata; quo tamen mirum in modum sibi placent. Itaque cum nosra indusia intuerentur, tametsi ex præstantissima tela, tamen mirari se ajebant tantam in nobis modestiam, quod simplicibus nullo colore, neque opere variatis indusiis uteremur. Sed nihil tam novum occurrebat, quam turritum caput, & galeri, si sic vocari potest, plane inusitata forma. Est ille ex stramine inducta tela, figura plane contraria ei, qua apud nos utuntur rusticanæ mulieres; hic enim in humeros demittitur, & qua infimus, ibi latissimus est, deinde in pyramidem fastigiatur; contra ille infima parte est angustissimus, deinde supra caput surgit in turbinem fere ad dodrantem; qua vero supinus cœlum spectat, capacissimus est & apertus, ut non minus videatur ad imbrem, & solem accipiendum factus, quam noster ad arcendum; eo vero spatio, quod est inter ejus inferiorem & superiorem oram, nummuli & imagunculæ, & frusta vitri diversi coloris, & quidquid nitet, quamvis vile, pro ornamento dependent. Hujusmodi galeri, cum ad proceritatem adjuvant, tum ad gravitatem, quamvis levi jactatione ad casum faciles & parati. Ita ergo se inferunt, ut Clytemnestram aliquam aut Hecubam, sed Troja florente, in scenam prodire putes. Hic mihi in mentem venit, quam levis & infirma res sit, quæ vulgo perhibetur, nobilitas; nam cum de puellis quibusdam, quæ liberaliore erant forma, scire vellem, num quo illæ essent gene-

Digitized by Google

genere, audiebam eas a summis ejus gentis satrapis originem ducere, aut etiam regium esse genus, jam bubulco aut opilioni desponsas; sic in regno Turcarum jacet nobilitas. Vidi etiam postea alias Cantacuzenorum, & Palaeologorum Imperatorii generis reliquias contemptius inter Turcas degentes, quam vixit Dionysius Corinthi; nam Turcae neminem, ne suorum quidem, nisi ex se pendunt; sola domo Othomanorum excepta, quae suis censetur natalibus. Hæc Busbequius an. 1554. levia quidem & parum scitu utilia, sed ea hujusmodi, unde parte cognoscas, quem in statum luctuosissimum vitia, schisma, hæreses, perfidia, impietas dejecerint Bulgariæ regnum olim viribus potens, & florens opibus; ubi vera religionis, & Christianæ virtutis pauca nunc supersunt vestigia, Turcica superstitione, ac tyrannide rerum domina, & Græcanicis erroribus late per eas gentes effusis, & tenaciter hærentibus.



AD-

Digitized by Google

CORRIGENDA ET ADDENDA.

PAg. 4. *col.* 2. *lin.* 51. pro Proterio corrige Proterio.

Pag. 17. *col.* 1. *lin.* 30. substribunt — subscribunt.

Rag. 20. *col.* 1. *lin.* 12. Cannonicorum — Canonicorum

Pag. 21. *col.* 1. post Petrum Archiep. Scopiensem XII. adde; Duo nominatione Cæsarea electi Archiep. Scopienses memorantur a Julio Cordara Soc. Jesu in historia Collegii Germanici — Hungarici in catalogo virorum illustrium, qui religione & scientiis ibidem fuere instituti; alter Joannes ex liberis Baronibus ab Hedervara an. 1659. alter Andreas Szili a Palotta an. 1682.

Pag. 22. *col.* 2. *lin.* 62. careræ — carere

Pag. 36. *col.* 2. *lin.* 46. erat — erant

Pag. 62. *col.* 1. *lin.* 5. adde, & in Achridanis pag. 201. ib. l. 38. occurit — occurrit.

Ib. Achridanus Antistes hic memoratus erat Franciscus Svimirovichius primum Prizrensis Episcopus, postea Archiepiscopus Achridensis, de quo vide Ecclesiam utramque in hoc tomo.

Ib. ad Arsenium Patriarcham Ipekiensem IX. adde; hic a Leopoldo I. Imp. an. 1690. & 1695. tum a Josepho I. Leopoldi filio an. 1706. honorificis privilegiis donatus suæ dignitatis augmento, & gentis Rascianæ commodo, quæ Viennensi bello Cæsaris arma fide, & fortitudine militari juverant adversus Turcas. Hinc Arsenii Patriarchatus ad illum annum 1706. perduci debet; quo etiam Viennæ obiit, & ad monasterium Thrusodolense prope Carlovitzium ejus corpus delatum est. Hæc ab nobilissimo æque ac doctissimo Zagragiensi Antistite Maximiliano Verhovaczio accepi, qui præterea humanissimis litteris datis 14. Maji an. 1719. integram ad hunc annum seriem Ipekiensium Patriarcharum ad me misit, illamque hic exhibeo; sed est animadvertendum, a loco, ubi nunc degunt, Carlovitzio, eos vulgo appellari Metropolitas Carlovitzienses. Igitur post Arsenium sequitur ordine

X. Elias Dishovich Episcopus Jenopolitanus (Aradienensis) ad Archiepiscopatum promotus; obiit Viennæ 1708. sepultus in Thrusodol.

XI. Sopronius Podgarichin obiit 1711. Arsenius & præfati hi duo Archiepiscopi in Monasterio Thrusodol habitarunt, & ibi etiam sepulti jacent indubie, quia Residentia Carlovitzii pro illis destinata necdum fuerat perfecta.

XII. Vincentius Popovich obiit 1725., a Carolo Imp. iisdem ac supra privilegiis ornatus an. 1713. & 1715. qui primus Carloviczii residere cœpit. Anno 1718. usum loquelæ amisit, & Coadjutorem accepit Moysem Petrovich.

XIII. Moyses Petrovich, mox mortuo Prædecessore cum pleno jure Archiepiscopus denominatus est anno 1724. Belgradum translatus, ibi obiit 1730.

XIV. Vincentius II. Joanovich Belgradi resedit; ibibiit 1737.

XV. Arsenius II. Joanovich Patriarcha Ipekensis eodem 1737. anno cum numeroso populo Albanensi, & Clementino ad Cæsareas Provincias venit, & a Cæsare Carloviczensis Metropolita denominatus est. Residentiam Carloviczensem perfecit. Huic Maria Theresia Augusta Leopoldi avi, Josephi patrui, Caroli patris privilegia confirmavit an. 1741. & 1743. quorum probatum exemplar mihi humaniter præbuit Augustinus Corrierius Marcianæ Basilicæ Æditus & multiplicis eruditionis sollertissimus cultor. Decessit Arsenius an. 1748.

XVI. Isajas Antonovich obiit Carloviczii 1749.

XVII. Paulus Nenadovich mortuus Carloviczii 1768.

XVIII. Joannes Georgovich mortuus Carloviczii 1773.

XIX. Vincentius III. Joannovich Vidak mortuus Carlovitzii 1780.

XX. Moyses II. Putnik obiit Carlovitzii 1790.

XXI. Stephanus Stratomirovich de Thulpin,

pin, electus 1790., a sua sacratissima Majestate confirmatus 1792. in Coronatione moderni Augustissimi Francisci I., qua Regis Hungariæ Budæ 1792. intimus actualis Status Consiliarius denominatus, denique 1809. magna Cruce Cæsareo. — Regia Leopoldina exornatus, actu vivit, & gubernat populum suæ jurisdictioni subjectum. Sub hoc Metropolita residentia Archiepiscopalis Carlovitzensis anno 1788. exarsit, mox reædificari cœpta, nunc est in statu perfecto.

Pag. 65. *col.* 2. de Protogene adde. Ex Gelasio Cyziceno lib. 2. hist. Conc. Nicæni cap. 20. discimus, Protogeni munus datum a Nicænis Patribus, quo eorum nomine responderet cuidam Philosopho in Concilium admisso, hujusque dissolveret objectiones adversus Spiritus Sancti divinitatem. Gelasius responsionem profert hoc titulo; *Responsio Patrum per Protogenem Episcopum Sardicensem*.

Pag. 72. *col.* 2. *lin.* 45. 1618. — 1658.

Pag. 74. *col.* 2. *lin.* 5. adde; Josephus Benko in suo opere, cui titulus *Transilvania* tom. 1. pag. 435. pluribus allatis de Saxonum in Transilvaniam adventu sententiis, hanc præfert & tuetur; a S. Stephano rege allectam eam gentem fuisse, ut ad regionem excolendam venirent; aucta deinde est novis colonis atque familiis; & Geysa II. rege post an. 1141. in populosam nationem adeo excrevit, ut Transilvaniæ Saxonicæ nomen inde ortum fuerit, quæ totius provinciæ nobilissima habetur.

Pag. 77. *col.* 1. *lin.* 1. olim Daciæ *adde* Aureliani

Pag. 83. *col.* 2. *lin.* 17. eccessit — accessit

Pag. 91. *col.* 2. *lin.* 31. Ternnobitanum — Ternobitanum

Pag. 92. *col.* 2. *lin.* 21. Athenanarum — Athenarum.

Pag. 93. *col.* 2. *lin.* 52. Cxrillus — Cyrillus

Pag. 105. *col.* 2. *lin.* 60. sententiæ — sententiæ

Pag. 106. *col.* 2. *lin.* 79. conformata — confirmata

Pag. 124. *col.* 2. *lin.* 59. Odisseus — Odysseus.

Pag. 128. *col.* 1. *in margine* Stramitza — Strumitza.

Pag. 137. *col.* 1. *lin.* 7. relique — reliquæ

Pag. 145. *col.* 1. *lin.* 5. objessa -- obsessa. ib. l. 1. adde, ex hist. Turcarum Chalcondilæ Gallica lingua edita an. 1650. tom. 1. pag. 481. Belgradum militum præsidiariorum, tam munitionum armorumque defectu in hostium potestatem cecidisse, qui, violata fide, abeuntes Solimani permissu cives omni commeatu expoliarunt. Fama est, in urbis direptione servata ab eo fuisse pretiosa Divorum quorumdam corpora, & Barbaræ V. ac M. brachium cum picta Deiparæ V. effigie; hæc vero Constantinopolim rediens a Christianis coli sinebat Solimanus, quocumque transiret, oblata tamen pecunia; atque urbem ingressus Græcum Patriarcham adegit duodecies mille argenteos nummos persolvere pro sacris lipsanis redimendis, ea in mare projecturus, si Antistes abnuisset, qui religione permotus, & divitum mercatorum adjutus ope salva omnia ab impiis manibus recepit. Eadem narrat Spondanus in Annal. an. 1521., additque ea Corpora SS. Thetæ & Venerandæ fuisse, Patriarcham vero Constantinopolitanum nomine Hieremiam, Schismaticum, qui an. 1545. Ternobi vita decessit.

Pag. 150. *col.* 2. *lin.* 59. ab iis verbis *Post Lucam* usque ad totum Stephani Episcopatum delenda omnia; ut paullo inferius constabit.

Pag. 154. ante Episcopos Bidinenses adde.

De conjunctione Ecclesiarum Belgradensis & Semandriensis hæsimus incerti pag. 149. & pag. 153. quo anno fuerit effecta. Sed laudatus Zagrabiensis Episcopus suis litteris datis pridie Kal. Martias hujus an. 1819. plura nobis humanissime suppeditavit monumenta, quæ omnem tolleret dubitationem. Anno itaque 1655. decreta jam fuerat a Leopoldo Cæsare horum unitio Episcopatuum, sed Leopoldi decretum illico ab Apostolica Sede non obtinuit consensum. Hic igitur utriusque Ecclesiæ Episcoporum series post eum annum nobis texenda est, quorum nomina & acta a litteris laudatis didicimus, cum Belgradensis & Semandriensis historia e prælo jam exiverat.

Verum ut id exsequar ordinatim, habe primum Belgradenses Episcopos a Cæsare designatos

An. 1675. Robertus Carlovitzius, e strictiori D. Francisci disciplina.

An. 1679. Matthias Bernovichius Ord. Franciscani.

Hos Pontificia approbatione non caruisse existimo; cum huic Ecclesiæ suus deesset Episcopus eo tempore, & hinc corrige dicta *pag.* 149. *col.* 2. post *lin.* 47.

An.

Digitized by Google

An. 1715. Stephanus Kaso subscriptus in Hungarico hujus anni conventu, sed a Clemente XI. non probatus, qui Lucam Natalem Belgrado Episcopum præfecerat sui Pontificatus initio. Lucas autem ad an. 1630. vitam produxit, vicissim a Cæsare reprobatus.

Nunc de Semandriensibus, quorum brevissima series ad initium sæc. XVII. a nobis perducta suo loco est. E schedis itaque Zabrabiensibus hos adjicio ex Cæsarea nominatione; an vero a Pontifice confirmati fuerint, dubitandum; absunt enim a nostris tabulis Romanis.

An. 1655. Franciscus Tolnay electus in regio Hungarico conventu illius anni, & in alio an. 1661. subscriptus.

An. 1681. ad an. 1687. Godefridus Kapaun

An. 1715. Ferdinandus L. B. Jamy.

An. inc. Stephanus Illiesius, de quo Julius Cordara S. I. in historia Collegii Germanici-Hungarici, in Catalogo illustrium ejusdem Collegii virorum.

Sed anno tandem 1741. utrique Ecclesiæ Belgradensi & Semandriensi unus tantummodo præesse cœpit & præest hactenus Episcopus ab Imp. electus, a Pontifice approbatus. Quinam hi fuerint, docent laudatæ Zagrabienses schedæ, quarum ope hanc seriem confecimus.

ANTONIUS EP. BELGRADENSIS ET SEMANDRIENSIS I.

E nobili familia Comitum Engel de Wangrein. Legitur subscriptus conventui Hungarico an. 1741., & an. 1750. ad Ecclesiam Chanadiensem transiit.

STEPHANUS EP. BELGRADENSIS ET SEMANDRIENSIS II.

Natus est Stephanus Pucz anno 1700. in Zagoria nobili districtu Regni Croatiæ, ex nobili familia, quæ in linea tam paterna, quam materna nexum sanguinis habuit cum præcipuis Hungariæ, & Croatiæ illustribus familiis Pothal, Niezhy, Illiasich, Rauch, Bedekovich, Despotovich &c. Infantiam sub optimorum Parentum cura, & exemplari quotidiana conversatione transegit. Grammaticales Zagrabiæ in Regio Gymnasio, & Convictu nobili sub Jesuitis, Poesim, & Rhetoricam in Seminario Junioris Cleri Diœcesis Zagrabiensis absolvit sub directione Michaelis Kallamar Rectoris dicti Seminarii, & Humanitatis Classium Professoris, qui anno 1717. gremio Canonicorum Zagrabiensium ab Episcopo Emerico Comite Eszterhazy adlectus est.

In eodem Seminario studiis operam navans 1715. 21. Decemb., Sabatho 4. temporum a mox nominato Ordinario suo Episcopo tonsuram Clericalem accepit; pro continuandis autem studiis primo Viennam, ubi Philosophiam, dein Romam ad Collegium Germanicum S. Apollinaris, ubi Theologiam universam absolvit, & gradum tam Philosophicum, quam Theologicum meruit, promotus fuit. Romæ anno 1723. in gradu adhuc 4. minorum Ordinum constitutus, necdum sacro Subdiaconatus Ordine investitus a Cognatis suis Barone Gabriele Emerico Gothal, & VBano Adamo Rauch Parochiam S. Nicolai in Bisztra collatam habuit, & pro eadem 1. Augusti ejusdem anni coram Reverendissimo Nicolao Bedekovich canonico Zagrabiensi, Archidiacono Cathedrali, & Vicario Generali in Spiritualibus Episcopi Com. Eszterhazy juramentum deposuit.

Mox Neostadii, quia Episcopus Comes Emericus Estzterhazy ad Episcopatum Veszprimiensem translatus Zagrabia jam abivisset, Georgius autem Braniugh, quem Eszterhazy 20. Augusti ejusdem anni Pragæ a Cæsare Carolo Sexto nominatum Successorem in Episcopatu Zagrabiensi accepit, Bullas Pontificias nondum obtinuisset, Sabatho 4. temporum incidente in diem 18. mensis Septembris 1723. per D. Georgium Maroti Episcopum Petinensem Præpositum Rudolspertensem in Subdiaconum, anno eodem Dominica prima Adventus incidente in diem 28. Novembris in Diaconum, denique anno eodem in festo S. Andreæ Apostoli incidente in diem 30. Novembris in Presbyterum ordinatus est. Liber Ordinatorum Episcopatus Zagrabiensis harum ordinationum testimonium perhibet sequentibus verbis; Anno Domini 1723. Sabatho 4. temporum incidente in diem 18. mensis Septembris Neostadii per Illustrissimum & Reverendissimum D. Georgium Maroti Episcopum Petinensem ordinatus est in Subdiaconum R. Stephanus Pucz Alumnus V. E. O. Z. & Parochus S. Nicolai Episcopi, & Confessoris in Bisztra. —

Eodem anno, quo supra, Dominica I. Adventus incidente in diem 28. Novembris per suprascriptum Dominum Episcopum vi Bullæ Pontificiæ eatenus acquisitæ promotus est in Diaconum R. Stephanus Pucz Parochus S. Nicolai in Bisztra.

Eodem demum anno festo S. Andreæ Apostoli incidente in diem 30. Novembris per eumdem D. Episcopum ordinatus est in Presbyterum R. Stephanus Pucz ut supra V. C. E. Z. & Georgius Perzaich Cantor, & Canonicus Chasmensis Episcopalis juratus Secretarius m. p. Postquam per qua-

quadriennium & duos menses Parochiam fideliter, & zelose administrasset, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Zagrabiensis anno 1727. 29. *Septembris in locum demortui Canonici Francisci Somssich denominatus est. In Capitulo per omnia Officia ob insignem ipsi innatam activitatem celeriter transivit* 1733. 18. *Septembris ad Urbocz,* 1734. 26. *Octobris ad Varasdinensem,* 1739. 16. *Novembris ad Gorcezensem Archidiaconatus;* 1743. *vero* 5. *Aprilis in locum mortui Georgii Dumbovich ad Custodis Cathedralis Ecclesiæ dignitatem promotus est. In hac omnium maxime zelum suum in augendo Cultu divino, & ornanda Cathedrali Ecclesia, munificentia Episcopi Emerici Comitis Eszterhazy apparatu sacro mirifice ditari coepta, manifestum reddidit: plura enim in ea ad meliorem ordinem posuit, & copiosa Supellectili ad omnem elegantiam & splendorem etiam pro exquisito, quo pollebat, gustu, ornata partim ex Ecclesiæ, partim etiam e proprio peculio providit. Anno* 1751. *Tabulæ Banalis Prælatus, & Consessor creatus est: quod Officium usque annum* 1756. *tenuit;* 1752. *ex Custode factus est Lector Capituli in locum Josephi Chiolnich ad Episcopatum Bosnensem seu Diakovariensem promoti. Anno* 1755. *electus Episcopus Belgradensis seu Semandriensis, Episcopi Zagrabiensis Francisci Thauszy in Spiritualibus Suffraganeus. Eodem anno in locum* 19. *Junii demortui Præpositi Majoris Sigismundi Bernardi Liberi Baronis a Sinersperg Capituli Præposituram adeptus est, qua in dignitate usque finem vitæ permansit. Anno* 1765. *viro vere magno Nicolao Gothal Lectori C. Z. Avunculo suo monumentum posuit in Cathedrali Ecclesia. Sacello S. Ladislai ad ingressum Sacristiæ me ipsum, qui hæc scribo, anno* 1768. *dum in Seminario Cleri Junioris Rhetoricam frequentassem die* 17. *Decembris Confirmavit, ac tonsura, &* 4. *minoribus Ordinibus insignivit. In ordinandis Clericis, & consecrandis per Diœcesim Ecclesiis, Confirmationisque Saramento administrando assiduus. Toti Patriæ, & cumprimis Nobilitati charus, plenus meritis obiit* 24. *Martii* 1771. *in Cathedrali Ecclesia, Sacello B. M. V. solita Crypta Præpositorum majorum V. C. Zag. tumulatus est.*

Hic Epitaphium subjicitur Gothalii tumulo inscriptum a Puczio.

D. O. M.
Hic Mortales Exuviæ
Immortalis Viri Nicolai Hothal de Gothalovecz sitæ sunt.
Qui in omni vita talem se exhibuit
Ut eum seu non nasci, ne nosceretur, seu non mori ne desideraretur, oporteret
Sacratiorem a teneris militiam sectatus
Per Gradus
Curionem, Canonicum, Archidiaconum, Lectorem
Et tam plena, quam bis vacua Zagrabiense Sede, Vicarium Episcoporum munus
Sine offensione, quod rarum
Sine invidia, quod rarius
Omnium probatus Calculo, quod rarissimum
Gessit.
Ardore animi, verbo, opere
Bonus Pastor
Divinarum laudum, Cultusque assiduitate
S. S. Canonum norma, & assertor
Dexter Præsulum oculus.
Maturitate Consilii, Justitia, & lenta in rebus expediendis festinatione
Sacri Zagrabiensis Senatus
Providentia, mens, Anima
Demum Diœcesis
Quam pie severus
Annis integris Octodecim, mensibus undecim Vicario nomine rexit.
Amor, Timor, Deliciæ
Nec ultra progressus
Præsul quod esse meruerat, non fuit
Imo fuit Suffragio, votoque bonorum omnium
Fuit (Qua infulam non suam ornavit) corona virtutum
Hac una contentus

Ata-

Digitized by Google

Atavum Illustrissimæ Gentis suæ
A Germanis in se
Suosque
Sanguine derivatum splendorem parvi pendens
Et novem
Quas Sentum fluxæ Nobilitatis Testes exhibet
Coronas contemnens
Non aliam, quam quæ Æternum æterna est, petiit
Bis Gemina sui Cruce de totidem hostibus triumphans
Ad Victorem de Tribu Juda Leonem abscessit
Anno Ætatis Suæ LXIII. a Christo nato MDCCXXIII. die XXXI. Mensis Martii
Cui
Ceu Avunculo, Educatori, Patri, ac optimo Virtutum Magistro
In sempiternum gratitudinis monumentum
Lapidem hunc
(Positurus cur, si posset)
Posuit
Stephanus a Pocz Episcopus Belgradiensis, seu Saman.
Cath. Ecclesiæ Zagrab. Præpositus, & Canonicus. &c. &c.
MDCCLXV.

ANTONIUS II. EP. BELGRADENSIS ET SEMANDRIENSIS III.

Antonius Zlatarich lucem primam aspexit 19. Maji 1721. Dubicza oppido militari Confinii Banalis in extremitate moderna Austriaca Croatia, quam unicus Una fluvius a Turcica Croatia sejungit. Parentes illius originem suam e Dulmatia traxisse, & in nexu esse cum nobili familia Zlatarichiorum ibidem existentium prætenderunt; Grammaticalia Zagrabiæ in Gymnasio Regio sub Jesuitis absolvit. Seminarium Junioris Cleri Zagrab. ingressus est 1735. mense Novembris, ubi Poesim, & biennalem Rhetoricam, moderante Seminarium, & utramque Scholam Gregorio Gasparich Sublectore, qui anno 1737. Mensis Aprilis Canonicus denominatus fuit, audivit; 1736. 27. Maji Tonsuram & 21. Decembris 1737. quatuor Minores ab immortali Episcopo Zagrab. Georgio Draniugh obtinuit. Mox pro condiscenda Philosophia Viennam, ad Collegium Diæcesis, & post elapsum unum annum ad repetendam, & continuandam Philosophiam, & condiscendam Theologiam Romam ad Collegium Apollinare missus est, ubi Lauream Doctoralem in Philosophia, & Theologia consecutus est. Ibi sacris quoque omnibus Ordinibus insignitus in Ecclesia Collegiali S. Apollinaris primum Missæ sacrificium obtulit. Reduce ad Patriam die 3. Julii 1745. ad Capellanatum dispositus mox sequenti anno 1746. 19. Augusti pro Parochia S. Martini in Martianecz munificentia Comitum Alexandri, & Ludovici Patachich de Zajezda, UBani Joannis Rauch, & Nobilis Stephani Jankovich sibi collata coram Vicario Generali Sigismundo L. B. Sinersperg juramentum deposuit. Hanc usque ad annum 1758. per annos 12. zelose cum maxima Collatorum, quorum singulari affectu gloriabatur, & populi fidelis, curæ sua spirituali crediti satisfactione administravit; per Episcopum Franciscum Thauszy ad Canonicatum Zagrabiensem promotus, in Capitulo omnia Officia Capitulo incumbentia administravit. Fuit Decanus, Præfectus Sisciensis, & piarum fundationalium Summarum, ac demum Dubiczensis Commendans Dubicza olim ad Ordinem Equestrem Joannitarum, dein ad Comites Trinios, ultimo ad Capitulum Zagrabiense pertinebat; quod e Privilegio Regio eam insuper potestatem concessam habuit, quod unus e Canonicorum gremio Commendans militaris cum dignitate, & Salario Vice-Colanelli Arcis præfuerit; nunc universo districtu Militaribus resignato, officium istud cessavit, & cum Officio etiam titulus, & salarium. An. 1766. 28. Februarii ad Vaskatus, 1767. 21. Julii ad Dubiczensatus, 1768. 30. Januarii ad Bexinatus Archidiaconatuum administrationem admotus, denique 1775. Episcopus Belgradiensis seu Samandriensis, Episcopi Zagr. Joseph Galliuff in Spiritualibus Suffraganeus, a magnæ Magnæ Memoriæ Maria Theresia Imperatrice, & Regina Apostolica ad preces sui sibi amicissimi Prælati nominatus, & electus exstitit. Assiduus a Consecratione accepta in administrandis SS. Confirmationis, & Ordinationis Sacramentis, Ordinandisque, & consecrandis Diæcesanis Ecclesiis. Solitus præterea erat pro sacro spirituali Exercitio ad aliquem Franciscanorum, vel, idque frequentius, ad Paulinorum Conventum omni anno secedere, & per plures Septi-

pti-

ptimanas in religiosa conversatione transigere. Dum Belgradiensis fuisset Episcopus consecratus, molesta illi enata est controversia; prætendebat ille sibi propter eminentiam consecrationis Episcopalis præcedentiam præ Præposito majori, qui se in Hungaria præcellente Dignitate Prioratus Auranæ perpetuo cum dignitate Præpositorum Majorum Capituli e Privilegiis Regum Hungariæ conjuncta, & unita tuebatur, & præ Titularibus Episcopis Actualibus Suæ SS. Matris competere. Quæstio animose per plures annos tractata, indecisa tamen mansit. Die obiit 30. Januarii 1790. in Publico Parochialis Eccl. S. Petri ad Zagrabiam Coemiterio sepultus ideo, quia ex prohibitione Regia nemo in Ecclesiarum Cryptis sepeliri poterat,

NICOLAUS EPISC. BELGRADENSIS ET SEMANDRIENSIS IV.

Kondius de Rhatetek cognominatus Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Strigoniensis, & Episcopus electus an. 1797., & Strigoniensi Archiepiscopo datus Suffraganeus quod ad *Pontificalia*, quod vero ad *Spiritualia* spectat, ejusdem in sua dioecesi Vicarius generalis. Hanc Sedem Episcopalem cum Jaurinensi commutavit an. 1801. & vita sublatus est an. 1813.

JOSEPH EPISCOPUS BELGRADENSIS ET SEMANDRIENSIS V.

Cognomen illi Vietus, Metropolitanæ Strigoniensis Canonicus & Præpositus major, hoc Episcopatu donatus an. 1801., idemque Vicarius generalis in Ecclesia Strigoniensi suo viduata Pastore. Vix sexennium præfuit

ALEXANDER EP. BELGRADENSIS ET SEMANDRIENSIS VI.

E familia Bodonya, Vaciensis Canonicus & major Præpositus, an. 1807. Episcopalem dignitatem adeptus.

STEPHANUS II. EP. BELGRADENSIS ET SEMANDRIENSIS VII.

Ortus e familia Ehchia; cum Canonici & Cantoris munere fungeretur in Ecclesia Cathedrali Scepusiensi, Episcopus renuntiatus est, ac simul Suffraganeus Michaelis Brigido Antistitis Scepusiensis an. 1815. Michaele mortuo, adhuc vita superstes ibidem Pontificalia exercet.

Pag. 158. *col.* 2. post Laurentium adde. IV. Theodoretus an. 518.,

Pag. 165. *col.* 2. *lin.* 21. animadveris-- animadversis.

Pag. 168. *col.* 2. *marg.* Salagios -- Salagius.

Pag. 192. *col.* 2. *lin.* 45. Arehidano -- Achridano,

Pag. 196. *col.* 2. *lin.* 39. seriæ -- serie

Pag. 199. *col.* 2. *lin.* 40. Achidensi -- Achridensi.

Pag. 248. *col.* 2. adde. Joannes Comnenus medicus Græcus schismatici ritus edidit an. 1707. Bucaresti enarrationem montis Athos, quem *Sanctum* appellant, in Macedonia Ascetarum eum incolentium frequentia celeberrimi; quod opus in Palæophia Græca Montfauconius evulgavit pag. 433. & ex illo excerpere licuit brevem, sed haud inutilem notitiam Monasterii, titulo Zographi, seu Pictoris distincti, ubi Monachi degunt Serbli & Bulgari, ad quos jure pertinet; hæc autem est, cui nonnullas necessum fuit subjicere notationes.

Venerandum monasterium Zographi sive Pictoris est etiam pulchrum & elegans; opus trium Principum (1) *ab Ochride, fratrum* 1
vero carnalium, genusque ducentium a Justiniano Imp. quorum nomina Moyses, Aaron & Joannes, qui deinde ibi monasticum statum amplexi sunt. Quo tempore autem hoc Monasterium struxerant, Imperator Romanorum erat Leo Sapiens. Denique ipsum etiam incendit obdurato animo (2) *Roma-* 2
nus Papa, quemadmodum & alia multa ejus sancti montis monasteria & templa eo quod ipsum non adorarent. At ipsum restauravit Authentes Moldo-Valachiæ Stephanus Voevondas an. Mundi 7010. *Christi* 1502. *qui etiam depictus est extra Ecclesiam ad rei memoriam.*

Hoc sacrum templum pulcherrimum est, honoratumque nomine S. & magni M. Georgi, plumbo opertum, ac sex tholis fastigiatum, fultum quatuor columnis in Crucis formam cum Choro & lampade multorum luminum. Hujus pictura partim vetus, partim nova. Sacrum altare duabus lapideis columnis fultum valde luminosum est. Habet autem Imagines peritissime elaboratas, maximeque eas, quæ Dominum repræsentant. Turres, cellæ & muri bene structa sunt perinde atque in aliis Monasteriis. Extat item ibi phiala ante Templum perpulchra. Murus ejus in Castri formam structus amplus est, tresque portas habet. Monachi isthic ascetice viventes Servi sunt & Bulgari. Narthex Ecclesiæ magnificentius structus est, quam reliquæ ejus partes.

Illic habentur imagines duæ S. Georgi (3) 3
miraculis claræ. Altera non mortalium manu facta est, sed ab eodem ipso Sancto depicta fuit, qua forma S. Georgius mi-

ra-

Digitized by Google

raculis insignis repræsentat. Erat prius in quodam monasterio S. Georgii in Palæstina. Postea vero, o prodigium! per seipsam sedem mutavit, venitque ad sanctum Montem in monasterium Zographi sive Pictoris, ideoque Zographi vocatum est. Hæc ipsa Imago est, quam narrat Synaxarium per ova frixa miraculum effecisse.

Altera S. Georgii imago suopte motu per mare venit ex Arabia & appulit ad portum Battopedii. Re comperta, Patres aliorum monasteriorum omnes istuc convenerunt, & contendebant, quisnam illa potiturus esset. Demum uno consensu eam agresti mulo imposuerunt, dimiseruntque ut pergeret quo vellet, qui ad monasterium Zographi venit substititque ante portam Ecclesiæ. Exeuntesque Patres cum cereis & suffimentis ingenti pietate & gaudio in Ecclesia reposuerunt; & quo loco stat hodie, constituerunt. Elapso quodam tempore quidam ejusdem monasterii in Arabia Patres in sacrum Montem venerabundi venerunt, & conspecta S. Georgii imagine in monasterio Zographi ex quibusdam notis ipsam agnoverunt, stuporeque perculsi gloriam Deo & Sancto retulerunt; quare genua flectentes eodem in monasterio manserunt, ubi obdormierunt in Domino.

NOTÆ.

1 De hisce Cœnobii Institutoribus quid affirmem nescio, aut quid rejiciam. Suspicor populare hoc esse commentum, quo nobilior loci origo ostendatur, & Moysem & Aaronem Bulgaros e præpotenti Principe Comitopulo satos tum a fratre Samuele Bulgarorum rege interfectos, Basilio Bulgaroctono Imp., ficta hic indui persona, & ad condendum Cœnobium, atque asceticam vitam profitendam ante annos ferme centum, quam nascerentur, evocari. vide pag. 197.

2 Hæc a Comneno dicta, ut odium conflet in Romanos Pontifices, quæ refutare dedignor. Quid vero hic rei cum Pontifice Romano? cum eæ regiones perpetuis ferme bellorum incendiis exarserint.

3 Apud Comnenum fides esto de sacris Georgii imaginibus.



AP-

APPENDIX

DE RESPONSIS NICOLAI I. P.

AD CONSULTA BULGARORUM, ET DE SIMEONE REGE BULGARIÆ.

CUM pag. 178. de Bulgarica ad Nicolaum I. P. legatione scripsissem, consulto omisi hujus ad illius gentis interrogationes dubitationesque responsa, ne historiæ filum abrumperem. Non erant vero illa omnino prætermittenda, quippe quæ utilis cognoscendæ Bulgarorum religioni, quæ Græcanicis superstitionibus & erroribus fuerat infecta. Quare in hanc Appendicem prudentes æque ac doctrinæ & sapientiæ plenas Nicolai responsiones rejeci, de quibus cum Baronio ad annum 866. num. 5. est animadvertendum, revera Bulgaros subdolis operariis Cpoli missis, fervente jam Photiano schismate, fuisse deceptos, qui barbari licet atque rudes, Græcorum fraudes subodorati Romanum Pontificem adire decreverunt, quo *vera & perfecta Christianitate* instruerentur. Notationes autem subjicere hisce responsis longum nimis foret; quæ integram quandoque poscerent tractationem, & facile a perito rerum Ecclesiasticarum viro possunt intelligi.

„ AD consulta vestra non multa respondenda sunt, nec duximus per singula diutius immorari, qui Deo auctore non solum libros divinæ legis, verum etiam & missos nostros idoneos, qui vos prout tempus & ratio dictaverit, de singulis instruant, ad patriam vestram, & ad gloriosum regem vestrum dilectum filium nostrum destinavimus, quibus & libros quos prævidimus necessarios [1] illis nunc esse, commisimus.

[1] Forte, illic.

I.

„ Igitur optime ac laudabiliter in prima quæstionum vestrarum fronte regem vestrum legem Christianam petere perhibetis: quæ si latius explicari tentatur, innumeri scribendi sunt libri: sed ut compendio, in quibus præcipue constet, ostendatur, sciendum est, quia in fide, & bonis operibus lex Christianorum subsistit. (In quibus consistat lex.) Nam fides prima est omnium virtutum in conversatione credentium. Unde & prima die lux esse dicitur, cum a Deo *Fiat lux* dictum fuisse describitur, (Gen. 1.) id est, illuminatio credulitatis appareat. Siquidem & propter hanc (Hebr. 11.) Christus in terram descendit: opus autem bonum nihilo minus a Christiano exigitur, quemadmodum in lege nostra scriptum est: (Jacob. 2.) *Sine fide impossibile est placere Deo*. Sic etiam scriptum est: *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est*. Hæc est lex Christiana, hæc est, quam quisque legitime custodiens omnino salvabitur.

II.

„ Ita diligere debet homo eum qui se (De compatribus.) suscipit ex sacro fonte, sicut patrem, quinimmo quanto præstantior est spiritus carne, quod illud spiritale est patrocinium, & secundum Deum adoptio, tanto magis spiritalis pater in omnibus est a spiritali filio diligendus. Marcus enim evangelista (Hieron. de viris illustr.) Petri discipulus, & ex sacro fuit ejus baptismate filius, quem nisi dilexisset ut patrem, ei non in omnibus obedisset ut filius; nulla vero inter eos & filios eorum consanguinitas est, quoniam spiritus ea, quæ sanguinis sunt, nescit: (Galat. 5.) *Caro enim*, secundum apostolum, *concupiscit adversus spiritum: & spiritus adversus carnem: hæc enim invicem adversantur*. Est tamen alia inter eos gratuita & sancta communio, quæ non est dicenda consanguinitas, sed potius habenda spiritalis proximitas. Unde inter eos non arbitramur esse quodlibet posse conjugale connubium; quando quidem nec inter eos qui natura, & eos qui adoptione filii sunt, venerandæ Romanæ leges matrimonium contrahi permittunt. (Inst. de nupt. §. Ergo non.) Siquidem primus institutionum liber, cum de nuptiis loqueretur, inter cetera: Inter eas, inquit, personas, quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem, vel matrem & filium, vel aviam & nepotem, & usque ad infinitum: & si tales personæ in-

Digitized by Google

inter se coierint, nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicantur, & hæc adeo sunt, ut quamvis per adoptionem parentum, liberorumve loco sibi esse cœperint, non possint inter se matrimonio jungi. Itaque eam, quæ mihi per adoptionem filia, aut neptis esse cœperit, non potero uxorem ducere. (& infra: Si quis per adoptionem soror esse cœperit, quamdiu quidem constat adoptio, sane inter me & eam nuptiæ consistere non possunt.) Si ergo inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit, quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per cæleste sacramentum regeneratio sancti Spiritus vincit? Longe igitur congruentius filius patris mei, vel frater meus appellatur is, quem gratia divina, quam quem humana voluntas, ut filius ejus, vel frater meus esset, elegit; prudentiusque ab alterna corporis commixtione secernimur: quoniam Spiritus Sanctus sua nos caritate coadunavit, quam si vel carnalis necessitudo, vel invicem nos mutabile cujusdam corruptibilis hominis arbitrium copulasset.

III.

De sponsis. „ Consuetudinem, quam Græcos in nuptialibus contuberniis habere dicitis, commemorare, prolixitatem styli vitantes, carptim morem, quem sancta Romana suscepit antiquitus, & hactenus in hujusmodi conjunctionibus tenet ecclesia, vobis monstrare studebimus. Nostrates siquidem tam mares, quam fœminæ, non ligaturam auream, vel argenteam, aut ex quolibet metallo compositam, quando nuptialia fœdera contrahunt, in capitibus deferunt: sed post sponsalia, quæ futurarum sunt nuptiarum promissa fœdera, quæque consensu eorum qui hæc contrahunt, & eorum in quorum potestate sunt, celebrantur, & postquam arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei a se annulo insignitum desponderit, dotemque utrique placitam sponsus ei cum scripto pactum hoc continente coram invitatis ab utraque parte tradiderit, aut mox aut apto tempore, ne videlicet ante tempus lege definitum tale quid fieri præsumatur, ambo ad nuptialia fœdera perducuntur. Et primum quidem in ecclesia domini cum oblationibus quas offerre debent Deo per sacerdotis manum statuuntur, sicque demum benedictionem, & velamen cæleste suscipiunt, ad exemplum videlicet quos dominus primos homines in paradiso collocans benedixit eis dicens: *Crescite & multiplicamini*, &c. Siquidem & Tobias antequam conjugem convenisset, oratione cum ea dominum orasse describitur. Verumtamen velamen illud non suscipit, qui ad secundas nuptias migrat. Post hæc autem de ecclesia egressi coronas in capitibus gestant, quæ semper in ecclesia ipsa sunt solitæ reservari. Et ita festis nuptialibus celebratis, ad ducendam individuam vitam domino disponente de cætero diriguntur. Hæc sunt jura nuptiarum, hæc sunt præter alia quæ nunc ad memoriam a non occurrunt pacta conjugiorum solennia: peccatum autem esse, si hæc cuncta in nuptiali fœdere non interveniant, non dicimus, quemadmodum Græcos vos astruere dicitis, præsertim cum tanta soleat arctare quosdam rerum inopia, ut ad hæc præparanda nullum his suffragetur auxilium; ac per hoc sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui consensus si solus in nuptiis forte defuerit, cetera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur, Joanne Chrysostomo magno doctore testante, qui ait: Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. Jam vero sciscitamini, si muliere propria defuncta possit vir alteram ducere; scitote per omnia posse, Paulo egregio prædicatore consilium dante, qui dicit: *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum est illis, si sic maneant, sicut & ego; quod si se non continent, nubant;* & iterum: *Mulier*, inquit, *alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat: tantum in domino*. Quod enim de muliere sanxit, & de viro intelligendum est, quia e contra sæpe sancta scriptura de viro loquitur; sed & de muliere nihilo minus dicere subintelligitur. Ecce enim dicimus: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*, &c. & iterum: *Beatus vir, qui timet dominum*, ubi non solum virum, sed & fœminam, quæ non abiit in consilio impiorum, & quæ timet dominum beatam esse non immerito credimus.

Gen. 1. Tob. 8.

a Forte, nobis occurrunt.

Hom. 32. in Matth.

1. Cor. 7.

Psal. 1. Psal. 111.

IV.

„ Quot temporibus vel diebus in circuitu sit anni a carnibus abstinendum, nunc vobis qui rudes estis, & in fide quodammodo parvuli, superflue ducimus exponendum, verum interim in diebus jejuniorum, in quibus per abstinentiam & lamentum pœnitentiæ præcipue domino supplicandum est, modis omnibus est a carnibus abstinendum. Quoniam licet omnibus orare & abstinere conveniat, jejuniorum tamen temporibus amplius abstinentiæ inservire oportet, videlicet, ut qui se sciverit illicita perpetrasse, secundum sacra decretalia in his

Digitized by Google

his etiam a licitis se quibusdam abstineat, quadragesimali videlicet tempore, quod est ante pascha, jejunio post pentecostem, jejunio ante solemnitatem assumptionis sanctæ Dei genitricis, & semper virginis dominæ nostræ Mariæ, nec non jejunio ante natalis domini nostri Jesu Christi festivitatem: quæ jejunia sancta Romana suscepit antiquitus & tenet ecclesia. In sexta vero feria omnis hebdomadæ, & in cunctis vigiliis insignium festivitatum a carnium esu cessandum & jejuniis incumbendum, veraciter cum psalmographo dici valeat: *Ad* Psal. 29. *vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*. Si quis vero vestrum aliis voluerit forte diebus a carnibus abstinere, non sunt prohibendi: quoniam quanto quis hic in lacrymis magis seminaverit, tanto amplius in gaudio messurus est in vita æterna. Nos tamen vobis, qui, ut prætulimus, adhuc rudes estis, & lacte tamquam parvuli nutriendi, non grave potuimus jugum donec ad solidum cibum veniatis imponere. Verum sicut hoc interim cavemus, ita ut prohibita non contingatis modis omnibus admonemus: protoplasti quippe solum pomum gustando vetitum de paradisi amœnitate propulsi sunt.

V.

„ Quarta feria quamvis e ceteris diebus præter sextam feriam sit amplius mœroribus operandum, pro eo quod dominus ipso jam die in corde terræ, id est Judæ traditoris, quodammodo sepultus erat, dum hunc ipse morti tradere meditabatur, tamen si vestrum quis eodem die vult, potest omnino carnes comedere, nisi forte sibi aut a sacerdote esset interdictum, quoniam scriptum est: *Melius obedientia, quam* 1. Reg. 15. *sacrificium*; aut ipsam feriam inter dies jejuniorum evenire contigerit: quoniam Jonathas indictum a patre jejunium modicum mellis gustando violans, ad occidendum ab ipso patre quæsitus est, aut certe ipse se voto ipso die carnes non comesturum constrinxerit: quoniam scriptum est: *Vovete,* Psal. 75. *& reddite domino Deo vestro*. Sexta vero feria passionem dominicam, & apostolorum mœstitiam recolentes, ab omnium carnium epulis, & pinguedine gustus noster arcendus est, præter si nativitas domini & epiphaniorum ejus, aut festivitas beatæ Matris Domini & intemeratæ Virginis Mariæ, seu apostolorum principum Petri & Pauli, atque sancti Joannis Baptistæ, seu beati Joannis Evangelistæ, nec non & clavigeri cæli germani, Andreæ scilicet apostoli, quin etiam & beati Stephani protomartyris ipso die fortassis evenire contigerit. Nam quod sancta ecclesia, ut fidelis anima in festivitate eorum jejunia, vel abstinentias, quæ non sunt perpetuo voto propositæ, solvere debeat, dominus testatur in Evangelio, dicens: *Mulier cum pa-* Joan. 16. *rit, tristitiam habet; cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum:* mulierem dicit sanctam ecclesiam. Sicut enim mulier nato in hunc mundum homine lætatur, ita ecclesia in vitam futuram fidelium populo migrante digna exultatione repletur; pro qua ejus nativitate multum laborans & gemens in præsenti quasi parturiens dolet, nec novum debet cuiquam videri, si natus dicitur qui ex hac vita migraverit, quomodo enim usitato more dicitur nasci, quando quis ex utero materno procedens in hanc lucem exit; sic quoque jure natus appellari potest quilibet ab hujus sæculi tenebris ad lumen pertingens viventium; pro qua ergo re apte consuetudine tenetur ecclesiastica, ut solennes beatorum martyrum, vel confessorum Christi dies, quibus de hoc mundo ad regionem migravere vivorum, nuncupentur natales, sed & eorum solennia non funebria tamquam morientium, sed utpote in vera vita nascentium natalitia vocitentur. Ergo si tunc nati sunt utique Deo, cui omnia vivunt, in cujus manu justorum animæ positæ sunt, quando visi sunt oculis insipientium mori, mulier sancta jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum, id est in lucem æternam; quod si de ejus nativitate lætatur, non jejuniis, non abstinentiis, non denique ullis debet ipso vacare die mœroribus. Quamvis in hac valle lacrymarum semper lugendum sit, & donec perveniatur ad illam angelorum festivitatem semper mœroribus insistendum: quoniam etsi hic solennitas agitur, non tamen continua, sed momentanea est, & quæ vix aliquando sine dolore perficitur.

VI.

„ Porro dicitis, quod affirment Græci De superstitionibus. dicentes, quod nullo modo in quarta & sexta feria balneari debeatis, de quo id nos e contra consulentibus respondemus, quod beatus papa Gregorius, & Anglorum gentis apostolus Romanis de dominico die sermone quodam habito prædicasse legitur: Etenim ad me perlatum est, vobis a per- Epist. lib. 11. epist. 3. versis hominibus esse prædicatum, ut dominico die nullus debeat lavari; & quidem si pro luxu animi, atque voluptate quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus: si autem pro necessitate

tate corporis, hoc nec dominico die prohibemus, scriptum quippe est: *Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam*, & rursus scriptum, *Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis*. Qui igitur carnis curam in concupiscentiis fieri prohibet, profecto in necessitatibus concedit. Nam si dominico die corpus lavare peccatum est, lavari ergo die eodem nec facies debet. Si autem hoc in corporis parte conceditur, cur hoc exigente necessitate toto corpori negetur? Itaque quod hic præsul eximius, & suavissimus doctor in dominico die, qui ceteris diebus venerabilior est, concessit: nos quoque in quarta & sexta feria non negamus, hanc videlicet discretionem servantes, ut si quidem pro luxu animi, atque voluptate quis lavari appetat, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedamus; si autem pro necessitate corporis, hoc nec quarta, nec sexta feria prohibeamus.

Ephes. 5. Rom. 13.

VII.

De veneratione reliquiarum.

„ Sciscitamini præterea, si licet crucem domini cum reliquiis mundo sive immundo hanc habenti osculari, vel portare; quod ei qui mundus est, omnino licet; nam in osculo quid niti amor, quo quisque circa ea flagrat, innuitur? in deportatione vero ejus quid nisi mortificatio carnis, vel compassio proximorum exprimitur? si quidem hanc & dominus bajulare præcepit, sed in mente; verum & cum corpore gestatur, ut & mente gestari debeat, facilius admonetur; crux quippe a cruciatu dicitur, & ut præfatus exponit antistes, duobus modis crucem domini bajulamus, cum aut per abstinentiam carnem afficimus, aut per compassionem proximi, necessitatem illius nostram putamus. Igitur crucem domini, passionem ejus venerantes, osculamini; & pro ejus amore, si necessitas exigit, eadem cogitatione armamini: portate eam, sed cum summa reverentia & corpore & corde mundissimo, ita ut a mente vestra nunquam decidat, id est, & per abstinentiam carnem semper afficiatis, & per compassionem necessitatem proximorum vestram putetis. Qui enim dolorem exhibet in aliena necessitate, crucem portat in mente. Immundum autem hanc portare nullo pacto permittimus; scriptum quippe est, *Mundamini qui fertis vasa domini*. Nullum vero domini vas sacratius est cruce dominica, quæ ipsum portare dominum meruit. Osculari autem eam immundo non licet: quoniam eo ipso quod immundus est, ipse testis est, quam mortificationem carnis non diligat; ergo quam non amat nec osculetur, ne forte de eo dicatur quod de reprobis a domino per prophetam increpatorie dicitur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*, & psalmista: *Dilexere*, inquit, *eum in ore suo, & in lingua sua mentiti sunt*. De reliquiis vero sanctorum eadem dicimus, quorum corpora templa & vasa fuere suntque Dei, quibusque ad omnia bona opera tamquam organis sanctus usus est, quando voluit, Spiritus.

S. Gregor. hom. 37. in Lucam.

Isaia 52.

Isaia 29. Matth. 15. Psalm. 77.

VIII.

De eodem.

„ Ergo præmissa digna reverentia, si munditia mentis & corporis comitatur, etiam quadragesimali tempore, de quo speciali consultatione percunctati estis, crucem domini & portare & superiori regula custodita licet cum libuerit osculari, sed & tunc maxime, atque ibi, quando & ubi antiqui hostis vel pugnæ vel insidiæ præcipue formidantur.

IX.

De perceptione corporis & sanguinis Christi.

„ Corpori & sanguini dominico quotidie in quadragesima majori si deberetis communicare consulitis: quod ut fiat, dominum omnipotentem suppliciter exoramus, & vos omnes vehementissime exhortamur, si tamen mens in affectu peccandi non sit, vel si hanc non de criminalibus peccatis conscientia impœnitens, vel non reconciliata fortassis accuset, vel si fratri discordanti quis vestrum suo vitio reconciliatus minus existat. Nam quem de horum aliquo conscientia mordet, gravari tanto munere potius quam remedium consequi quodlibet arbitramur: *Judicium enim sibi*, secundum apostolum, *manducat & bibit*. Verum de hoc, & de his qui ecclesiam quidem intrant, nec tamen facta oblatione communicant, sacri canones forte sufficienter enunciant, qui antistiti vestro sunt, qui Deo vobis auctore per mediocritatem nostram ordinandus est, tribuendi, & ab eo sacerdotibus, qui claves tenent scientiæ, dumtaxat aperiendi, & vobis nihilominus, in quibus opus est & minime prohibetur, insinuandi. Interim tantum quadragesima, quam mos ecclesiæ majorem appellat, omni est die servato superiori tenore communicandum. Quoniam semper est orationi vacandum, & sacrificiis fidelium concurrendum, & illud propheticum, quo dicitur, *In die jejunii vestri invenitur voluntas vestra*, jugiter ad memoriam revocandum. Si enim ex consensu conjugatorum etiam alio forte mundo corpore tempore vacatur orationi, quanto potius isto, quo Deo etiam carnis nostræ decimas damus, quo ipsum in abstinentia dominum imitamur, quo non solum illicita, verum etiam multa

1. Cor. 11.

Consuetudo ecclesiæ Romanæ quotidie communicandi in quadragesima.

Isa. 58.

ta a nobis quoque licita merito resecamus, omni est voluptari renuntiandum? & ut licenter orationi vacetur, castitati mentis & corporis incumbendum?

X.

De diebus quibus ab operibus servilibus est cessandum. S. Gregor. Epist. lib. 11. epist. 5.

„ Nosse cupitis, si liceat sabbato, vel dominico laborationem aliquam exercere. De hoc sæpe memoratus sanctus papa Gregorius Romanos alloquens ait; Pervenit ad me quosdam perversi spiritus homines prava inter vos aliqua, & sanctæ fidei adversa seminasse, ita ut die sabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud nisi antichristi prædicatores dixerim? qui veniens diem sabbatum atque dominicum ab omni faciet opere custodiri: quia enim mori se & resurgere simulat, haberi in veneratione vult diem dominicum; & quia judaizare populum compellit, ut exteriorem legis ritum revocet, & sibi Judæorum perfidiam subdat, coli vult sabbatum. Hoc (Jer. 17.) enim quod per prophetam dicitur; *Ne inferatis onera per portas vestras die sabbati*, (Tit. 3.) tamdiu teneri potuit, quamdiu legem licuit juxta litteram custodiri. At postquam gratia omnipotentis Dei domini nostri Jesu Christi apparuit, præcepta legis, quæ per figuram dicta sunt, juxta litteram servari non possunt. Nam si quis dicit hoc de sabbato esse servandum, dicat necesse est etiam carnalia sacrificia persolvenda; dicat præceptum quoque de circumcisione corporis adhuc usque retinendum. Sed contra se Paulum apostolum (Galat. 5.) audiat dicentem: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest*. Nos itaque quod de sabbato dictum est spiritaliter accepimus, spiritaliter tenemus. Sabbatum enim requies dicitur: verum autem sabbatum ipsum redemptorem nostrum Jesum Christum dominum habemus; & qui lucem fidei ejus cognoscit, si peccatum concupiscentiæ ad mentem per oculos trahit, in die sabbati onera per portas introducit. Non ergo in die sabbati onera per portas introducimus, si in redemptoris nostri gratia constituti pondera peccati ad animam per sensus corporeos non trahamus. Nam idem dominus ac redemptor noster multa in die sabbati legitur operasse, ita ut Judæos reprehenderet dicens: (Luc. 14.) *Quis vestrum bovem, aut asinum suum non solvit in die sabbati, & ducit adaquare?* Si ergo ipsa per se veritas non custodiri juxta litteram sabbatum præcepit, quisquis otium sabbati secundum legis litteram custodit, cui alteri nisi ipsi veritati contradicit? dominico vero die a labore terreno cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum; ut quod negligenter per sex dies agitur, per diem resurrectionis dominicæ precibus expietur.

XI.

De diebus festis.

„ In quorum apostolorum vel martyrum seu confessorum, atque virginum diebus festis a labore terreno recedere debeatis, inquiritis. In solemnitatibus utique beatæ Mariæ virginis, & sanctorum duodecim apostolorum, ac evangelistarum, atque præcursoris domini Joannis, & sancti Stephani primi martyris, nec non & in eorum sanctorum natalitiis, quorum apud vos Deo favente memoria celebris, & dies festivus habebitur. Sane sciendum est, quoniam idcirco in diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad ecclesiam ire, psalmis & hymnis & canticis spiritalibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus. Quæ omnia si quis negligens, orationi tantum vacare 3 voluerit, & ad ceteras mundi (3 Forte; noluerit.) vanitates licitos labores converterit, melius (1. Cor. 4.) illi fuerat ipso die beati apostoli Pauli præceptis obaudiens laborare manibus suis, ut haberet unde tribueret necessitatem patientibus, quemadmodum ipse, qui licet dominum ordinasse dicat, ut qui evangelium annuntiaret, de evangelio viverer, non tamen usus est hac potestate, sed manibus suis laborabat, ne quem eorum quibus evangelium prædicabat gravaret.

XII.

De eo cm.

„ Quod interrogatis, utrum liceat in festivitatibus sanctorum judicium peragi, & utrum eadem die debeat homo, si dignus fuerit, ad mortem judicari? sciendum quoniam in his festivitatibus, in quibus superius ab omni opere mundano cessandum esse monstravimus, multo magis a sæcularibus negotiis, & adhuc a mortibus abstinendum fore decernimus: quoniam quamvis utrumque fortasse sine culpa valeat exerceri, quando tamen his, quæ Dei sunt arctius homo debet hærere, quæ mundi sunt a se convenit penitus resecare: præcipue cum eo die ad militiam divinam accedens homo, implicari non debeat negotiis sæcularibus: (2. Tim. 2.) & ob reverentiam tantæ solemnitatis non oporteat in medium deferri, nisi unde omnibus gaudium, pax & spiritalis lætitia generetur; verum his prælibatis, quibus diebus præter hos nulla sint judicia sæcularia exercenda, lex vos affatim edocebit.

XIII.

Digitized by Google

XIII.

„ Inter quæstiones vero & consulta leges vos mundanas postulare perhibetis, de qua re nos codices quos necessarios vobis ad præsens esse considerare potuissemus, libenti mitteremus animo, si quem penes vos esse comperissemus, qui hos vobis interpretari potuisset: si quos autem de mundana lege libros missis nostris dedimus, cum reversi fuerint, nolumus ibi relinqui, ne forte quislibet eos vobis perverse interpretetur, aut falsitate qualibet violet.

XIV.

De quodam qui finxit se esse presbyterum.

„ Præterea indicatis, quod quidam Græcus mentiens fateretur se presbyterum esse, cum non esset, ac per hoc plurimos in vestra patria baptizasset; cum ergo vos inspiratione Dei cognovissetis, quod non esset presbyter, judicaveritis, ut amitteret aures & nares, & acerrimis verberibus cæderetur, & ex vestra patria pelleretur. Ecce impletum est in vobis, ignoscite nobis, quod de quibusdam apostolus clamat, (Rom. 10.) quod habent zelum Dei, sed non secundum scientiam, nam licet ille male fecerit, si mentitus est, vos tamen in hoc zelum quidem pium, sed minus cautum habuistis: quoniam quamvis ipse se sacerdotem esse simulaverit, simulatio tamen ejus salutem plurimis contulit. Siquidem diversi fuere qui diverso modo Christum, sed non propter Christum annuntiabant: sed sive occasione, sive quomodocumque hunc annuntiarent, [4] hos tantum non prohibebat apostolus, qui solum ut Christus annuntiaretur, plurimum satagebat, quia enim Christus ordinaverat, ut qui evangelio viveret, si multi idcirco Christum prædicabant, ut commoda terrena acquirerent, ergo non erat Christus in causa, sed avaritia; rursus quia multi evangelii prædicatores a fidelibus magnis honoribus efferebantur, nonnulli ideo Christum prædicabant, ut similia & ipsi perciperent: ergo non erat Christus in voto, sed invidia, sed nemo istorum prohibitus est, quominus per hos Christus annuntiaretur, nimirum cum Judas inter ceteros apostolos a domino missus & miracula fecerit, & Christum annuntiaverit, & in nomine ejus multos baptizaverit. Itaque ut sedis apostolicæ præsul scribit Anastasius, (Anast. II. in epistola ad Anastas. imp.) non quæritur quis, vel qualis prædicet, sed quem prædicet.

[4] Forte, hos tamen non.

XV.

De baptizatis ab eo qui finxit se presbyterum.

„ Porro interrogatis, utrum homines illi, qui hoc ab illo baptisma receperunt, Christiani sint, an iterum baptizari debeant. Sed si in nomine summæ ac individuæ Trinitatis baptizati fuere, Christiani profecto sunt, & eos, a quocumque Christiano baptizati sunt, iterato baptizare non convenit; quoniam, ut jam nominatus Anastasius apostolicus pontifex ad coæquivocum suum scribit Augustum; & baptismum, quod procul sit ab ecclesia, sive ab adultero, vel a fure fuerit datum, ad percipientem munus pervenit illibatum; quia vox illa quæ sonuit per columbam, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua declaratur, ac dicitur: *Hic est qui baptizat*. (Joan. 1.) Si igitur quamvis baptismum ab adultero, vel fure datum fuerit, ad percipientem tamen munus pervenit illibatum, quamobrem non illibatum, & sine ulla iteratione subsistat, quod quilibet mundanus homo tribuit, & nescimus qua intentione se presbyterum fingens? & certe Acacius Constantinopolitanus quondam episcopus, se sacerdotem fingebat, cum (In epist. ad Anastas. Imp.) fuerit a Felice Papa Romano damnatus, sed quid jam dictus de eo Præsul Anastasius dicat, audiamus, ait enim inter alia: cum sibi sacerdotis nomen Acacius videlicet vindicaverit condemnatus, in ipsius vertice superbiæ tumor inflictus est, quia non populus, qui ministeriis donum ipsius sitiebat, exclusus est: sed anima sola, quæ peccaverat, justo judicio proprie erat obnoxia, quod itaque numerosa scripturarum testatur instructio, & revera quia secundum famosissimum apostolum *neque qui irrigat*, id est, baptizat, *est aliquid; sed qui incrementum dat Deus*. (1. Cor. 3.) Et ideo malus bona ministrando non aliis, sed sibi detrimenti cumulum ingerit, ac per hoc certum est, quia quos ille Græcus baptizavit, nulla portio læsionis attingit, propter illud: *Hic est qui baptizat*, id est Christus, & iterum: *Deus incrementum dat*, subauditur, & non homo.

XVI.

„ Vos qui sic personam illam judicastis, investigatis, si debeatis hinc pœnitentiam agere, utique denique omne peccatum pœnitentia, quæ non nisi Dei gratia comitante proficit, diluitur. Nam dominus primum Petrum respexit, & tunc Petrus ad (Luc. 22.) lacrymas sese convertit. Peccatum autem vos in illum hominem perpetrasse manifestum est. Primo quidem, quoniam quantum nos comprehendere possumus, nondum clare patuit eumdem hominem non esse

pres-

Digitized by Google

1. Cor. 4. presbyterum, & scriptum est: *Nolite judicare ante tempus:* Secundo, quoniam etsi se finxit esse quod non erat, non tamen fecit quod factum Deo vel fidelibus ejus non placeat: præcipue cum in ea gente, in qua usque ad illud tempus nulla recta fides, nulla vera religio colebatur, sibimet ostium multos lucrandi divinitus videret apertum, & ille forsitan anhelaret plurimos ad tantum donum perducere, in quo se Deum senserat misericorditer adjuvare.
1. Regi 21. Denique si David esse se furiosum finxit, ut suam tantum salutem operari potuisset, quam noxam contraxit, qui tot hominum multitudinem quoquomodo de potestate diaboli, & æternæ perditionis abstraxit? maxime cum se sacerdotem simulaverit, non tamen in baptizando egit quod præter sacerdotem in tam evidenti necessitate agere nullum oportet, presbyterum vero, ut opinamur, idcirco se finxit esse, quoniam jam senserat vobis fuisse suasum, quod baptizandi ministerium non nisi presbyteris tantum esset indultum. Tertio, quoniam etsi in ista simulatione valde fuit culpabilis, in tot hominibus conversis satis extitit laudabilis. Quarto, quia etsi pœna dignus erat, non tamen debuisset modum ultionis excedere, nec in unum hominem tot, & tam crudelia detrimenta congerere: cum dimissis ei naribus, & auribus propriis, sufficeret ad pœnam illi repulsio a patria vestra, quam cum detruncatione membrorum judicantibus vobis expertus est.

XVII.

De his qui contra regem insurrexerant. „ Igitur referentes, qualiter divina clementia Christianam religionem perceperitis, qualiterque populum vestrum baptizari omnem feceritis, qualiter autem illi, postquam baptizati fuere, insurrexerint unanimiter cum magna ferocitate contra vos, dicentes, non bonam vos eis legem tradidisse, volentes etiam vos occidere, & regem alium constituere, & qualiter vos divina cooperante potentia adversus eos præparati, a maximo usque ad modicum superaveritis, & manibus vestris detentos habueritis, qualiterque omnes primates eorum, atque majores cum omni prole sua gladio fuerint interempti; mediocres vero, seu minores nihil mali pertulerint, de his nosse desideratis qui vita privati sunt, utrum ex illis peccatum habeatis, quod utique sine peccato evasum non est; nec sine culpa vestra fieri potuit, ut proles, quæ in consilio parentum non fuit, nec adversus vos arma sustulisse probatur, innocens cum nocentibus trucidaretur. Nam hinc psalmi-
Psal. 25. sta, postquam dixerat: *Non sedi in consilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo: odivi congregationes malignorum, & cum impiis non sedebo:* paulo post deprecans dominum ait: *Ne perdas cum impiis animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam.* Hinc dominus per Eze- Ezech. 18.
chielem prophetam perhibet dicens: *Ut anima patris, ita & anima filii mea est: anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et post pauca de patre dicit: *Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit, & non fecerit simile eis, super montem non comederit, & oculos suos non levaverit ad idola domus Israel, & uxorem proximi sui non violaverit, & virum non contristaverit, pignus non retinuerit, & rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento, a pauperis injuria averterit manum suam, usuram & superabundantiam non acceperit, judicia mea fecerit, in præceptis meis ambulaverit, hic non morietur in iniquitate patris sui, vita vivet, pater ejus quia calumniatus est, & vim fecit fratri, & malum operatus est in medio populi sui, ecce mortuus est in iniquitate sua, & eicitis, Quare non portavit filius iniquitatem patris? Videlicet quia filius & judicium & justitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit, & fecit illa, vita vivet. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii,* Quamvis & de parentibus qui comprehensi sunt, mitius agere debueritis, scilicet ut pro Dei amore, qui eos in manus vestras tradiderat, vitam illis reservaretis, quatenus in oratione dominica Deo prompte dicere valeretis: *Di-* Matth. 6.
mitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; sed etsi illos reservare potuistis, qui bellando interiere, & minime vivere permisistis, nec salvare voluistis, non consulte prorsus egistis; scriptum quippe est: *Judicium erit sine mi-* Jacob. 2.
sericordia illi qui non fecerit misericordiam. Et per supra nominatum prophetam *Numquid*, ait, *voluntatis meæ est mors im-* Ezech. 18.
pii, dicit dominus Deus, & non ut convertatur a viis suis, & vivat? Verum quia zelo Christianæ religionis, & ignorantia potius quam alio vitio deliquistis, pœnitentia subsequente per Christi gratiam indulgentiam de his & misericordiam consequimini.

XVIII.

„ Scire vos velle significatis, quid de De apostatis.
his qui legem Christianam respuunt agere debeatis: in quo notandum est, quoniam omnis homo sicut per alterius culpam, id est,

Digitized by Google

est, Adæ, contraxit unde purgatione per aquam baptismatis egeat; ita cum ad fidem promittendam ad regenerationis occurrit undam, alium eligit quodammodo patrem, spiritualem videlicet, a quo susceptus instruatur, & omni custodia muniatur, & tamquam depositum quoddam rectori ecclesiæ repræsentetur. Præterea qui fidem respuit quam promisit, ab illo a quo susceptus est, & qui fidei ejus interventor extitit, debet per omnia revocari. Jam vero si non audierit eum quem ipse pro se dederat vadem, dicendum est ecclesiæ, a qua majori studio ad ovile proprium ovem reduci convenit quæ erravit; & ut ad viam veritatis, quæ Christus est, redeat, modis omnibus revocari; siquidem ab ea tamquam a matre, tamquam a magistra suadendum est illi quatenus videat: quoniam apostatam spiritum imitatus est, de quo scriptum est, quod in veritate non steterit. Consideret etiam quod Petrus princeps apostolorum clamat: *si enim refugientes*, inquiens, *coinquinationes mundi in cognitione domini nostri, & salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus: melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit enim eis illud proverbii: Canis reversus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti.* Porro si nec ecclesiam audierit, sit omnibus revera sicut ethnicus, id est gentilis, ac per hoc jam merito per potestates exteras tamquam extraneus opprimatur. Denique certum est, quoniam sæpe Deus concitat potestates adversus abnegatores Christi, adversus desertores baptismi: & idcirco nemo miretur, quia Deus concitat, ut ponant cervices, & humiliati redeant ad ecclesiam: quia & Agar cum discessisset a domina sua, occurrit ei angelus, & dixit ei: *Quid est, Agar ancilla Saræ? Revertere ad dominam tuam;* ad hoc ergo qui hujusmodi est affligitur, ut revertatur, atque utinam revertatur, quia cum fratribus hereditatem promissam recipiet: nam nisi moverentur potestates Christianæ adversus hujusmodi, quomodo rationem redderent de imperio suo Deo? quippe cum pertineat hoc ad reges sæculi Christianos, ut temporibus suis pacatam & sine diminutione velint servari matrem suam ecclesiam, unde spiritaliter nati sunt. Siquidem Nabuchodonosor rex, qui statuam suam erexerat, & ad eam adorandam omnes coegerat, laudibus trium puerorum de igne liberatorum commotus dixisse legitur: *Et ego ponam decretum omnibus tribubus & linguis in omni terra; & quicumque dixerit blasphemiam in Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, in interitum erunt, & domus eorum in perditionem.* Si ergo sic sævit rex barbarus, ne blasphemetur Deus Israel, quia potuit tres pueros de igne temporali liberare; quanto potius sævire debent reges Christiani, quia Christus abnegatur & irridetur, a quo non tres pueri tantum, sed & orbis terrarum cum ipsis regibus a perpetuis ignibus liberatur? Nam qui illis mentiri, vel esse infideles convincuntur, aut vix aut numquam ab eis vivere profecto sinuntur: & quomodo non indignentur, & sæviant, quando vident Christum, qui est rex regum, & dominus dominantium, ab hominibus abnegari, illudi, & ei fidem promissam non custodiri? Zelentur itaque zelo Dei, quia seipsos per Christum recolunt liberatos a gehenna magis quam ille qui attendit tres pueros ereptos a flamma.

De studio susceptoris ex baptismo.

Joan. 8.

2. Pet. 2.

Prov. 26. Matth. 18.

Genes. 16.

De officio regis Christiani.

Dan. 3.

XIX.

„ Quid jure de his faciendum sit, qui ad occidendum regem insurrexerint, venerandæ leges, quas scripto mittemus, vos affatim edocebunt. Verumtamen hoc in arbitrio regis manet, qui non semel tantum, sed & septuagies septies debet peccatum dimittere, juxta quod dominus in evangelio sancto Petro mandavit: *Nam cui plus dimittitur, plus diligit;* & quemadmodum evangelium docet, rex decem millia talenta, id est, multa, & immania peccata servo non dimitteret, si ipse conservo suo centum denarios, id est, minora dimittere noluisset.

Matth. 18. Luc. 7. Matth. 18.

XX.

„ Quid de homine libero judicandum sit, qui de patria sua fuga lapsus fuerit, si comprehendatur? nihil utique, nisi quod leges decernunt. Verumtamen multos sanctorum de patria sua exisse, & in alia celebrius veneratos fuisse, sacræ produnt historiæ; sed aliis non existentibus causis ob solum exitum numquam culpabiles judicatos extitisse, ni fallor, inveni, præsertim cum Abrahæ patri nostro divina voce dicatur: *Egredere de terra, & de cognatione tua:* & nonnulli patrum nostrorum exules per plurimos annos in terra non sua habitaverint; alioquin liber non est, si de patria sua quis non audet egredi. Porro si liber est, & jure nullius conditionis nexibus tenetur obstrictus, non fugit, sed exit de patria sua, quemadmodum & Abrahæ, non Fuge, sed Exi de terra tua dicitur; quod quia fecit obediens, nemine judicante pœnam quamlibet 5 protulit.

De his qui ex patria exeunt.

Gen. 12.

5 Forte pertulit.

XXI.

XXI.

De servis fugitivis. „ Si servus a domino fugiens recesserit, si comprehensus fuerit, ignoscendum est ei; alias autem legum scita non transcendantur in eo. Veruntamen semper illud apostoli Pauli præ oculis habeatur salubris admonitionis dicentis: *Domini quod justum est & æquum servis præstate, scientes quoniam & vos dominum habetis in cælo*, & alibi, cum servi ut obedirent dominis carnalibus præcepisset, adjunxit: *Scientes*, inquiens, *quod unusquisque vestrum quodcumque fecerit bonum, hoc consequetur a domino, sive servus, sive liber; & vos domini eadem facite ad illos remittentes minas, scientes quia & vester & eorum dominus in cælis est, & personarum acceptio non est apud dominum*.

Coloss. 4. Ephes. 6.

XXII.

„ Circa hos qui, quando ad pugnam contra hostes proceditis, fugam arripiunt, si non misericorditer præveniat compassio, saltem legum temperetur severitas.

XXXIII.

„ De his quibus jussum est contra hostes progredi, & jussioni parere contemnunt, eadem suademus.

XXIV.

De parricidis. „ Quid parricida, id est, qui patrem vel matrem occidit, vel etiam qui fratrem, aut sororem interficit, pati debeat, leges indicant; porro si ad ecclesiam confugerit, id quod episcopus loci, vel sacerdos, qui ab illo constitutus est, providerit, agendum decernimus.

XXV.

De custodibus finium. „ Consuetudinis esse patriæ vestræ perhibetis, semper custodes inter patriam vestram, & aliorum juxta terminos invigilare: & si servus, aut liber per eamdem custodiam quocumque modo fugerit, sine omni intermissione custodes pro ea interimuntur, deinde percontamini, quid nos inde judicemus; & de hoc in legibus est requirendum. Verumtamen absit a mentibus vestris, ut tam impie jam judicetis, qui tam pium Deum & dominum agnovistis: præsertim cum magis oporteat, ut sicut hactenus ad mortem facile quosque pertraxistis, ita deinceps non ad mortem, sed ad vitam quos potestis nihilominus perducatis. Ita ut quemadmodum beatus apostolus Paulus prius persecutor, & contumeliosus, & spirans minarum & cædis in discipulos domini, posteaquam misericordiam consecutus est, divina revelatione conversus, non solum minime cuilibet mortis pœnam intulit, verum etiam anathema esse optabat pro fratribus, & libentissime impendere, & superimpendi paratus erat pro animabus fidelium: ita & vos postquam electione Dei vocati, & lumine ipsius illuminati estis, non jam sicut prius mortibus inhiare, sed omnes ad vitam tam corporis, quam animæ debetis omni occasione inventa proculdubio revocare, & sicut vos Christus de morte perenni, qua detinebamini, ad vitam æternam reduxit, ita ipsi non solum innoxios quosque, verum etiam & noxios a mortis exitio satagite cunctos eruere, secundum illud sapientissimi Salomonis: *Erue eos qui ducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses*.

Act. 9. Rom. 9. 2. Cor. 12. Prov. 24.

XXVI.

De his qui consanguineos occidunt. „ De his qui proximum, id est, consanguineum suum, ut est frater, consobrinus, aut nepos, trucidaverint, venerandæ leges proprium robur obtinesnt. Sed si ad ecclesiam convolaverint, mortis quidem legibus eruantur: pœnitentiæ vero, quam antistes loci, vel presbyter consideraverit, absque dubio submittantur: *Nolo*, inquit dominus, *mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat*.

Ezech. 18.

XXVII.

De homicidiis. „ De his qui socium suum morti tradiderint, id ipsum quod supra decernimus.

XXVIII.

De adulteris. „ De his qui ad uxorem alterius comprehensi fuerint, quid judicandum sit, lectis legibus reperietis. Jam vero si ad ecclesiam adulter confugerit, judicandum ab episcopo fore decernimus, quod sacros constat diffinisse canones, vel sanctos apostolicæ sedis præsules clarum est statuisse.

XXIX.

De incestuosis. „ Similiter & de eo censemus, qui ad proximam sanguinis sui ingreditur, verum hujus tanti piaculi lepram melius ad sacerdotis considerationem, & judicium profecto dirigimus.

XXX.

„ De eo qui nolens hominem interfecerit, id statuimus, quod sacræ regulæ statuunt,

tuunt, quas episcopum vestrum apud se penes vos positum præ manibus oportet semper habere.

XXXI.

De furibus. „ Circa fures animalium si non misericordia, saltem legum edicta serventur.

XXXII.

„ Similiter de his qui virum aut feminam rapuerint, permittimus.

XXXIII.

De cruce in signo militari ferenda. „ Quando prælium inire soliti eratis, indicatis vos hactenus in signo militari caudam equi portasse, & sciscitamini, quid nunc vice illius portare debeatis; quid aliud utique, nisi signum sanctæ crucis? Ipsum est enim quo Moyses mare divisit, & Amalec interfecit, quo Gedeon Madianitas superavit; & Christus dominus noster diabolum, qui habebat mortis imperium, non solum superavit, sed & prostravit; ipsum est signum quod portamus in frontibus nostris: ipso a cunctis defendimur hostibus, & ab omnibus munimur incursionibus. Hoc est signum fidei, & ingens horror diaboli, quo Christiani principes in necessitatibus suis semper utuntur, & reges veram religionem sectantes sæpe celebres Christo propitio triumphos de hostibus operantur. Sed ut manifestius sciatis, quid pro illa equina cauda in signum debeatis militare convenientius, cum in apparatum belli proceditis, portare; pauca de Constantini actibus memoranda ducimus, qui piissimus Romanorum extitit imperator, & Christianitatis famosissimus omnium propagator. Ille quippe cum adversus Maxentium urbis Romæ tyrannum exercitum duceret, erat quidem jam tunc Christianæ religionis fautor, nondum tamen, ut est solenne nostris initiari, signum dominicæ passionis acceperat. Cum igitur multa secum de instantis prælii necessitate pervolvens iter ageret, utique ad cælum sæpius † elevaret, & inde sibi divinum precaretur auxilium, vidit per soporem ad orientis partem in cælo signum crucis igneo fulgore rutilare; cumque tanto visu fuisset exterritus, ac novo perturbaretur aspectu, astare sibi vidit angelos dicentes: Constantine in hoc vince, tum vero lætus redditus, & de victoria jam securus, signum crucis, quod in cælo viderat, in sua fronte designat, & hoc in militaria vexilla transformat, ac labarum, quem dicunt, in speciem dominicæ crucis exaptat; & ita armis, & vexillis religionis instructus adversus impiorum arma proficiscitur, & sine cruore Romani populi, ut ipse Deum precabatur, Maxentio in flumen demerso, de tyranno mirifice triumphavit.

Exod. 4. Judic. 7.

† for. deest oculos. De signo crucis quod vidit Constantinus per soporem.

XXXIV.

De diebus in quibus non est præliandum. „ Præterea consulitis, si debeatis, quando nuntius venerit ut ad præliandum pergatur, mox proficisci: an sit aliqua dies, in qua non oporteat ad præliandum exire? De dierum observatione. in quo respondemus. Non est ulla dies in quibuscumque negotiis incipiendis, vel exercendis penitus observanda, præter (si nimia non urgeat necessitas) supra memoratos dies celeberrimos, & omnibus venerabiles Christianis; non quo vel in his tale quid fieri prohibeatur, cum non sit in diebus spes nostra ponenda, nec a diebus, sed a Deo solo vivo & vero salus omnis penitus expectanda: sed quo, si inevitabilis necessitas non est, vacandum est in his solito studiosius orationi, & tantæ festivitatis mysteria frequentanda; nam cum Hebræi quondam sabbatum observantes noluissent contra hostes suos die sabbatorum arma sustollere, & Deus omnipotens quod in se tantum, & non in observantia dierum spes esset & fortitudo locanda, voluisset ostendere, occisi sunt ex iis mille viri, ita ut superstites pœnitentia ducti invicem dicerent: *si omnes fecerimus sicut fratres nostri fecere, & non pugnaverimus adversus gentes pro animabus nostris, & justificationibus nostris, citius disperdent nos a terra.* 1. Mach. 2.

XXXV.

De superstitionibus. „ Refertis quod soliti fueritis, quando in prælium progrediebamini, dies & horas observare, & incantationes, & joca, & carmina, & nonnulla auguria exercere; & instrui desideratis, quid nunc vobis agendum sit: de quo nos necessario vos instrueremus, nisi super hoc vos divinitus instructos contueremur: super divinum enim fundamentum nos ædificare quidquam non possumus. Igitur cum in prælium proficisci disponitis, quod ipsi commemorastis, De vera præparatione ad bellum. agere in Dei nomine non omittere, id est, ad ecclesias ire, orationes peragere, peccantibus indulgere, missarum solemniis interesse, oblationes offerre, confessionem delictorum sacerdotibus facere, reconciliationem & communionem percipere, carceres aperire, vincula dissolvere, & servos & præcipue confractos & debiles, atque captivos libertati donare, ac indigentibus eelemosynas erogare: quatenus impleatur quod

Coloss. 3. quod apostolus admonet dicens: *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere omnia in nomine domini Jesu*. Nam illa, quæ commemorastis, id est, diei & horæ observationes, incantationes, joca, & iniqua carmina, atque auguria, pompæ ac operationes diaboli sunt, quibus Deo gratias, jam in baptismate abrenuntiastis, & hæc cum vetere homine & actibus ejus quando novum induistis, omnino deposuistis.

XXXVI.

» Si die dominico vel ceteris festis diebus, quando necessitas urget, liceat ambulare, vel ad bellandum procedere? ex trigesimo quarto capitulo harum responsionum nostrarum potestis advertere.

XXXVII.

» Libros quos vobis ad præsens necessarios esse consideramus, sicut poscitis, animo gratanti concedimus & plures Deo largiente præstare desideramus.

XXXVIII.

De precibus in bello non omittendis. » Dicitis quod quando in castris estis, orationem perfectam, & congruam facere nequeatis, ac per hoc exponi cupitis quid agere debeatis, unde nos contra suademus, ut quanto plus hostes sæviunt, & necessitas vel tribulatio incumbit, tanto instantius orationi operam detis. Nam patres nostri plus orando, quam pugnando victores fuere, & voti compotes plus precibus, quam præliis extiterunt. Denique Moyses orabat, & Josue pugnabat, sed plus ille vincebat orando, quam iste pugnando, aptius ergo ab armis, quam ab oratione vacandum est.

XXXIX.

De impedimento affinitatis & consanguinitatis. » De consanguinitate generationum exquiritis, ut quibus utique feminis jungi debeatis, liquide cognoscatis, verum quod leges hinc sanciunt jam meminimus, & denuo memorare summatim operæ precium ducimus, ajunt enim: ergo non omnes nobis uxores ducere licet: nam quarumdam nuptiis abstinere debemus, inter eas enim personas quæ parentum, liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem & filiam; vel avum & neptem, matrem & filium, aviam & nepotem, & usque ad infinitum. inter eas quoque personas quæ ex transverso gradu cognationis junguntur, est quædam similis observatio, sed non tanta. Sacri vero canones, & præcipue Zachariæ summi præsulis decreta quid hinc promulgent, episcopo vestro vobis explorandum relinquimus.

XL.

» Consuetudinem patriæ vestræ perhibetis inesse, ut priusquam ad pugnam progrediamini, mittatur a dominatione vestra fidelissimus & prudentissimus vir, qui cuncta arma & caballos, & quæ necessaria pugnæ existunt, consideret; & apud quem inutiliter præparata inventa fuerint, capite puniatur; nunc autem nosse cupitis, quid nos hinc fieri decernamus. Sed hæc nos cuncta vobis ad spiritalis apparatus armaturam convertere suademus, & tantæ severitatis rigorem ad pietatis exercitium inclinare monemus; ita ut sicut hactenus illa præparatio armorum & equorum diligenter inquirebatur, utrum bene apta esset contra visibiles hostes; ita nunc studiose investigetur, ut arma spiritalia, id est, bona opera singuli præparata possideant adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus, porro equus animus intelligitur, quia nimirum sicut homo portatur equo, sic & regitur animo, optime ergo, qui arma contra hostes præparata non habet, perit; quia ut scriptum est, *Maledictus vir qui facit opus Dei negligenter*. De equo vero, qui imparatus est animo, bene per psalmistam dicitur: *Falsus equus ad salutem, in abundantia autem virtutis ejus non erit salvus*. Nisi enim falsus esset, imparatus non esset, equo contra de præparato dicitur: *Equus paratur ad diem belli, dominus autem salutem tribuit*. Sic itaque quod hactenus carnaliter observastis, & arma quæ forsitan ab inopibus hæc præparare non valentibus crudeliter exegistis, jam nunc spiritaliter veneramini; & hæc magnos & parvos præparare pie & indesinenter hortamini.

De his, quæ ad bellum præparati non sunt.

Ephes. 6.

Jerem. 48.

Psal. 32.

Prov. 21.

XLI.

» De iis autem qui Christianitatis bonum suscipere renuunt, & idolis immolant, vel genua curvant, nihil aliud scribere possumus vobis, nisi ut eos ad fidem rectam moniiis, exhortationibus, & ratione illos potius quam vi, quod vane sapiant, convincatis, opera manuum suarum, & insensibilia elementa, cum sit homines intellectu habiles, adorantes, immo dæmoniis suam cervicem flectentes & immolantes. Nam, ut apostolus docet: *Scimus quoniam nihil est idolum, sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant*, Jam vero si vos non audierint, cum eis nec cibum

De infidelibus vi ad fidem non cogendis, & de eorum communione vitanda.

Digitized by Google

bum sumere, nec ullam penitus communionem habere: sed eos tamquam alienos, atque pollutos a vestris obsequiis & familiaritate removere debetis, ut tali forte confusione compuncti convertantur inspirante Deo ad ipsum qui est verus & non falsus Deus, creator & non creatus, non factus, sed factor omnium: nam ut dominus præcipit, de domo illius qui non credit,
Matth. 10. non solum cibum, verum etiam nec pulverem in pedibus debet educere Christianus in tantum ut discipuli nescientes quod acciderat, moleste tulerint, quod Petrus princeps eorum ad Cornelium ingressus fuerat, quem ipse Deo præcipiente primum ex gentibus fecerat Christianum; nulla igitur cum his qui non credunt, idolaque adorant, miscenda communio est. Porro illis violentia, ut credant, nullatenus inferenda est. Nam omne quod ex voto non est, bonum esse non potest; scriptum est enim:
Psal. 53. Psal. 118. Psal. 27. *Voluntarie sacrificabo tibi*, & rursus: *Voluntaria*, inquit, *oris mei beneplacita fac domine*, & iterum: *Et ex voluntate mea confitebor illi*, ultronea quippe Deus obsequia, & exhiberi tantum ab ultroneis præcipit: nam si vim inferre voluisset, nullus omnipotentiæ illius resistere potuisset. Jam vero si quæritis, quid de hujusmodi perfidis judicandum sit, apostolum Paulum audite, qui cum Corinthiis scriberet, ait:
1. Cor. 5. *Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare? nonne de his qui intus sunt vos judicatis? nam eos qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis*; ac si diceret: De his qui extra religionem nostram sunt nihil ego judico, sed eos Dei judicio reservo, qui judicaturus est omnem carnem. Verumtamen auferte malum ex vobisipsis, ne videlicet vobiscum morans ut cancer serpat: aut certe dum a fidelibus sibi communicari conspicit, suæ quoque vanitati communicari putet: ac per hoc veraciorem & sanctiorem suam sectam, quam nostram existimet religionem. Propter conscientiam ergo magnopere idola colentium cavenda est omnino communio: nam qui idololatris communicat, ipsis idolis immo dæmoniis communicare videtur: *Omnes enim dii gentium dæ-*
Psal. 95. 1. Cor. 10. *monia*, & apostolus dicens; *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo*; adjecit: *Nolo*, inquit, *vos socios fieri dæmoniorum*.

XLII.

De consuetudine edendi apud regem. » Asseritis quod rex vester cum ad manducandum in sedili, sicut mos est, ad mensam sederit, nemo ad convescendum etiam, neque uxor ejus cum eo discumbat, vobis procul in sellis residentibus, & in terra manducantibus; & idcirco quid vobis hinc præcipiamus, nosse desideretis. Unde nos quia non contra fidem quod agitur est; licet bonos mores satis impugnet, non tam præcipientes, quam suadentes hortamur, ut ad Christianæ religionis cultores principes attendatis, & humilitatis eorum considerantes fastigium, deponatis ex vobis omne ad nihil utile supercilium: legerunt enim illi in evangelio dicente domino: *Discite a me quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris*. Matth. 11. Nam antiqui reges, quorum multi sanctorum consortium meruere, ac ideo veraciter reges dicti sunt, quoniam sancti reperti sunt, cum amicis, quinimmo cum servis suis convivati fuisse memorantur; quin potius ipse rex regum, & dominus dominantium redemptor noster, non solum cum servis & amicis suis, apostolis scilicet recubuisse, verum etiam cum publicanis & peccatoribus & recubuisse, & manducasse describitur.

XLIII.

» Quæ animalia, seu volatilia liceat manducare, quantum existimo dominus evidenter ostendit, cum post diluvium animalia cuncta Noe tribuit & filiis ejus edenda, dicens: *Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, & omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum quasi olera virentia*, & demonstratis cælitus beato Petro in illo disco, quamvis hoc altius intelligendum sit, cunctis animantibus, dicitur; *Macta, & manduca*. Itaque omne animal, cujus cibus minime corporis nocivus esse probatur, & societas hoc in cibum admittit humana, comedi non prohibetur: nam ideo, ut sanctus & facundissimus doctor scribit Augustinus, morticinum ad escam usus hominum non admisit, eo quod non occisorum sed mortuorum animalium morbida caro est, nec apta ad salutem corporis, cujus causa sumimus alimentum. Porro eorum opinionem, qui quidpiam in cibis immundum esse perhibent, per se dominus destruit dicens: *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*, & apostolo Petro divinitus dicitur: *Quod Deus sanctificavit, tu commune, (vel immundum) ne dixeris*, & coapostolus ejus Paulus scribens: *Omnia*, inquit, *munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum*. Verumtamen ne forte quilibet ex veteri vobis testamento quædam prohibita velint animalia demonstrare, atque ab eorum vobis edulio coercere; notandum est, inter illa

De animalibus mundis & immundis. Gen. 9. Act. 10. Matth. 15. Act. 10. Tit. 1.

quæ prohibita sunt, etiam porcum connumerari; de qua re præfatus sanctus Augustinus de ceteris interim tacens, scribens etiam hujus animalis meminit dicens: Testamento veteri, ubi quidam cibi carnium prohibentur, cur non sit contraria ista sententia, qua dicit apostolus: *Omnia munda mundis, & omnis creatura Dei bona est*, si possunt, intelligant hoc apostolum de ipsis dixisse naturis; illis autem litteras propter quasdam præfigurationes tempori congruentes animalia quædam non natura, sed significatione immunda dixisse. Itaque verbi gratia, si de porco & agno requiratur, utrumque natura mundum est; quia *omnis creatura Dei bona est:* quadam vero significatione agnus mundus, porcus immundus est; tamquam si stultum & sapientem diceres: utrumque hoc verbum natura vocis, & litterarum, & syllabarum quibus constat, utique mundum est; significatione autem unum horum verbum, quod dicitur stultum, immundum dici potest, non natura sui, sed quoniam quiddam immundum significat: & fortasse quod est in rerum figuris porcus, hoc est in genere stultus; & tam illud animal, quam istæ duæ syllabæ, quod dicitur stultum, quiddam unum idemque significat: immundum quippe illud animal in lege positum est, eo quod non ruminet; non autem hoc ejus vitium, sed natura est. Sunt autem homines, qui per hoc animal significantur, immundi proprio vitio, non natura; qui cum libenter audiant verba sapientiæ, postea de his omnino non cogitant; quod enim utile audieris, velut intestino memoriæ tamquam ad os cogitationis, recordandi dulcedine volvere; quid est aliud, quam spiritaliter quodammodo ruminare? quod qui non faciunt, illorum animalium genere figurantur. Unde & ipsa a talibus carnibus abstinentia, tale vitium nos cavere præmonuit: Cum enim de hac munditia ruminandi alio loco ita scriptum est: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, vir autem stultus glutit illum*. Has autem similitudines rerum in locutionibus & observationibus figuratis propter quærendi & comparandi exercitationem rationales mentes utiliter & suaviter noverint: sed priori populo multa talia non tantum audienda, verum etiam observanda præcepta sunt. Tempus enim erat, quo non tantum dictis, sed etiam factis prophetari oporteret, & ea quæ posteriori tempore fuerant revelanda, quibus per Christum, atque in Christo revelatis, fidei gentium onera observationum non sunt imposita, prophetiæ tamen auctoritas commendata.

[Margin: 1. Tim. 4.] [Margin: Ibidem.] [Margin: Quid sit spiritaliter ruminare.] [Margin: Prov. 21.]

XLIV.

» Nulla ratio sit in quadragesimali tempore venationibus uti: venantes enim nihil præter carnes captant, ut ergo nihil carnale sectari videamini, decenter a carnibus captandis in quadragesimali præcipue tempore vobis est abstinendum, quanto enim jejunii tempore arctius est divinis cultibus insistendum, tanto est in cunctis mundi nocivis oblectamentis longius recedendum; præsertim cum neminem nisi reproborum venationes exercuisse sacra designet historia.

[Margin: De non venando in quadragesima.]

XLV.

» A nobis scire cupitis si in quadragesimali tempore judicia sint exercenda, & ad mortem aliquis addicendus, in quo nos noveritis eadem de quadragesimali tempore super hac respondere consultatione, quæ diebus festis nos duodecimo harum responsionum nostrarum capitulo jam respondisse dignoscimur.

XLVI.

» Jam vero si quadragesimali tempore liceat, si necessitas exigit, vel si non exigit ulla necessitas, ad bella procedere, non vobis est necessarium exponendum, cum ex priorum propositionum solutionibus quid vos conveniat agere, etiam nobis tacentibus, jam ipsi colligitis. Bellorum quippe ac præliorum certamina, nec non omnium jurgiorum initia diabolicæ fraude sunt artis profecto reperta, & dilatandi regni cupidus, vel iræ, vel invidiæ, vel alius cujuspiam vitii dilector tantum his intendere, seu delectari convincitur. Et ideo, si nulla urgeat necessitas, non solum quadragesimali tempore, sed omni est præliis abstinendum. Si autem inevitabilis urget opportunitas, nec quadragesimali est tempore pro defensione tam sua, quam patriæ, seu legum paternarum, bellorum procul dubio præparationi parcendum; ne videlicet Deum videatur homo tentare, si habet quod faciat, & suæ ac aliorum saluti consulere non procurat, & sanctæ religionis detrimenta non præcavet. Porro muri Jericho filiis Israel, qui sabbatum jam observandum susceperant, etiam sabbato urbem circumeuntibus & tubis clangentibus ad terram protracti sunt.

[Margin: De bello tempore quadragesimæ.] [Margin: Jos. 6.]

XLVII.

» Consulitis si liceat in quadragesimali tempore jocis vacare; quod non solum in quadragesimali, verum etiam in nullo tempore licitum est Christianis; sed quia vobis,

[Margin: De jocis in quadragesima interdictis.]

Digitized by Google

bis, qui in montem nondum ascendere tamquam infirmi potestis, ut inde sublimia mandata Dei percipiatis, sed in campestribus, quemadmodum filii quondam Israel positi estis, ut saltem ibi plana, & minora quæque præcepta sumatis, necdum possumus suadere, ut omni tempore jocis abstineatis; & quadragesima, ac jejunii tempore, quando peramplius & instantius orationi & abstinentiæ, & omnimodæ pœnitentiæ sicut longe superius exposuimus, vacare debetis, non solum jocis, verum etiam ab omni vaniloquio, & scurrilitate, quæ ad rem non pertinent, atque ab ipso otioso verbo, ut in evangelio dominus dicit: *Quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem:* si de otioso, quanto magis de noxio & criminoso? nulla ergo vos voluptatum, & jocorum, & maxime in tempore jejuniorum vanitas seducere valeat; non enim lamenta cum jocis conveniunt, & fallax, ac deceptrix lætitia veraces lacrymas producere nescit in proximo; præterea est judex, qui dixit: *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis*, hinc Salomon ait: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat*, hinc iterum dicit: *Risum reputavi errorem, & gaudio dixi: Quid frustra deciperis?* Hinc rursus ait: *Cor sapientium, ubi tristitia est; & cor stultorum, ubi lætitia:* gratum namque Deo sacrificium est afflictio contra peccatum, Psalmista testante, qui ait: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.*

Matth. 12. Luc. 6. Prov. 14. Eccl. 2. Ibidem. Psal. 50.

XLVIII.

Nuptiæ in quadragesima fieri prohibentur.

» Unde nec uxorem ducere, nec convivia facere in quadragesimali tempore convenire posse nullatenus arbitramur. Iterum quid hinc sacri canones dicant episcopo vestro docente scietis.

XLIX.

De dote.

» Præterea sciscitamini, si licet exhibere vobis quemadmodum prius in dotem conjugibus vestris aurum, argentum, boves, equos, *&c.* quod quia nullum peccatum est & leges hoc connivent, & nos ut fiat minime prohibemus; & non solum hoc, verum etiam quidquid ante baptismum egistis, & nunc quoque vobis agere profecto conceditur. " Nam piscatorem Petrum, Matthæum vero teloniarium scimus, & post conversionem suam Petrus ad piscationem rediit, Matthæus vero ad telonii negotium non resedit, quia & aliud est victum per piscationem quærere; aliud telonii lucris pecunias augere. Sunt enim pleraque negotia, quæ sine peccato exhiberi aut vix, aut nullatenus possunt; ad illa ergo tantum, quæ ad peccatum implicant, necesse est ut post conversionem animus non recurrat: quod vero quisque ante conversionem sine peccato exercuit, hoc eum post conversionem repetere non est culpa.

" S. Gregorius hom. 24. in evangelia.

L.

De abstinentia conjugatorum in quadragesima.

» Quid de eo, qui de quadragesimali tempore cum uxore sua coierit, sit judicandum, episcopi vestri, & sacerdotis, qui ab eo constituetur, arbitrio considerandum, ac diffiniendum committimus, qui singulorum mores agnoscere poterunt; & uniuscujusque vestrum causas libratis personis, ac temporibus discernere, seu moderari debebunt. Porro cum ea eodem tempore sine aliqua contaminatione dormire omnino liceret, si ignis, & palea sine læsione communionem aliquam habuissent, vel si diabolicæ fraudis astutiæ nescirentur; nam ubi masculus cum fœmina pariter conversantur, difficile est insidias hostis antiqui deesse, quæ nimirum non defuere, ubi solitaria fratris & sororis, Amnonis scilicet & Thamar, extitit parvissimo spatio commoratio. 2. Reg. 13.

LI.

De polygamia.

» Si liceat uno tempore habere duas uxores exquiritis, quod si non licet, scire cupitis, apud quem inventum fuerit, quid exinde facere debeatis. Duas tempore uno habere uxores, nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit. Nam Deus, qui fecit hominem, ab initio masculum unum fecit & unam fœminam tantum, cui potuit utique si vellet duas uxores tribuere, sed noluit, scriptum quippe est: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ*, non dixit, uxoribus, & iterum: *Erunt duo in carne una*, masculus scilicet & fœmina in carne una, & non tres aut plures. Itaque apud quem uno tempore duæ uxores inveniuntur, interim priori retenta posteriorem cogatur amittere: insuper & pœnitentiam quam loci sacerdos 6 præviderit, compellatur suscipere. Denique hoc tam immane scelus est, ut homicidii quidem peccatum, quod Cain in Abel fratrem suum commisit, septima generatione cataclysmo vindicatum fuerit; adulterii autem flagitium, quod Lamech omnium primus in duabus uxoribus perpetravit, non nisi sanguine Christi abolitum extiterit, qui septima & septuagesima generatione secundum evangelium luxerit in mundum.

Gen. 2. Gen. 2. Ibidem. 6 præcepere. Ut cap. 78. consideravit. Gen. 4.

LII.

Digitized by Google

LII.

» Si nosse desideratis quid de his qui quemlibet eunuchizant judicandum sit, paginas legum revolvite.

LIII.

De benedictione mensæ.

» Consulitis si licet super mensam, in qua sacerdos, aut diaconus deest, vexillum sanctæ crucis imprimere & comedere: quod procul dubio licet, nam omnibus datum est, ut & omnia nostra hoc signo debeamus ab insidiis munire diaboli, & ab ejus omnibus impugnationibus in Christi nomine triumphare: superest tantum, ut cum potior adest, inferior hoc sibi nisi jussus non audeat arrogare: quoniam *non est discipulus super magistrum*, & iterum præcipit apostolus dicens: *Honore invicem prævenientes*.

Matth. 10 Rom. 12.

LIV.

De humilitate quam postulat oratio.

» Dicitis quod Græci fateantur quod in ecclesia qui non constrictis ad pectus manibus steterit, maximum habeat peccatum: hoc ut fieret præceptum fuisse nusquam, ni fallimur, invenitur, ac per hoc, nisi fiat, peccatum non est: nam quidam faciunt hoc, quidam illud, nunc isti hoc genus humilitatis, nunc illud ostentant: nisi forte qui pertinaciter recuset facere, quod omnes viderit facientes. Verum & hæc, & multa in diversis locis alia humilitatis indicio fiunt, & hoc, cum fit, non nisi humilitatis gratia fit, & revera scriptum est: *Oratio humiliantium se nubes penetrabit*. proinde sive hoc, sive aliud quid humilitatis excogitare potest homo, non est reprehendendus, quia secundum evangelium, *qui se humiliat, exaltabitur*. Si enim quis ante principem mortalem veniens cum omni reverentia & timore stat, loquitur, & incedit, quanto potius eum qui ante Deum, qui est æternus, terribilis, & excelsus, accesserit, cum omni pavore ac tremore non solum stare convenit, sed & quasi servum semetipsum in conspectu ejus humiliter præsentare, & quia quorumdam in evangelio reproborum ligari manus, & pedes præcipiuntur, quid aliud isti agunt qui manus suas coram domino ligant, nisi Deo quodammodo dicunt, domine ne manus meas ligari præcipias, ut mittar in tenebras exteriores: quoniam jam ego eas ligavi, & ecce ad flagella paratus sum. Hinc etiam pectus percutimus signantes videlicet, quod nequiter egimus, displicere nobis, ac ideo antequam Deus feriat, id nos in nobis ipsis ferire, & antequam ultio extrema veniat, commissum pœnitentia digna punire.

Eccles. 15. Luc. 18. Matth. 22.

Quid in ecclesia Græcorum, manus ad pectus constringere significet.

Quid in nostra pectus percutere.

LV.

» Jam vero quod asseritis, Græcos vos prohibere communionem suscipere sine cingulis, quibus sacræ scripturæ testimoniis hoc prohibere jure probentur, nos penitus ignoramus, nisi forte illo quo dominus præcipit dicens: *Sint lumbi vestri præcincti*. Verum hoc sancti evangelii testimonium non per litteram, sed per spiritum oportet impleri. Nam si ad hoc istud præceptum est ut taliter servaretur, cur non fiunt pariter quæ sequuntur, ut *lucernæ ardentes?* & sicut agnum comedentibus jubetur, ut baculum in manibus teneant? habent suum ista mysterium, & intelligentibus ita clara sunt, ut ea magis, qua decet, significatione serventur. Nam in lumborum præcinctione castitas, in baculo regimen pastorale, in lucernis ardentibus bonorum splendor operum, de quibus dicitur: *Sic opera vestra luceant*, indicatur. Rudes ergo fidelium mentes, ut sanctus & egregius propugnator ecclesiæ Papa Calestinus scribit, cujus hæc summatim verba mutuati sumus, ad talia non debemus inducere, docendi enim sunt potius, quam illudendi, nec imponenda eorum oculis, sed mentibus infundenda præcepta sunt.

Luc. 12. Exod. 12. Matth. 5. In epist. 5.

LVI.

De oratione & jejunio.

» Nosse vos velle asseveratis, si liceat omnibus vestris præcipue tempore siccitatis, ad pluviam postulandam jejunium & orationem facere; vobis quidem hoc agere licet: quoniam jejunium & oratio magnæ 7 virtutes sunt, & ad has jugiter faciendas vestra multum valet hortatio; sed congruentius est si hæc per episcoporum dispositionem fiant: ipsi namque sunt qui ligandi, solvendique potestatem accipiunt, ad horum vocem populi Dei castra moventur, & requiescunt; sine his tamquam sine capite fore videmini, & quasi oves errantes, & non habentes pastorem inceditis. Siquidem in talibus prisco tempore, quod nunc quoque sancta tenet ecclesia, sacerdotum præcedebat institutio, & omnis penitus ordinatio, & tunc reliquæ plebis subsequebatur assensus, ac per hoc ordine debito custodito, & unanimitate servata Deo largiente voti præstabatur effectus.

7 Forte, virtutis.

LVII.

De superstitionibus.

» Græcos vetare perhibetis eunuchos animalia vestra mactare, ita ut eum qui ex ani-

Digitized by Google

animalibus ab illis occisis comederit, grave commisisse peccatum affirment. Sed nobis valde absonum est, & adhuc frivolum sonat, quod dicitur. Porro quia ratiocinationem ista dicentium non audimus, nihil interim de assertione ipsorum nondum plene cognita decernere diffinitive valemus. Unum tamen scimus, quoniam si eunuchi præcepta Dei custodierint, ad regnum cæleste percipiendum nihil eis obesse membrorum poterit detruncatio, cum secundum
Ephes. 4. apostolum in resurrectione omnes occurramus
Isa. 56. in virum perfectum, & per prophetam dominus, si ejus mandata observaverint, eunuchis nonnulla læta promittat. Siquidem & ille eunuchus Æthiops a sancto Luca evangelista pro virtute & integritate
Act. 8. vir appellatur dum dicit: *Et ecce vir Æthiops eunuchus potens Candacis reginæ*.

LVIII.

Mulieres velato capite orare in ecclesia debent. » Utrum velato an nudato capite mulier in ecclesia stare debeat, apostolus docet: *Mulier orans, aut prophetans non velato*
1. Cor. 11. *capite, deturpat caput suum, unum est enim ac si decalvetur, nam si non velatur mulier, tondeatur; si vero turpe est mulieri tonderi aut decalvari, velet caput suum*, & iterum: *Ideo*, inquit, *debet mulier velamen habere super caput propter angelos;* id est, sacerdotes, & rursus ait: *Vos ipsi judicate, decet mulierem non velatam orare dominum? nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: mulier vero si comam, gloria est illi? quoniam capilli pro velamine ei dati sunt*.

LIX.

De femoralibus. » Quod de femoralibus sciscitamini, supervacuum esse putamus; nos enim non exteriorem cultum vestium vestrarum, sed interioris hominis mores in vobis mutari desideramus, nec quid induatis præter Christum, *quotquot enim in Christo bapti-*
Galat. 3. *zati estis, Christum induistis;* sed quomodo in fide, ac bonis operibus proficiatis inquirimus. Verum quia simpliciter de his interrogatis, verentes videlicet ne vobis in peccatum imputetur, si præter aliorum consuetudinem quid saltem in minimis agitis Christianorum: ne quid desiderio vestro subtrahere videamur, dicimus, quoniam in libris nostris jussa sunt femoralia fieri, non ut his mulieres uterentur, sed viri: nunc autem, ut quemadmodum a veteri ad novum transistis hominem, ita de priori consuetudine ad morem nostrum per omnia transeatis facite; sin autem, quod placet agite. Nam sive vos, sive fœminæ vestræ, sive deponatis, sive induatis femoralia, nec saluti officit, nec ad virtutum vestrarum proficit incrementum. Sane quoniam diximus jussa fuisse femoralia fieri, notandum est, quia nos spiritualiter induimur femoralibus, cum carnis libidinem per abstinentiam coartamus: nam illa loca femoralibus constringuntur, in quibus luxuriæ sedes esse noscuntur, quamobrem fortasse primi homines post pecca- Gen. 3.
tum in membris suis illicitos sentientes motus ad arboris ficulneæ folia concurrentes sibi perizomata texuerunt; sed hæc spiritualis sunt, quæ hactenus portare non poteratis, *sed needum*, ut cum apostolo 1. Cor. 3.
dicam, *potestis; adhuc enim estis carnales;* & ideo hinc perpauca diximus, cum plura Deo donante dicere valeremus.

LX.

» Consulentibus vobis si liceat absque De hora sumendi cibum.
jejuniorum tempore quantulumcumque vel de mane comedere: Respondemus, quoniam neminem patrum nostrorum ante horam diei tertiam manducasse, nec sancta ecclesia ante horam hanc traditionem sumendi cibum accepisse recolimus, vel monumentis quibuscumque reperimus: e contrario vero quosdam eorum usque ad vesperum, alios autem usque ad nonam horam diei; porro alios usque ad sextam invenimus jejunasse: nullum ante mane cibi quantulumcumque sumpsisse comperimus, cum potius *Væ* dictum qui mane co- Isa. 5.
medunt fuisse legerimus. Quamobrem ab isto maledicto vos alienos esse desiderantes hortamur, ut ante horam diei tertiam nullum omnino corporalem cibum etiam in ipsis insignibus solennitatibus omnino sumatis: nam quæ solennitas potest esse pentecoste sublimior, in qua Spiritus sanctus super apostolos descendit, ac per hoc homines meruerunt in se suscipere dominum? In ista nempe festivitate sancti apostoli cum aliis nonnullis hora diei tertia reperiuntur fuisse jejuni, cum repletos Spiritu sancto, & loquentes omnium gentium linguis, quibusdam incredulis audientibus, & obstupescentibus, & quod musto essent repleti ii, qui simul aderant falso dicentibus: Petrus apostolorum princeps responderit, dicens: *Non enim, sicut vos æsti-* Act. 2.
matis, ebrii sunt isti, cum sit hora diei tertia, ubi notandum, quod non solum apostoli, sed & omnes qui cum ipsis erant, id est, centum viginti viri, super quos Spiritus sanctus cecidit, hora diei tertia jejuni reperiantur. Simul etiam notandum,

quod

quod non dixerit beatus Petrus simpliciter: *Non sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt*, sed addiderit, *cum sit hora diei tertia*; ac si patenter diceret; ipsi liquido nostis, quod non sit istis consuetudini ante horam diei tertiam jejunium solvere, quamobrem frustra illos ebrios esse putatis. Imitamini itaque hos, ut Spiritus sanctus, & si non tardius, saltem hora tertia diei vos jejunos inveniens, sicut istos, vos quoque inspiratione suæ gratiæ repleat.

Act. 2.

LXI.

De assiduitate orationis.

» De cetero scire vos velle significatis, quot vicibus laicalis persona per unumquemque diem orationem facere debeat, in quo scire vos convenit, neminem exceptum esse ab eo, quod dominus in evangelio dicit: *Oportet semper orare, & non deficere*, & apostolus: *Sine intermissione orate;* quod sanissime præfato sancto Augustino docente, sic accipitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi, quæ autem sint hæc certa tempora orandi, quæ nullo die prætermitti debeant, quærite & invenietis.

Joan. 18.
1. Thess. 5.

LXII.

De superstitionibus.

» Refertis quod lapis inventus sit apud vos antequam Christianitatem suscepissetis, de quo si quisquam ob aliquam infirmitatem quid accipit, soleat aliquoties remedium corpori suo præbere: aliquoties vero sine profectu remanere; quod utique etiam de illo lapide, qui nunquam sumentibus quotidie certum est evenire videlicet, ut alii quidem ab ægritudine sua remedium sanitatis recipiant, alii vero infirmitate tabescant. Quamobrem nos tamquam 7 erroris vobis consulentibus utrum de cetero sit agendum an respondendum, respondemus, & decernimus, quatenus omnis ejusdem lapidis sumptus penitus prohibeatur, & omnimodis refutetur, & in solo illo lapide domino nostro Jesu Christo, quem reprobavere ædificantes, hic factus est in caput anguli, spes totius salutis humanæ ponatur, & tamquam a fortissimo recuperandæ fortitudinis nostræ remedium expectetur, ad quem vos accedere, & in eo fiduciam omnem locare beatissimus primus apostolorum Petrus per epistolam suam hortatur, dicens: *Ad quem accedentes lapidem vivum ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum & honorificatum, & ipsi tamquam lapides vivi superædificamini in domum spiritalem.*

8 Vexilla, erroris, aut est corrupta, aut superflua.
Matth. 21.
1. Pet. 2.

LXIII.

» Consultis præterea, si liceat viro dominico nocturno, vel diurno tempore cum uxore sua conjungi, aut dormire, quibus respondemus: quoniam si dominico die ab opere mundano cessandum est, sicut supra docuimus, quanto potius a voluptate carnali, & omnimoda corporis pollutione cavendum; præsertim cum dominici diei nomen, quod nihil eodem die præter quæ domini sunt Christianus agere debeat, liquido manifestet. Porro idipsum est de nocturno ipsius diei quod de diurno tempore sentiendum. Unus est enim dies, qui tam diurno, quam nocturno spatio constat, viginti quatuor horas habens. Nam nisi tam absentia quam præsentia solis unus existeret dies, nequaquam scriptura diceret: *Factum est vespere & mane dies unus:* jam vero si dormiendum simpliciter eodem sit tempore cum uxore propria, quinquagesimo harum responsionum nostrarum capitulo quod sensimus, cursim jam intimavimus. Porro, ut verbis utar apostoli, *hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem prabeat sine impedimento dominum obsecrandi.*

De abstinentia conjugatorum in dominico die.
Gen. 1.
1. Cor. 7.

LXIV.

» Quot diebus viro, postquam mulier filium genuerit, ab ea sit abstinendum, non adinventionibus nostris, sed verbis beatæ memoriæ Gregorii Romani pontificis, & Anglorum gentis apostoli declaratur, qui Augustino episcopo, quem in Saxoniam ipse direxerat, scribens inter cetera dixit; Ad ejus vero, (id est mulieris) concubitum vir suus accedere non debet, quoadusque proles quæ gignitur, ablactetur. Prava autem in conjugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios quos gignunt, nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus nutriendos tradant; quod videlicet sola causa incontinentiæ videtur inventum, qui dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt.

De abstinentia conjugatorum post partum.
Epist. lib. 12, epist. 31.

LXV.

» Tunc recte non licet cuilibet communionem Christi percipere, quando gulæ deditus non invenitur jejunus, adeo ut mysticam mensam parvipendens prius cibi laici sumptu jejunium solvisse videatur, Christique venerandum corpus ac preciosum sanguinem a ceteris non discernens alimentis non præposuisse omni humanæ refectioni, sed postposuisse noscatur. Remedium quippe

De sacra communione a jejunis percipienda & de sanguinis fluxum patientibus non arcendis.

pe salutiferum est corpus Christi contra peccatum, & qui hoc ante omnem escam veneranter non sumit *. Et certe quotidie medicos vacuis visceribus sua cernimus pocula propinare: & si hoc pro sanitate corporis agitur, quanto potius est pro animæ salute patrandum? Ceterum quamobrem non debeatis, cui sanguis ex ore vel naribus profluxerit, corpus ac sanguinem Christi percipere, regula nulla docet. Nam quod invitus quis patitur, in culpam ei non debet imputari, ac per hoc nec a participatione tanti remedii coerceri: novimus namque, quia mulier quæ fluxum patiebatur sanguinis, post tergum domini humiliter veniens vestimenti ejus fimbriam tetigit, atque ab ea statim infirmitas recessit. Si itaque mulier hæc in fluxu sanguinis posita vestimenti dominici tactu non judicatur indigna, immo ipsius domini, nam ipse dixit: *Tetigit me aliquis*; cur ei qui sanguinis ex ore vel naribus fluorem sustinet, non liceat salutifera Christi sacramenta percipere?

* hujus loci pars altera deest.

Matth. 9.

LXVI.

De superstitionibus.

» Græcos prohibere vos asseritis cum ligatura lintei, quam in capite gestatis, ecclesiam intrare; 9 quos nos quoque similiter non abs re forsitan inhibemus: nam sæpe memoratus, ac semper memorandus apostolus Paulus ait: *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum*. Et iterum: *Vir quidem non debet velare caput, quoniam imago & gloria est Dei*; quod enim de velamine dici, etiam de ligaturæ volumine debet, credimus, observari.

9. Forte, quod.

1. Cor. 11.

LXVII.

De jurejurando.

» Perhibetis vos consuetudinem habuisse, quotiescumque aliquem jurejurando pro qualibet re disponebatis obligare, spatham in medium afferre, & per eam juramentum agebatur: nunc autem per quos jurare debeatis a nobis juberi deposcitis. Sed nos ante omnia non solum per spatham, verum etiam per aliam omnino conditam speciem jurari judicamus indignum. Per quem enim quis jurat, profecto & diligit & veneratur, sed & fiduciam suam ei firma stabilitate commendat: quamobrem per Deum jurandum est, qui ab hominibus diligendus & venerandus, & in quo omnis spes & fiducia est locanda, & a quo præ cunctis creaturis est semper auxilium expectandum, nam cum a domino per cælum, terram, caput & Jerusalem non jurare jubetur, nil nisi ut per creaturam juretur, procul dubio inhibetur. Quod autem per Dei nomen jurare præcipiamur, ipso jubente didicimus. Sane possumus per eas dumtaxat creaturas jurare, quæ divinis sunt cultibus deputatæ, ut est templum & altare, in quibus qui jurat, jurat in ipsis, & qui habitat in ipsis, & si quæ sunt talia. Quapropter jure per evangelium jurandum est, in quo quidquid continetur, nihil nisi Dei, qui in eo scribitur, & legitur esse, profecto dignoscitur, ipsum est enim lex nostra, ipsum testamentum nostrum, quod legifer & testator dominus & redemptor noster electis suis disposuit, & si hoc amamus per ipsum etiam juramus; etenim omnis vera qui dicit, per eum jurat quem amat; nos ergo si per evangelium juramus, & testatorem, & ipsum testamentum diligere comprobamur, & ab ejus mandatis nos nolle recedere procul dubio significamus.

LXVIII.

» Requisistis post quot dies mulier possit ecclesiam intrare postquam genuerit: in quo nos prædecessoris nostri beati Gregorii papæ vestigia sequentes, eadem quæ ipse decernimus, qui pro nova gente sicut nos modo instruenda scribens, inter alia dixit; Si mulier hora eadem qua genuerit, actura gratias intret ecclesiam, nullo peccati pondere gravatur: voluptas enim carnis, non dolor in culpa est; in carnis autem commixtione voluptas est; nam in prolis prolatione gemitus, unde & ipsi primæ omnium matri dicitur: *In doloribus paries*: si ergo enixam mulierem intrare ecclesiam prohibemus, ipsam ei pœnam in culpam deputamus.

De purgatione post partum.

S. Greg. epist. lib. 12. epist. 31.

Gen. 3.

LXIX.

» Quot vicibus per totum annum baptismata celebrari debeant, vel si eodem die licitum sit carnes comedi, vel quot in consequentibus ab his sit abstinendum, requiritis. Insignia igitur anni sive solennia tempora, quibus baptismata celebrantur, secundum canones, duo sunt paschæ scilicet & pentecostes. Verum circa vos nulla sunt in baptizando tempora penitus observanda; quemadmodum nec erga eos qui mortis vicinæ periculum metuentes tanto lavacro purgari desiderant: a carnibus autem ipso die iis qui sabbato sancto, vel sabbato pentecostes baptizati fuerint, abstinere procul dubio convenit: consequentibus vero septem diebus, qui a veteribus dies azymorum dicebantur, & diei resurrectionis dominicæ 10 convincti rite celebrantur, si quisquam quandocumque carnibus

De tempore conferendi baptismum.

10 conjuncti.

Digitized by Google

vesci affectat, multo magis edere carnes oportet.

LXX.

De presbytero uxorem habente. 28. dist. c. Consul. Matth. 5.

» Consulendum decernitis, utrum presbyterum uxorem habentem debeatis sustentare & honorare, an a vobis projicere: quo respondemus, quoniam licet ipsi valde reprehensibiles sint, vos tamen dominum imitari convenit, *qui solem suum*, ut evangelium testatur, *oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos*. Dejicere vero eum a vobis ideo non debetis, quoniam nec Judam dominus, cum esset mendax discipulus, de numero apostolorum dejecit. Verum de presbyteris qualescumque sint, vobis, qui laici estis, nec judicandum est, nec de vita ipsorum quidpiam investigandum, sed episcoporum judicio quidquid est, per omnia reservandum.

LXXI.

De malis sacerdotibus sacramenta ministrantibus.

» Sciscitantibus vobis, si a sacerdote, qui sive comprehensus est in adulterio, sive de hoc fama sola respersus est, debeatis communionem suscipere, necne: respondemus, non potest aliquis quantumcumque pollutus sit, sacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctorum remedia contagionum existunt. Nec potest solis radius per cloacas & latrinas transiens aliquid exinde contaminationis attrahere: proinde qualiscumque sacerdos sit, quæ sancta sunt coinquinare non potest, idcirco ab eo, usquequo episcoporum judicio reprobetur, communio percipienda est: quoniam mali bona ministrando se tantummodo lædunt: & cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris administrat, & unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Sumite igitur intrepide ab omni sacerdote Christi mysteria, quoniam omnia in fide purgantur. Fides est enim, quæ vincit hunc mundum, & quia non dantis, sed accipientis sit, docente sancto Hieronymo, ad credendum in omni anima baptismum esse perfectum, & in omni sacerdote corpus Christi esse perfectum, qui rursus sacræ scripturæ concordans ait: Priusquam audias, ne judicaveris quemquam, atque ante probationem accusationis illatæ, neminem a tua communione suspendas, quia non statim qui accusatur, reus est, sed qui convincitur criminosus.

LXXII.

De episcopo illis ordinando.

» Requisistis si liceat in vobis patriarcham ordinari, sed de hoc nihil diffinitive respondere possumus, priusquam legati nostri, quos vobiscum mittimus, reversi fuerint, & nobis, quæ inter vos multitudo sit & unanimitas Christianorum, renuntient. Nam interim episcopum habetote, & cum incremento divinæ gratiæ Christianitas ibi fuerit dilatata, & episcopi per singulas ecclesias ordinati, tunc eligendus est inter eos unus, qui si non patriarcha, certe archiepiscopus appellandus sit; ad quem omnes concurrant, & cujus consilium in causis majoribus præstoleutur; idipsum etiam apostolicis regulis præcipientibus, ac dicentibus: Episcopos gentium singularum scire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment & nihil amplius præter ejus conscientiam gerant &c. Can. apost. 14.

LXXIII.

Episcopus a Romano pontifice primitus ordinandus.

» A quo autem sit patriarcha ordinandus interrogatis, & idcirco scitote, quia in loco ubi nunquam patriarcha vel archiepiscopus constitutus est, a majori est primitus instituendus: quoniam secundum apostolum minus a majori benedicitur, deinde vero accepta licentia, & pallii usu ordinat ipse sibi deinceps episcopos, qui successorem suum valeant ordinare. Vos tamen sive patriarcham, sive archiepiscopum, sive episcopum vobis ordinari postuletis, a nemine nunc velle congruentius, quam a pontifice sedis beati Petri, a quo & episcopatus & apostolatus sumpsit initium, hunc ordinari valetis, in quo hic est ordo servandus, ut videlicet a sedis apostolicæ præsule sit nunc vobis episcopus consecrandus, qui, si Christi plebs ipso præstante crescit, archiepiscopatus privilegia per nos accipiat; & ita demum episcopos sibi constituat, qui ei decedenti Hebr. 7. successorem eligant: & propter longitudinem itineris non jam hic consecrandus qui electus est veniat: sed hunc episcopi, qui ab obeunte archiepiscopo consecrati sunt, simul congregati constituant: sane interim in throno non sedentem, & præter corpus Christi non consecrantem, priusquam pallium a sede Romana percipiat, sicuti Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum regionum archiepiscopi agere comprobantur.

LXXIV.

Omni loco orandum.

» Sciscitamini si cœpta oratione nuntius venerit de hostibus, ac ideo ipsam orationem consummare nequiveritis, quid vobis agendum sit; Quid aliud utique, nisi ut bonum, quod cœpistis, quocumque vos perrexisse contigerit, perficiatis? nam non est Christianis unus locus orationis, sicut

Digitized by Google

sicut Judæis erat Hierosolymis; & veluti Samaritanis in monte Garizim, sed in omnibus locis, quemadmodum & apostolus ait: *Volo ergo viros orare in omni loco levantes puras manus*. Præterea qui in bono opere perseveraverit in finem, hic salvus erit; præcipue eo tempore, quando contra inimicorum itur incursus; & oratione, sicut jam supra diximus, magis quam armis expectari debet ab hoste triumphus. 1. Tim. 2.

LXXV.

» Judicium pœnitentiæ, quod postulatis, episcopi nostri, quos in patriam vestram misimus, in scriptis secum utique deferent; aut certe episcopus, qui in vobis ordinabitur, hoc cum oportuerit, exhibebit; nam sæculares tale quid habere non convenit, nimirum quibus per id quemquam judicandi ministerium nullum tribuitur.

LXXVI.

» Similiter & de codice ad faciendas missas asserimus.

LXXVII.

De superstitionibus.

» Refertis quod Græcorum quibusdam codicem accipientibus in manibus clausum, unus ex eis accipiens parvissimam particulam ligni, hanc intra ipsum codicem condat, & si undecumque aliqua vertitur ambiguitas; per hoc affirment scire se posse quod cupiunt. Vos vero consulitis, si sit hoc tenendum au respuendum; utique respuendum; scriptum est enim: *Beatus vir cujus est nomen domini spes ejus: & non respexit in vanitates, & insanias falsas*. Psal. 39.

LXXVIII.

De pœnitentibus recipiendis.

» Enarratis quod populus ille qui propter Christianam religionem ad occidendum vos insurrexere, pœnitentiam agere voluerit, & sacerdotes illi, qui inter vos advenæ sunt, hanc recipere recusarint, nunc autem requiritis, quid de eis agendum sit. Si quemadmodum asseritis, sponte pœnitentiam agere volunt, non sunt prohibendi, sed per omnia pœnitentiæ submittendi, quam episcopus, vel presbyter ordinatus ab illo consideraverit: Nam non suscipere pœnitentes, non est catholicorum, sed Novatianorum.

LXXIX.

De superstitionibus.

» Perhibentes quod moris sit apud vos infirmis ligaturam quamdam ob sanitatem recipiendam ferre pendentem sub gutture, requiritis, si hoc agi nos de cetero jubeamus; quod non solum agi non jubemus, verum etiam ne fiat, modis omnibus inhibemus: hujusmodi quippe ligaturæ, phylacteris dæmonicis sunt inventa versutiis, & animarum hominum esse vincula comprobantur, ac ideo his utentes anathemate apostolica decreta perculsos ab ecclesia pelli præcipiunt.

LXXX.

De pace ineunda.

» Cum generatione, quæ pacem vobiscum habere quærit, quomodo ad alterutrum pacem firmare, & custodire debeatis, inquiritis. Quæcumque gens vobis pacem offerre voluerit, vos nolite renuere, scriptum quippe est: *Pacem sequimini cum omnibus*, & rursus; *Cum omnibus hominibus pacem habentes*, ubi *omnibus* sonat, nemo a mutua pace prorsus excipitur. Quomodo vero ipsa sit pax cum hujusmodi firmanda, vel custodienda, nisi gentis, cum qua pax ineunda est, mores & verba prænoscantur, facile diffinire non possumus. Hebr. 12. Rom. 12.

» Verumtamen quia est laudabilis pax, est & perniciosa, providendum est, ut in omni pacto Christus præponatur, ita ut lege ipsius, & præcipue fide illæsa persistente, fœdus, quod invicem pangitur, permaneat incorruptum, quam autem pacem sectari debeatis, dominus manifestat, cum dicit: *Pacem meam do vobis*, cum eo igitur qui pacem Christi non habet, nec nos communionis habere pacem debemus; sed nec cum illo qui pacem idcirco postulat, ut liberius nociva committat. Joan. 14.

LXXXI.

De pactis.

» Percontati estis, si cum generatione, quæ Christiana est, fœdus interposito ex utraque parte jurejurando feceritis, & post hæc illi pactum dirumpere, & super vos insurgere voluerint; utrum & vos adire contra eos audeatis, an aliud quid agere debeatis. Verum omnis est necessitas toleranda, magis quam a nobis qualibet iniquitas perpetranda; proinde fœdus quod pangitis, nulla est occasione violandum, nisi forte in confirmandi fœderis ipsius articulo interpositum est, quatenus sic una pars id foret observatura, si pars hoc altera nulla tergiversatione violasset; siquidem a Christiano genus omne mendacii summopere declinandum est propter illud, quod a Deo dicitur: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, & iterum: *Os quod mentitur, occidit animam*, & apostolus: Psal. 5. Sap. 1.

Digitized by Google

Coloss. 3. *Nolite:* ait, *mentiri invicem*. Jam vero si illi postposito juramento, diruptoque fœdere contra vos insurrexerint, quid vos oporteat agere, episcopus vester a vobis inquisitus respondeat, qui juxta positus & circumstantiam rerum, & temporum qualitatem, & mores personarum, & justitiam partium clare cognoscens, quod congruentius & salubrius esse perspexerit, tunc facilius poterit indicare, & quid agi conveniat cuncta prænoscens vobis pleniter intimare. Verum nos interim rebus incognitis satius admonemus, ut semper rogetis ea quæ pacis sunt.

LXXXII.

De eodem. » Cum paganis autem quod sit Christiano pactum faciendum, apostolus indicat, qui nullam communionem luci ad tenebras, Christi ad Belial, fideli cum infideli dat
2. Cor. 6. intelligi debere prorsus existere. Verum si eo fidelis animo pactum cum infideli constituit, ut eum ad cultum veri Dei possit attrahere, non est prohibendum: quandoquidem apostolus etiam matrimonium, quod
1. Cor. 7. ex fideli constat & infideli, non inhibet permanendum, & Moyses cognatum suum ad Dei veri notitiam trahere volens, ejus societatem non aspernatur, sed comitatui suo ducem fore summopere deprecatur. Inveniuntur autem nonnulli sanctorum & fidelium cum alienigenis & infidelibus pacta & amicitiæ fœdera contraxisse diversa: sed eo non tamquam infidelitatem eorum, & superstitionem approbantes coluisse, sed tamquam in angarias diversis usibus implicasse & præcipue in terrenis eos quæstibus & servilibus occupasse.

LXXXIII.

De judiciis criminalibus. » Si liceat vobis de criminalibus peccatis aliquem judicare consulitis: sed si nemo voluisset peccare, nemo debuisset aliquem judicare; at postquam peccatur, profecto & judicatur. *Scimus* enim, ut secun-
1. Tim. 1. dum apostolum dicamus, *quia justo lex non est posita, sed injustis, & non subditis, & impiis, & peccatoribus, sceleratis, patricidis; & matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum evangelium gloriæ beati Dei:* non autem vobis licet clericos judicare, cum vos magis ab ipsis conveniat judicari.

LXXXIV.

» Requirendum a nobis ducitis, quid De eo qui falso aliquem accusat. de eo judicandum sit, qui quemlibet falso criminatus fuerit, & postmodum accusator fallax apparuerit. De hoc quamvis venerandæ leges abunde quod justum est inuant; nos tamen potius cum apostolo vos ad misericordiæ viscera quam se Deus super sacrificium velle testatur, semper convenit exhortari; siquidem ipse cum gentes, quarum magister erat, doceret, non ad austeritatem legis, sed potius eas ad misericordiæ viscera provocabat dicens: *Induite vos ergo sicut electi Dei sancti & di-* Coloss. 3. *lecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut & dominus donavit vobis, ita & vos.*

LXXXV.

» Ergo similiter & circa eum, de quo sciscitamini, qui mortiferum quid homini dederit ad bibendum, vos ad misericordiam exhortamur, sicut & dominus jubet, Luc. 6.
dicens: *Dimittite, & dimittetur vobis.*

LXXXVI.

» Si fur vel latro deprehensus fuerit, De tormentis. & negaverit quod ei impingitur; asseritis apud vos, quod judex caput ejus verberibus tundat, & aliis stimulis ferreis, donec veritatem depromat, ipsius latera pungat; quam rem nec divina lex, nec humana prorsus admittit, cum non invita, sed spontanea debeat esse confessio, nec sit violenter elicienda, sed voluntarie proferenda; denique, si contigerit vos etiam illis pœnis illatis, nihil de his, quæ passo in crimen objiciuntur, penitus invenire, nonne saltem tunc erubescitis, & quam impie judicetis agnoscitis? Similiter autem si homo criminatus talia passus sustinere non valens dixerit, se perpetrasse quod non perpetravit; ad quem, rogo, tantæ impietatis magnitudo revolvitur, nisi ad eum qui hunc talia cogit mendaciter confiteri? quamvis non confiteri noscatur, sed loqui; qui hoc ore profert, quod corde non tenet. Relinquite itaque talia, & quæ hactenus insipientes exercuistis, medullitus exsecramini, quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Porro cum liber homo crimine fuerit appetitus, nisi jam pridem repertus est alicujus sceleris reus, aut tribus testibus convictus pœnæ succumbit, aut si convinci non potuerit, ad evangelium sacrum, quod sibi obji-

Digitized by Google

objicitur, minime commisisse jurans absolvitur; & deinceps huic negotio finis imponitur, quemadmodum crebro dictus apostulus doctor gentium attestatur: *Omnis*, Heb. 6. inquiens, *controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum*.

LXXXVII.

De non cogendis viduis monasterium ingredi. » Utrum si mulierem viduam nolentem vitam monasticam suscipere, quis monacham fecerit, peccatum committat, inquiritis: sed in hoc sciendum est, quoniam aliæ sunt virtutes, sine quibus ad vitam ingredi non possumus, aliæ vero sunt, quæ non nisi ab sponsore requiruntur, sine humilitate quippe, castitate & eleemosynis, & orationibus nullus ad vitam ingredi valet, & ista sunt cum his similibus, quæ requiruntur ab homine. Monachicum autem habitum inducre, ac vitam remotam ducere, nonnisi a spondente divinitus exiguntur. Unde quisquis vim intulerit alicui, ut monasticum habitum, & vitam remotiorem, quam non optavit, nec elegit, assumat; hic tanquam violentus peccatum evadere non valet: & quoniam quod agitur, ex accipientis voto non venit, nec accipiens religiosum habitum inde mercedem habet, nec inferens crudelitatis suæ judicio carebit.

LXXXVIII.

Pro quibus mortuis non orandum. » Pro parentibus vestris, de quibus consulitis, qui infideles mortui sunt, propter peccatum incredulitatis orare non licet, se-
1. Joan. 5. cundum illud Joannis apostoli dicentis: *Est peccatum ad mortem, non dico ut oretur pro eo*, peccatum quippe ad mortem est in eodem peccato morientibus.

LXXXIX.

De primitiis. » Fruges novas & rerum offerre primitias etiam veteribus moris erat, quod pæne in ipso initio mundi Abel & Cain egisse legimus.

XC.

De superstitionibus. » Animalia sive volatilia, si sine ferro mactentur, & solo ictu hominis percussa moriantur, si liceat comedi sciscitamini. De hoc sanctus Augustinus contra Faustum Manichæum pleniter scripsit, de cujus verbis nos modicum quid nunc propter prolixitatem tangimus. Ubi, inquit, ecclesia gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat: quis jam hoc Christianus observat, ut turdos, vel minutiores aviculas, non attingat, nisi quarum sanguis effusus est, aut leporem non edat, si manu a cervice percussus nullo cruento vulnere occisus est, & qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, a ceteris irridentur, ita omnium animos in hac retinuit illa sententia Veritatis. *Non quod intrat* Matth. 15. *in os vestrum vos coinquinat, sed quod exit*.

XCI.

» Neque quod Christianus persequitur, De vitanda communicatione infidelium. & a pagano percutitur & occiditur animal, neque quod paganus persequitur, Christianus occidit, a Christiano comedendum est; ne videlicet fidelis cum infideli saltem 2. Cor. 6. in modico communicasse videatur, *quæ enim pars fideli cum infideli?* & rursus propter conscientiam non fidelis utique, sed infidelis gloriantis scilicet se, quod sibi a Christiano fuerit communicatum, ac per hoc autumantis, eo quod non fuerit a fideli spretus, quod vanitas erroris sui a Christiano extiterit approbata.

XCII.

» Desideratis nosse, quot sint veraciter De patriarchis. patriarchæ. Veraciter illi habendi sunt patriarchæ, qui sedes apostolicas per successiones pontificum obtinent, id est, qui illis præsunt ecclesiis, quas apostoli instituisse probantur, Romanam videlicet, & Alexandrinam, & Antiochenam. Romanam, quam sanctorum principes apostolorum Petrus ac Paulus & prædicatione sua instituerunt, & pro Christi amore fuso proprio sanguine sacraverunt. Alexandrinam, quam evangelista Marcus discipulus & de baptismate Petri filius a Petro missus instituit, & domino Christo cruore dicavit. Antiochenam, in qua conventu magno sanctorum facto, primum fideles dicti sunt Christiani, & quam beatus Petrus priusquam Romam veniret, per annos aliquot gubernavit. Constantinopolitanus autem & Jerosolymitanus antistites, licet dicantur patriarchæ, non tantæ tamen auctoritatis, quantæ superiores existunt. Nam Constantinopolitanam ecclesiam nec apostolorum quisquam instituit, nec Nicæna synodus, quæ cunctis synodis celebrior & venerabilior est, ejus mentionem aliquam fecit: sed solum, quia Constantinopolis nova Roma dicta est favore principum potius, quam ratione patriarcha ejus pontifex appellatus est. Hierosolymitanus autem præsul, licet & ipse patriarcha dicatur, & secundum antiquam consuetudinem, ac Nicænam synodum honorandus sit; salva tamen metropoli propria dignitate: sed & in eadem sancta & ma-

Digitized by Google

magna synodo nequaquam Jerosolymitanus, sed Æliæ episcopus dicitur. Nam vera Jerusalem tantum in cælis est, quæ est mater nostra; illa vero Jerusalem terrestris, secundum quod dominus prædixit, adeo funditus ab Ælio Hadriano imperatore Romano destructa est, ut in ea nec lapis super lapidem sit derelictus, & ab eodem Ælio Hadriano in alio est loco constructa; ita ut locus dominicæ crucis extra portam, nunc intra cernatur; & a prædicto Ælio Hadriano urbis illa Ælia vocitetur.

CXIII.

Secundus patriarcha Alexandrinus.

» Porro quis patriarcharum secundus sit a Romano consulitis; sed juxta quod sancta Romana tenet ecclesia, & Nicæni canones innuunt, & sancti præsules Romanorum defendunt, & ipsa ratio docet, Alexandrinus patriarcharum a Romano papa secundus est.

XCIV.

» Græcos dicere perhibetis, quod in illorum patria chrisma oriatur, & ab illis per totum mundum tribuatur: & ideo nosse desideratis, si verum sit: sed jam credimus, quod vestra solertia quam verum non sit animadvertit.

XCV.

De his qui ad ecclesiam confugiunt.

» Quid de his agendum decernimus, qui pro quibuscumque culpis ad ecclesiam fugiunt, requiritis: sed quamvis ea sacri canones, quæ leges mundanæ sanciunt, custodienda flagitent, & leges circa quosdam immisericordes appareant: nos tamen qui non spiritum hujus mundi suscepimus, si quispiam ad ecclesiam fugerit, non illum nisi sua voluerit sponte, ab ea dicimus educendum. Denique si quondam latrones diversorum criminum rei ad asylum templum Romuli fugientes indemnitatem consequebantur; quanto potius hi qui ad templum Christi confugium faciunt, delictorum remissionem suorum adipisci debent, & jam sibi a suspecto juramento præstito, omni pristinæ securitati restitui?

XCVI.

» Quidquid mulier tua contra te cogitaverit, aut fecerit, vel si te accusaverit,

Matth. 5.

non est, excepta causa fornicationis, rejicienda, vel odio prorsus habenda, quæ

Ephes. 5.

est, apostolo præcipiente, sicut a Christo ecclesia, diligenda; quantum autem hæreticorum ore Christus & accusatur, & in gentibus blasphematur, sed hos interim perversa prædicantes tolerat, & resipiscentes a misericordiæ gremio non repellit.

CXVII.

De servis. Ephes. 6.

» Similiter & de servo, qui dominum suum apud principes accusat, custodiendum est, cui secundum apostolum a domino suo etiam minæ sunt remittendæ. Sed quid de servo dicimus, quando dominus generaliter omnibus, & de omnibus præcipit: *Dimitte*, inquiens, *& dimittetur vobis?* & apostolus: *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat*. Ubi enim *alicui* interposuit, etiam servum comprehendit. Jam si non omnes comprehendisse dicis, audi, quod sequitur; *sed semper quod bonum est sectamini invicem in omnes*.

Luc. 6. 1. Thess. 5.

XCVIII.

De eo qui seipsum occidit.

» Si sit sepeliendus, qui seipsum occidit, vel si sit pro eo sacrificium offerendum, requiritis. Sepeliendus est quidem, ne viventium odoratui molestiam ingerat: non tamen est, ut aliis pavor incutiatur, solito cum obsequiis more ad sepulcra ferendus, sed & si qui sunt qui ejus sepulturæ studio humanitatis obsequuntur, sibi non illi qui sui extitit homicida, præstare videntur. Sacrificium vero pro eo non est offerendum, qui non solum ad mortem usque peccavit, sed & mortis sibimet interitum propinavit. Quis enim magis peccatum ad mortem facit, pro quo Joannes apostolus dicit non orandum, quam is qui Judam imitatus sui ipsius homicida fuisse magistro diabolo comprobatur?

1. Joan. 5.

XCIX.

De sepulturis. S. Greg. lib. 4 dialog. c. 50.

» Si est Christianus intra ecclesiam sepeliendus, inquiritis. Hanc sanctus papa Gregorius quæstionem absolvit, dicens; Cum gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in ecclesiis sepeliantur, quod eorum proximi quoties ad eadem sacra loca conveniunt, suorum, quorum sepulcra aspiciunt, recordantur, & pro eis domino preces fundunt. Nam quos peccata gravia deprimunt, non ad absolutionem potius, quam ad majorem damnationis cumulum eorum corpora in ecclesiis ponuntur.

C.

» Qui in prælio defunctus fuerit, utrum reportandus ad propria sit, si parentes ejus, aut socii ejus voluerint, ex præcedente capitulo potestis colligere. Siquidem idcirco, si voluerint propinqui, ad propria

Digitized by Google

Exod. 13. pria reportandus est mortuus, ut ejus tumulum intuentes proximi recordentur ipsius, & pro eo domino preces fundant. Nam & sanctum Joseph tale quid de ossibus suis obiturum mandasse, sacra prodit historia.

CI.

De eleemosynis erogandis. Matth. 5. » Quibus eleemosyna eroganda, investigatis; quod dominus in evangelio manifeste demonstrat dicens: *Omni petenti te da*, & iterum patrem memorans ait: *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos*, & Galat. 6. apostolus: *Dum*, inquit, *tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei*, id est, Christianos. Verumtamen est in eleemosyna facienda quidam ordo discretionis observandus, quem nos plenius exponere studio nunc brevitatis omittimus. Sed quidnam hoc nomen signet, primitus indicemus; eleemosyna quippe Græce, Latine misericordia dicitur, & certe scriptum est: Eccl. 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo*. Ergo primum sibi debet homo præ ceteris eleemosynam facere: siquidem omnem regulam bene agendi a se debet homo incipere, placens scilicet Deo per munditiam mentis & corporis, ac per hoc sibi tribuens illum panem vivum, qui de cælo descendit. Deinde vero eleemosyna exhibenda est propinquis egestatem patientibus, sicut scriptum est: Isa. 58. *Carnem tuam ne despexeris:* nam & ipsa natura docet nos de hoc, & quod ipse propinquo meo non exhibuero, quando extraneus exhibebit? deinde autem his maxime misericordia præstanda est, qui petere confunduntur. Sane notandum est; quia sunt nonnulli quibus nil conferri debet, sicut scriptum est: Eccl. 12. Job. 4. *Da bono, & ne receperis peccatorem*, & rursum: *Ne dederis impio*, & iterum: *Panem tuum & vinum super sepulturam justi constitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus*. Panem enim & vinum suum peccatoribus præbet, qui iniquis subsidia, pro eo quod iniqui sunt, impendit: qui vero indigenti etiam peccatori panem suum, non quia peccator, sed quia homo est, tribuit; nimirum non peccatorem, sed justum nutrit, qui in illo non culpam, sed naturam diligit, unde & nonnulli hujus mundi divites, cum fame crucientur Christi pauperes, effusis largitatibus nutriunt histriones.

CII.

» Non esse inferendam Pagano violentiam ut Christianus fiat, supra docuimus.

CIII.

» De libris profanis, quos a Saracenis vos abstulisse, ac apud vos habere perhibetis, quid faciendum sit, inquiritis: qui nimirum non sunt reservandi; *Corrumpunt* enim, sicut scriptum est, *mores bonos colloquia mala;* sed utpote noxii & blasphemi igni tradendi. De libris profanis. 1. Cor. 15.

CIV.

» A quodam Judæo, nescitis utrum Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de his sit agendum consulitis. Hi profecto si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius,) constat eos non esse denuo baptizandos: sed primum utrum Christianus, an Paganus ipse Judæus extiterit, vel si postmodum factus fuerit Christianus, investigandum est, quamvis non prætereundum esse credamus, quid beatus de baptismo dicat Augustinus: Jam satis, inquit, ostendimus ad baptismum, qui verbis evangelicis consecratur, non pertinere cujusquam vel dantis vel accipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu sancto aliter sentiat, quam doctrina cælestis insinuat. (& iterum: Sunt etiam quidam ex eo numero, qui adhuc nequiter vivant, aut etiam in hæresibus, vel in gentilium superstitionibus jaceant, & tamen etiam illic novit dominus qui sunt ejus. Namque in illa ineffabili præscientia multi qui foris videntur intus sunt,) & alio loco: Et jam corde tardiores, quantum existimo, intelligunt baptismum Christi nulla perversitate hominis sive dantis sive accipientis posse violari, (& rursus: Potest tamen, ait, tradere separatus, sicut potest habere separatus, sed quam perniciose tradere; ille autem cui tradit, potest salubriter accipere, si ipse non separatus accipiat.) De baptizatis a Pagano non rebaptizandis. De Conf. D. 4. c. A quodam. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto. c. 3. Act. 2. & 19.

CV.

» Consulentibus & instrui poscentibus vobis, quid de eo faciendum sit, qui super præcepta apostolica se efferens prædicare tentaverit, unus ex eis, id est, Paulus respondet, & instruit dicens: *Sed licet nos, aut angelus de cælo evangelizet vobis præter quod evangelizavimus vobis, anathema sit*. Verumtamen cum hoc fit, non est passim nec a vobis, qui laici estis, temere judicandum, in multis enim offendimus omnes. Galat. 1. Jacob. 3.

CVI.

Digitized by Google

CVI.

» Postremo deprecamini nos suppliciter, ut vobis quemadmodum ceteris gentibus veram & perfectam Christianitatem non habentem maculam aut rugam largiamur, asserentes quod in patriam vestram multi ex diversis locis Christiani advenerint, qui prout voluntas eorum existit, multa & varia loquuntur, id est, Græci, Armeni, & ex ceteris locis: quapropter juberi poscitis, utrum omnibus his secundum varios sensus eorum obedire, an quid facere debeatis. Verum nos in his non sumus sufficientes, sed sufficientia nostra ex Deo est, & beatus Petrus, qui in sede sua vivit, & præsidet, dat quærentibus fidei veritatem. Nam & sancta Romana ecclesia semper sine macula fuit, & sine ruga, nimirum quia ille hanc instituit, cujus fidei confessio divinitus extitit approbata, ad quam videlicet Christianitatis fidem, licet ejus mysteria consummate nullus intelligere valeat, vobis insinuandam inspirante Deo, ecce scripta nostra, & missos ac diversos codices in patriam vestram destinavimus; & quousque radices roboris consequamini, vos rigare nullo modo desistemus, & quousque ad solidum perfectionis
1. Cor. 3. cibum perveniatis, vos saltem lacte potare
Philipp. 4. nunquam penitus omittemus: nam gaudium meum, & corona mea vos estis in domino. De his autem quos in patriam vestram de diversis locis advenisse perhibetis varia & diversa docentes, multa vobis jam scripsimus, & nunc scribere aliqua doctoris gentium suffragantibus sanctis eloquiis procuramus, qui inter Corinthios tales es-
2. Cor. 12. se formidans, ajebat: *Timeo enim ne forte cum venero, non quales volo inveniam vos, & ego inveniar a vobis qualem non vultis, ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones in vobis sint.* Verumtamen quantum ad fidem rectam pertinet non curamus qui prædicent: sed quem
Philipp. 1. prædicent: ipse quippe scripsit: *Quidam*, inquiens, *quidem & propter invidiam, & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant, quidam ex caritate, scientes quoniam in defensionem evangelii positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim mihi est? dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, & in hoc gaudeo & gaudebo:* sed & qui hæc dixit audite quid alibi dicat: *profana*
2. Timot. 2. *autem & inaniloquia devita; multa enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit.* Verumtamen in his omnibus aderit misericordia Dei missis nostris, & futuro episcopo vestro, qui vos instruant, & quid agere debeatis, abundanter erudiant; sed & illi sive nunc, sive post hæc semper in rebus dubiis & negotiis majoribus sedem totius ecclesiæ more consulent apostolicam, & ab illa instructi, in quibus oportet, instituent, & quæ Dei sunt sedula prædicatione docebunt.

» Hæc quidem suggestionibus sive quæstionibus vestris, prout dominus dedit, respondimus, non quantum potuimus, sed quantum sufficere posse prævidimus. Cum autem episcopum Deo concedente per præsulatus nostri ministerium habueritis; ille vos docebit omnia, quæ ad officium suum pertinent, & si quæ sunt quæ non capiet, ab apostolicæ sedis auctoritate suscipiet. Deus autem qui in vobis salutem maximam operatus est, hanc perficiat, consolidet, & usque in finem stabiliat & corroboret. Amen.

DE SIMEONE REGE BULGARORUM.

Etsi de Simeone Bulgariæ rege satis disseruerim, quod ad historiam nostram attinet, pag. 194., video esse nonnulla, quæ aliqua animadversione sint copiosius & explicanda & exornanda; sunt vero de illius in Romana communione constantia. Licet enim Bulgari, eo auctore, in gratiam redierint cum Romano Pontifice, an illam Simeon, suique servaverint, non injuria dubitamus; etsi aliter sentiat Assemanus tom. 3. pag. 153.

Cum anno 912. pax Bulgaros inter & Græcos sancita esset ad Blachernas opera præcipue S. Nicolai Patriarchæ Constantinopolitani, qui anno ante ab exsilio fuerat revocatus, quod Guillelmus Cuperus recte affirmat in hist. Chronol. Patriarch. Cp. tom. 1. Augusti Boll., Nicolaus bene Simeoni supplici precatus est, ejusque capiti Patriarchalem cucullum imposuit loco *Coronæ*, inquit Cedrenus. Verum quorsum hæc, si regia insignia a Romano Pontifice acceperat, uti suo loco diximus? At res est altius repetenda. Nicolaus, cum Leonis VI. Imp. nuptias cum Zoe improbasset, veluti illicitas, quia quartam sibi adjunxerat uxorem, tertia jam mortua, & e gradu dejecisset Thomam presbyterum, qui nuptiales ritus de more sacro perfecerat, in exsilium pulsus fuerat an. 906. adnitentibus Legatis Sergii III. P. ad quem Leo hanc ob caussam legationem antea miserat, ut connubium sua potestate firmaret; & Euthymius Nicolao suffectus est Patriarcha

cha Constantinopolitanus, a quo Leonis conjugium probatum; hinc ortum Ecclesiæ Cpanæ dissidium, cum alii pro Nicolai, alii pro Euthimii sententia starent. Nicolaus suæ Sedi restitutus an. 911. scripsit ad Anastasium III. P. qua epistola de quartis nuptiis doctrinam tuetur, hasque aeriter improbat, cum Ecclesiæ Orientalis repugnent legibus; de quibus agunt Græci juris ecclesiastici Scriptores; nec mihi in hac controversia est immorandum. Certum equidem est, Romanam Ecclesiam aliter atque Græcam sensisse, adeoque inter utramque adeo hæc contentio fervebat post Sergii pro Leone decretum, ut nomen Romani Pontificis fuerit e sacris dypticis expunctum. Erant itaque non leves Græcorum turbæ adversus Latinos, nec ii ignorabant factiones, quibus sacra omnia & prophana miscebantur Romæ in eligendis præsertim Pontificibus, quo fiebat, ut veteres in memoriam redirent Photianæ discordiæ, & amissa, quæ sibi arrogaverant, jura in Bulgaricam Ecclesiam. Et quamvis Simeon, inito imperio a Constantinopolitano Patriarcha defecisset, & Græcos bellis persequeretur, nec mirum, nec vero absimile esse debet, si vir indole varius & inconstans, præterquam ambitione & armis, in eo de pace colloquio an. 912. in Græcorum communionem, & Patriarchæ Nicolai obsequium inclinaverit, qui tamen, discors licet in tetragamia reprobanda, de Romana Ecclesia recte sentiebat.

Verum Simeon fœdus abrupit anno insequenti, & Græcos rursum adortus est; bellum continuatum est ad an. circ. 921. quo tempore firmata est Græcæ Ecclesiæ cum Romana concordia, an. scilicet 920., Pagio auctore ad hunc annum, necnon compositæ Cleri Constantinopolitani inter se, & Episcoporum Exarchatus Constantinopolitani cum Nicolao Patriarcha dissensiones, tetragamiæ præsertim caussa. Hoc docent Nicolai litteræ ad Joannem X., quibus ait, *nomen Sanctitatis tuæ ex sacro Ecclesiæ Constantinopolitanæ albo, ut mos olim erat una cum nostro rursum celebrabitur;* & legationem innuit ab Imperatore Romam missam, ut rata fœdera haberentur. Verum Simeon pacis osor, & eorum, qui pacem suadebant, utrumque Patriarcham Romanum æque atque Constantinopolitanum contemnere ausus est, & ab utrisque visus communione abhorrere. Baronius an. 917. profert epistolam Nicolai Patriarchæ ad Simeonem regem, ex qua discimus Joannem P. egisse, ut Simeon a lacessendis Græcis se tandem abstineret, & arma poneret; queritur autem Nicolaus, denegatam sibi ceu patri debitam a Simeone veluti filio obedientiam; at quamnam posceret Patriarcha Constantinopolitanus filii reverentiam a Bulgaro rege Romanæ Sedi obstricto, nisi hic prior a Pontificia recessisset potestate, cui suberat Bulgaria? Ludibrio etiam se dolet habitum a rege, eumque monet, ne Romani Pontificis imperium contemnat & jussa, quocum pacem inivit Ecclesia Constantinopolitana, & de tetragamia composita controversia; obediat porro Pontificiis litteris, quas ad illum deferendas curat, & firmo demum fœderis & amicitiæ vinculo semet Græco Imperatori adstringat; præstat tamen integram Nicolai epistolam hic e Baronio exscribere.

Simeoni Principi Bulgariæ.

Et tu mihi quidem filii adhuc loco, dilectissime Princeps, licet omnem jampridem obedientiam patri a filio debitam exueris. Hinc fit ut cum priscus ille, quo te sum prosecutus, amor, tum etiam sanctissimi Romani Papæ, cui minime parere, nefas, gravis apud bonos omnes auctoritas, me in lacrymas & preces ire, iterum impellat. Is cum a fama rerum nostrarum universum jam orbem pervagata accepisset Christiani populi clades, direptiones, fugas, vastitatem, & reliqua belli, quibus affligimur, incommoda, quæ pietas ejus est in regnum Domini sanguine redemptum, & nostris ex animo indoluit malis, & eis, ne proserpant latius, ire obviam decrevit. Legatos itaque misit Theophylactum primum inter ejus Episcopos locum obtinentem, & Carum ejusdem ordinis præstantissimos viros, qui te suis adhortationibus aut inducerent ad pacem, fœdusque nobiscum feriendum, aut si jussa detrectares, Spiritus sancti nomine insolubili anathematis vinculo obstringerent. Hos ego (nam id mihi beatissimus Pontifex injunxerat) ut tuto & commode ad te pervenire possent, addito commeatu, & itineris duce sedulo curassem, ni me deterruisset ab incepto malus quidam rumor, qui de te pridem inolevit.

Diceris enim, filii mi, solere Legatos ad te venientes in vincula conjectos asservare, immani plane & omnem supergresso barbariem exemplo. Quæ enim est tam effera, tam ab omni humanitatis sensu remota natio, quæ tale facinus non inter nefaria scelera recenseat? Quapropter cum & sanctissimi Papæ exsequi mandata valde cuperem, & Legatorum incolumitati consultum vellem, illos quidem summis induxi precibus, ut hic apud nos consisterent, veritus ne a te post longæ peregrinationis tædium ac

ac laborem aliquid paterentur mali. Apostolicas vero litteras ad te perferendas dedi. Quibus exhibebis te facilem, & obsequentem, si me audies; immo si rationem habueris dignitatis, salutisque tuæ. Cave enim putes, idem tibi plane licere in sanctissimum Pontificem Romanum, quod in me olim licuit, quem ludibrio habuisti tam diu. Si quid in eum commiseris, non impune feres. Apostolorum primores, quorum ille ad aras quotidie litat, iratos in te oculos conjicientes, quasi propriam injuriam contemptum illius ultum ibunt. Subeat animum Ananiæ, & Saphiræ 1 casus, quos objurgatio Petri neci dedit: menti obversetur Elymæ magi 2 Paulo contradicentis cæcitas. Hæc Apostolicæ indignationis monimenta cogitantem excipiet te, certo scio, horror quidam, & pavor salutaris, nec permittet, ut beatissimi Papæ monita despicias. Præsertim si vera sunt, quæ de te narrantur a tuis, præcipua quadam veneratione prosequi Principes illos divos: quos si vere suspicis, ac colis, eorum insidentem throno minime contemnes. Hæc de legatione Romana, cujus adventu (cur enim tibi sub Christi signis quamvis adversus Christianos diaboli fraude pugnanti commune gaudium invideam?) scandalis, quæ ob tetragamiam apud nos omnia turbarant, impositus est finis, pax Clero reddita, cætus sacri mira animorum conspiratione habiti, & ut verbo dicam, Romana ac Constantinopolitana Ecclesia ita in unam eamdemque coalita est fidem, ac consensionem, ut nihil amplius vetet, quo minus nos optatissima illorum communione, & sanctificatione perfruamur.

1 Act. 5.
2 Ibid. 17.

Reliquum est, ut te postremo admoneam loco, ne posthac cum ab his, qui rerum potiuntur, litteras acceperis, Senatui potius rescribas, quam illis ipsis. Ridiculum enim est, & tua prudentia plane indignum adire servos, posthabito eo cujus ipsi capessunt jussa: nisi te ludere delectat in re haud quidem ludrica. Quin tu potius, si te serio pœnitet bellorum, si cladium non tam acceptarum, quam illatarum piget, sensum animi tui Imperatoribus exprome, conditiones offer, diem, locumque colloquio præscribe, sive tu ipse ad nos accedere, sive alios mittere malueris. Nulla in me mora est, adero, quocunque vocaveris, cum delectis ex Senatu viris, rem fortasse confecturus ex voto, si Deus annuet. Quod si longe alia tibi mens est, nisi hominibus nostris ludibrium debes, post hac ab hujusmodi irrisionibus, quæ te minime decent, abstinebis. Deus te eo validiore ope tueatur, quo gravius regendi alios onus suscepisti, ne quod plerumque principibus viris accidit, oneri succumbas.

Meminit Nicolaus in hac epistola Græcorum cum Latinis concordiam, de qua is scripserat in laudatis paullo superius litteris an. 920. ad Joannem P. hinc arguimus eodem anno ad Simeonem allatæ & Nicolai, & Joannis litteræ, qui utriusque monita respuit, irrisit utrique; nec ante an. 923. ab armis quievit; cum in pacis conditiones Simeon, & Romanus Imperator convenere, Nicolao etiam Patriarcha præsente, qui biennio post vita functus est; hæc habes fuse diligenterque ab Assemano descripta tom. 3. part. 3. cap. 6.

Et ut in unum omnia colligam, sic mihi videtur adversus Simeonem posse constitui. Ab an. 912., cum neque Bulgari Romanas discordias ignorarent, neque quorumdam Pontificum corruptos mores, Simeon Græcam communionem amplexus est, & Nicolai Patriarchæ jurisdictioni Bulgaricam permisit Ecclesiam; quamvis animo infensus in Græcorum imperium. Post violatam pacem an. 913. Constantinopolitanum Antistitem ejusque spernere cœpit potestatem, teste Nicolao in allata epistola; neque tamen ad Latinam rediit Ecclesiam, quippe ut diximus Joannis P. hortationes respuit, & jussa & minas, Constantinopolim obsidione cinxit, & in angustias adegit, donec pax iterum sancita est an. 923. sed fueritne a Pontifice diris perculsus, quas Joannem minitatum esse innuit in sua epistola Nicolaus, ignoramus; an. certe 927. in bello Chrobatico interiit. Itaque post priora a suscepto imperio acta Simeonis cum Romana Ecclesia, paullatim illum religione tepuisse arbitror, & nullius sollicitum communionis ecclesiasticæ morte sublatum. Adde Bulgaris neminem tum præfuisse sacrorum Antistitem, & cupido Autocephali Patriarchæ nunquam in ea gente friguerat, quem an. circ. 928. obtinuit; ac si Bulgaricam inspicias Ecclesiam a Michaele rege primo Christiano ad extinctum nationis hujus imperium, incredibilem illius inconstantiam deprehendes in expetenda modo, modo abjicienda cum Romana Sede conjunctione.

Hactenus dicta nihil obesse velim Nicolao Patriarchæ, cujus sanctitatem Latina quoque reveretur Ecclesia; si enim in primo de pace colloquio cum Simeone an. 912., & in epistola ad illum, quam protulit, aliquid sibi juris tribuere visus est in Bulgarorum Ecclesiam, ejus sensa non carent recta interpretatione. Baronius ad an. 917. num. IV. Nicolaum appellat in-

Digitized by Google

infensum olim & minus æquum Romano Pontifici, cum scilicet de tetragamia ageretur; fortasse quam Constantinopolitani Patriarchæ falso prætendebant in Bulgaros jurisdictionem, Occidentali Patriarchatui propriam, sibi licere duxit, in turbulentissimo Sedis Romanæ, & regni Bulgarici, per ea tempora statu; & vetera profecto desunt monumenta, quibus obscura illius ævi hac etiam in parte ecclesiastica historia clarius dignoscatur; de jure Romani Pontificis in Bulgariæ provincias vide enarrata pag. 183. & seq.



Digitized by Google

MARTYROLOGIUM ILLYRICUM.

PRÆFATIO.

CUM de Illyrico Martyrologio, quod hic exhibemus, nonnulla præfari oporteat, quæ illius concinnandi edendique, quo a nobis modo perfectum est, consilium & causas aperiant, de martyrologiis generatim dicere supervacaneum censeo; de iis enim eorumque Scriptoribus copiosissime disseruerunt Baronius in præfat. ad Rom. Martyrol. Bollandus in tom. 1. Januarii de actis Sanctorum, Sollerius in Usuardi martyrologio a se perquam erudite illustrato, aliique probatæ fidei, doctrinæ, atque ecclesiasticæ eruditionis auctores. Cum itaque præter Græcam, aliasque Orientis & Æthiopiæ Ecclesias nulla sit Europæ natio, atque provincia, quæ Divorum suorum nomina & fastos non præferat, quo amplior religionis gloria iis merito accrescat, & seu civium, seu ejusdem gentis hominum sanctitate illustrium præclara gesta posterorum memoriæ ac venerationi commendentur, æquum profecto erat, Illyricam gentem, & Ecclesiam, quæ cum aliis de Christiana virtute, de sanctitudine morum, de heroicis pietatis actis jure certare potest, hac laude minime carere, ac Divorum, quotquot genuit, aluitque, & quorum supersunt monumenta, & nomen & res gestas sub uno veluti conspectu in catholico orbe patescere. P. Philippus Riceputus historiæ Illyrici Sacri parens id sibi primum proposuerat, Martyrologium scilicet Illyricum, quod & typis edendum paraverat pœne confectum absolutumque, sed iis notis destitutum, quæ necessario subjiciendæ fuissent, ut ea illustrarentur, quæ sine aliqua explicatione aut in dubium vocari poterant, aut obscura vel incerta, vel falsa etiam videri. Hanc ob caussam, Riceputo jam vita functo, censuit P. Daniel Farlatus, cui cura demandata fuit Illyricæ historiæ conficiendæ, e dignitate non esse auctoris & operis, ut Riceputi martyrologium in lucem prodiret; quod ipse testatur in præfat. ad tom. 1. Illyrici Sacr. pag. 26. Cogitaverat quidem uti ait pag. 26. illud absolvere omnino, perfectumque typographis tradere prælo subjiciendum, sed plures obstitere caussæ ab eo enumeratæ; potissima vero, quam silentio præteriit, totius operis fuit immutata idea, & in aliam formam conversio, cujus rationem uberrime exposuit laudato in loco. Et, ut cætera omittam, Riceputus Illyrici universi, qualecumque olim a Romanis late auctum ac propagatum fuerat, historiam animo præconceptam describere parabat; hinc Divorum nomina & acta in Martyrologium retulit, quotquot vastissimas Illyrici provincias, de quibus in tom. 1. pag. 65. egregiis virtutum meritis ornarunt. At contracta a Farlato hujus historiæ forma, & conclusa intra Illyrici Justinianei fines, quos habes descriptos pag. 86., Riceputi martyrologium magna parte diminui oportebat. Præterquam quod, cum alius ordo hujus scribendæ historiæ per singulas cujusque Illyricæ provinciæ metropoles ecclesiasticas, iisque subjectas Ecclesias propositus esset, ante de Divis Illyricis suo quibusque in loco diligentem, ac perspicaci junctam judicio disquisitionem poscebat solers ratio ac prudens, quam Martyrologio recte concinnando manus admoveretur.

Hoc itaque Riceputi opus hagiologicum cum reliqua mss. Illyrica supellectile sane copiosa mihi reliquit Farlatus, quem in cognoscenda ediscendaque Illyrica historia optimum magistrum habui, cuique adjutor tanti operis, & ad illud perficiendum successor destinatus fui supremi Societatis Jesu Præsidis auctoritate; quamvis imparem me huic studiorum moli ferendæ semper animo reputaverim. Jamque, Deo unice propitio, integra Illyrici Sacri historia, ut a Farlato egregie disposita & ordinata fuit, cum ad finem pervenerit, id unum restat, ut Illyricum martyrologium ab operis initio promissum hic denique ad ejus complementum & ornatum evulgetur. In quo nunc edendo publicis typis quid a me præstitum sit, necessum habeo referre, aptisque rationibus probare operis consilium. Primum enim Riceputi quidem apographo usus sum, ut ea facilius colligerem, quæ novæ martyrologii formæ inservire possent, & quasi ponere fundamentum, sed plurima Divorum nomina resecanda fuerunt, atque rejicienda, qui ad Illyricum Justinianeum minime pertinent, & cum his elogia illustrium virorum, qui licet pietate clari, nulla unquam sanctitudinis nota, nullo cultu nullam venerationem consecuti sunt. Tum percurso diligentissime opere nostro, examinatis etiam Hagiologiis pluribus, præcipue Dominicani, & Francisca-

ciscani Ordinis, cum hæ sanctissimæ familiæ præ cæteris de Illyrico nostro optime meritæ sint, ac labore non exiguo pervolutatis Bollandistarum tomis singulis, sic demum statui, in Martyrologium nostrum conferre Divorum omnium nomina, qui vel natione Illyrici certe extiterunt vel in Illyricis provinciis seu pro Christiana religione mortem gloriosissime oppetivere, seu Episcopali munere rexerunt Ecclesias, seu denique ea loca diutina commoratione & apostolicis laboribus maximo cum animarum fructu excoluerunt. Cur enim denegandus iis locus & honor in Illyrica Ecclesia, quam tantopere, dum versarentur in terra, egregiis beneficiis officiisque dilexerant? præsertim cum ex his plures Illyricis hominibus non satis cogniti sint, & spes est, fore, ut hinc pro eorum meritis majori apud illos religione colantur. Hisce vero nonnullos addere placuit, qui ad Illyricum regio spectant jure, etsi extranei prorsus, nec alio titulo in Illyricos fastos inserendi; cujusmodi censeri debent B. Carolus M., cui olim Chrobatia paruit, nonnulli e regali Hungarorum stirpe, quippe Hungaricam dominationem dudum Dalmatia subiit, & S. Petrus Urseolus Dux Venetorum, hi enim in Dalmatia & Albania stabile tenuerunt imperium. Ecclesiasticæ vero jurisdictionis caussa locum certe hic suum sibi vindicat S. Laurentius Justinianus, quem Venetiarum Patriarcham Jadertina provincia Primatem habuit. Hoc habito Divorum delectu, illud etiam mihi propositum est, eos revera, ac solummodo numerare, qui aut *Sancti*, aut *Beati* nomine ornati publice ab Ecclesia coluntur, tum qui peculiaribus in locis, quique in religiosis familiis, in quas fuerant cooptati, rite sacros honores obtinent, quique demum *Beati* solum apud suos obtinent appellationem; in hisce vero postremis Scriptorum auctoritatem secutus sum, ita tamen, ut nolim humano hocce de illorum sanctitate ac meritis testimonio quidquam venerationis aut cultus iisdem augeri præter vulgatam, qua gaudent, insignis virtutis existimationem; dum ab Apostolica Sede, si forte contingeret, & eorum probentur acta legitimo judicio, & certus eis honor decernatur. Hinc Illyricorum Divorum numerus sane non exiguus confectus est amplius ad quingentos, quotquot licuit comperire; nam mihi certum est longe plures viros ac mulieres meritis & gloria sanctitatis, præcipue martyres, exstitisse in Illyrico nostro, quorum memoria & cultus ab antiquis inde temporibus perierit, magno fastorum Illyricorum detrimento; neque enim Illyricis hominibus ea laus deneganda, postquam Evangelii luce e tenebris Ethnicismi educti sunt, & Christianis sacris imbuti, susceptam semel Christi religionem invicta animi fortitudine, ac proprio sanguine ab iis propugnatam, tum conspicuis sanctissimisque gestis quovis tempore ornatam fuisse. Hisce itaque Divis in suos quibusve dies per annum distributis, brevique, ut moris est, adjecto elogio, ad singulos notationes subjeci, profecto eorum illustrandæ memoriæ necessarias, easque contractas, ne frustra illa repeterem, quæ in toto opere legi commode possunt; si excipias tamen aliqua animadversione digna, quæ ibi desunt, quæque in nostram postea supervenere notitiam. Denique duos indices in calcem rejecimus, nullo modo omittendos, alterum, quo Divorum, alterum, quo locorum nomina complexi sumus, ad quæ vel ob res gestas, vel martyrii aut obitus causa singuli pertinent, aut pertinere posse videntur. Hæc idea, hæc summa Illyrici martyrologii, quam si probari intelligam a nobilissima Illyriorum gente, eo magis mihi lætandum erit, quo major hinc Divini Numinis ejusque Sanctorum gloria creverit; majus etiam totius Nationis decus augeri sentiam, atque amplificari. Ast nonnulla præterea opus est animadvertere, quæ caussam declarent, cur aliqui in hoc Divorum censu a nobis fuerint prætermissi, qui cæteroqui sanctitate in Illyrico floruerunt, aut ab eruditis quibusdam viris Illyrico nostro tribuuntur, licet non abque dubitatione.

Atque e primis sunt Episcopi plures Salonitani, de quibus singillatim video esse mihi disserendum, ut consilii nostri ratio eruditorum æquis postulationibus satisfaciat. Itaque in tom. I. operis nostri proxime post S. Domnium Ecclesiæ Salonitanæ Protoepiscopum accedunt SS. Cajanus & Simphorianus, ille anno 115., hic anno 125. religionis nomine interempti, uti Farlatus credibile censet; verum neque locus, neque dies martyrii statui potest, quamvis ingeniosis æque ac eruditis conjecturis is de utroque tractet copiose. Hos subsequitur unus & alter Hesychius, uterque fortasse martyr, quo tamen anno sæc. II. quo die, quo loco plane ignotum. Eodem sæc. II. & III. pœne integro memoratur S. Venantio Salonitano Antistiti ac martyri suffectus Honophrius vel Honorius I; qui anno 168., tum Maximus I., qui an. 179. claruit; huic surrogatus Paschasius, Paschasio Cæsarius, alter an. 194. alter an. 212. demortuus. Pone Justini I. mors in an. 236. rejicitur, ac triennio post Justinianus dicitur e vita sublatus; demum Antoninus an. 262. & Maximus II. an. 275. obiisse videntur; queis adde Joannem I. an. 285. vita functum. Hi omnes Ecclesiam Salonitanam

tur-

Digitized by Google

turbulentissimis quidem persecutionum temporibus sanctissime rexerunt, sed mortis annus, locus, mensis, dies latent incomperta; cuinam igitur mensi, cuinam in martyrologio diei erant inserendi probabili saltem conjectura, quæ prorsus deest? ac temeritatis nota mihi certe fuisset subeunda, siquid meo tantum arbitrio imprudens definivissem; eademque ratio animum induxit, ut de Hagiologio nostro moverem tum Joannem II. tum Frontinianum inter an. Ch. 300. & 313. extinctos, ac Joannem III. anno post aut naturali morte aut martyrio suæ Ecclesiæ abreptum. Initio tom. 2. Marinus I. Episcopus Salonitanus sæc. IV. idem per quamdam verisimilitudinem videtur esse Farlato cum S. Mauro martyre, de quo ibidem agit; sed caussa hinc nulla est ejus nominis hisce Fastis adjiciendi, præsertim cum de illius obitu epochè ignoretur. Neque Hesychium III. neque Glycerium sæc. V. Archiepiscopos Salonitanos cœteris Divis adnumeramus, licet uterque sanctimoniæ laude celebretur, quippe quorum memoriæ nulla dies queat assignari. Haud aliter sentiendum de Joanne Ravennate primo Spalatensi Archiepiscopo, de quo in tom. 3. pag. 19. & de S. Felice Episcopo Jadrensi sub exitu sæc. IV., de quo in tom. 5. pag. 24. cujusque obitus cultusque dies nulla definitur. Quod autem attinet ad Domnum Sirmiensem, & Protogenem Sardicensem Antistites, hi quidem duo fuere e trecentis decem & octo Patribus Concilii Nicæni primi, quos una die simul decima Julii Græca Ecclesia colit; ex his autem plures certo anni die sejunctos venerantur & Latini; sed omnino omnes in Fidei Nicænæ obsequio, & studio pietatis perseverasse, merito negant eruditi. Et si Domnus ac Protogenes veræ fidei, veræque virtutis firmitate & constantia spectandi sunt, non idcirco peculiari & nota & cultu sanctitatis ornandos putamus absque gravioribus certioribusque monumentis. Atque de his satis, quorum venerationi, prout hominum, qui insigni Christianæ religionis merito excelluerint, nihil per me detractum, aut imminutum velim.

De altera Divorum classe, quos prætermittere libuit, moneo primum, cum Farlatus in secundo tom. pag. 444. catalogum texuerit Martyrum Illyricorum sub Diocletiano, Galerio & Licinio, eos etiam ab illo numerari, qui in Thracia & Scythia Pontica, qui in Macedonia, Norico, & Rhætia, tum in Istria & Carnia pro Christo fortiter occubuerunt; ast has provincias non continet Illyricum Justinianeum, & fuerint ne Illyrici nostri incolæ hi athletæ sanctissimi, si paucos excipias, quis certo probet? Propterea, iis a Martyrologio expunctis, dubium superest de Martyribus Noviodunensibus, e quibus aliquot memorat Farlatus, utrum Illyrico nostro sint tribuendi. Novioduni, aut Niveduni vel Neviduni nomine distinctas urbes seu oppida plura invenies apud veteres Geographos ac recentiores; in Galliis quinque, unum in Norico habes Noviodunum, seu Novodunum, vel in Pannonia superiori; alium in Mæsia inferiori, vel in Scythia. Cum vero de hisce Martyribus agunt Hagiologi, præsertim vetustiores, mirum sane, quam varie urbis nomen efferant; nusquam vero, cujus sit provinciæ, meminere. Hinc difficillima oborta quæstio de loco, ubi Noviodunenses Martyres passi, in qua video Hagiologos Bollandistas hærere, & ambiguum edere judicium; quod & nos incertos esse cogit, ac in illorum pertrahit opinionem. Singula tamen breviter percurramus. Die Januarii vigesima vetustissimum martyrologium Hieronymianum exhibet S. Cyriacum Martyrem *Nividuni* vel *Neveduni*; verum *quæ hæc urbs sit, haud conjectamus actorum luce destituti*, inquit Bollandus; rursum die illius mensis 28. Corbejense martyrologium habet *Niveduni Thirsi Quiriaci Gallinici*, *Richenoviense Noviduno Thirsi Leucii*; ast Bollandus aliis locis recte martyrium tribuit Sanctorum Thirsi Leucii & Callinici, quos Farlatus perperam martyres Sirmienses appellat; deque his vide Usuardum Sollerii tom. VI. Junii Bolland. part. I. Suspicatur quidem Bollandus, sacra martyrum corpora Nivedunum fortasse, vel Noviodunum fuisse delata; de urbis situ se fatetur incertum. Eadem est Godefridi Henschenii sententia de SS. Martyribus Nivodunensibus Heraclio, Paulo, Minereo, Aquilino, Victore, Artemio, Calcoro, qui in pluribus martyrologiis *Inviduni*, *Niveduni*, *Neveduni*, *Nimviduni* dicuntur martyres die Maji 17., *ex nudis* tamen *nominibus*, inquit Henschenius, *non possumus uni potius quam alteri loco, attribuere quemquam*; Baronius in martyrologii indice geographico Noviodunum Galliæ esse indicat; & Sollerius in suo Usuardo ad hanc diem videtur Usuardi arguere negligentiam, qui *Niveduni civitatis* nomen ex apographis Hieronymianis exscripserit, nihil de illius inquirenda positione sollicitus. Ad diem Junii quartam pergamus & sextam; ac pridie quidem nonas Junias Novidunenses martyres plures coluntur, Dinocus, Atalus, Zoticus, Eutichus, Camasus, Quirinus, Julia, Saturnina, Galdunus, Ninnita, Fortunio, & alii XXV. item Cirinus, Ebustus, Rusticus, Silvius, de quibus laudatus Henschenius tom. I. Junii Boll., cum martyrii locum *Nividunum*, *Nevi-*

Digitized by Google

Nevidunum, *Novidunum Novodunum* varie in martyrologiis nominari animadvertisset, existimat quidem, *complures ex iis martyribus, quos vulgaris opinio Galliæ adscribit, Pannonia relinquendos esse;* diu enim in ea provincia commorati sunt Diocletianus & uterque Maximianus crudelissimi Christianorum hostes, *nihil tamen in particulari de hic positis definire* præsumit. Octavo autem idus Junias sex rursum Nivedunensium martyrum dies natalis affigitur, Amantii, Lucii, Alexandri, Andreæ, Donati, Peregrinæ *Nividuni*, *Neveduni*, *Niveduni*, uti diverse martyrologia indicant urbis nomen, atque hos Henschenius *non audet attribuere Galliæ; quia nec apud antiquos nec apud recentiores Noviodunum* Gallicum seu Suessionum, seu Biturigum, de quibus Cæsar in libris de bello Gallico, *nusquam scribitur Nividunum*, *Nivedunum*, *Nevedunum;* sed fateor non posse me in ejus sententiam concedere, qui a se dissidet; & ob eamdem caussam, quæ *ex nudis nominibus*, cum nihil audeat definire die 17. Maji de SS. martyribus Nivedunensibus; neque de his constituere quidquam debuisset, neque illos Pannoniæ potius, quam Galliæ largiri. Diuturna enim Diocletiani, & Maximiani utriusque in Pannonia commoratio Henschenio minime favet; cum Diocletianea persecutio & in Galliis desævierit, licet minus fera; ac mirum sane videri debet, cur longe plures Nivedunenses martyres ea re non nominentur aliis anni mensibus præter hosce paucos Januario, Majo, Junio, ac Septembri, de quibus postea, memoratos; præterea quis tuto affirmet, horum martyrium ad eorumdem Imperatorum tempora esse referendum? id Menæa Græca solummodo innuunt; & nulla probata supersunt martyrii acta, e quibus idem liceat clare dignoscere. Si vero Noviodunum Gallicum nemo Scriptorum seu *Nividuni*, seu *Niveduni* ac *Neveduni* nomine appellavit, non inde consequitur Pannonicum Noviodunum esse intelligendum; quodque de Gallico Henschenius gratis asserit, id & de Pannonico poterit affirmari; quippe hoc est, de quo controvertitur, quænam tandem urbs iis nominibus designetur, quæque sub iis vocabulis, uti videtur, corruptis vitiatisque lateat significatio. Noviodunum certe Pannonicum, si veteres Scriptores inspicias, a Ptolemæo *Novidunum*, ab Antonino in Itiner. *Noviodunum*, in tabula Peutingeriana *Novio-dum*, ab Anonymo Ravennate *Nouvidum* dicitur; alterum vero Noviodunum Mœsiæ, aut, si mavis, Scythiæ urbem Ptolemæus *Nuiodunum* appellat, Hierocles *Nobioduntum*, Antoninus, Ammianus, Notitia Provinciarum, Codex Theodosianus, Anonymus Ravennas *Noviodunum*, Procopius lib. 4. de ædificiis *Neodunum*, Constantinus Porphyrogenitus *Nobiodunum;* lex vero prima Cod. Th. de vestibus oloveris *Nebiodunum;* cur igitur allatis vocabulis *Nividuni* &c. potius Pannonica, aut Mœsiaca vel Scythica, quam Gallica civitas ab iis auctoribus denotabitur? Addit Henschenius, Noviodunum Pannoniæ Episcopali dignitate fuisse ornatum; leve profecto pro sua assertione argumentum, immo nullius innixum auctoritati, præterquam Wolphangi Lazii, qui lib. 2. cap. 2. de repub. Rom. de suo Episcopatum Novioduni erexit, subjecitque Sirmiensi metropolitæ, cujusque testimonio non satis fidit Carolus a S. Paulo in Geogr. Sacr. & eruditissimus Stephanus Salagius lib. 3. de statu Eccl. Pannonicæ in Proœmio neque Lazio, neque Samueli Timoni lib. 1. cap. 10. Imag. antiq. Hung. assentitur, qui plures in Pannoniam invexere Episcopatus, inter quos Noviodunensis, incertis adducti monumentis; atque de iis copiose disserit, de quibus *indubiæ tabulæ in promptu sunt;* omittit reliquos cum Noviodunensi, qui *utrum extiterint, dubitari merito potest*.

P. Joannes Baptista Sollerius tom. 6. Junii Boll. part. 1. in append. ad diem VI. Junii rejicit & ipse Henschenii opinionem, tum sibi persuadet, *Nividuni*, *Niveduni*, *Noveduni* vocabulo aliam in Pyrenæis urbem significari, ubi SS. martyres, qui die 4. & 6. Junii coluntur, pro Christiana religionem vitam profuderint; de qua Sollerii nova excogitatione non pugno. Duo tamen sunt quæ minus vere ab illo asseri video; alterum hosce tantum martyres in martyrologiis passos dici *Nividuni*, aut *Niveduni*, nam & in iis qui ad mensem Septembrem spectant, eadem legitur loci designatio; alterum, hac die Junii 4. & 6. constanter in antiquis Codicibus *Nividunum*, *Nivedunum*, *Nevedunum*, nunquam *Novedunum*, *Noviodunum aut Niviodunum* efferri; quippe Henschenius & *Novidunum & Novodunum* e martyrologiis mss. nominat. Quidnam iccirco in tanta varietate rei, de qua agitur, atque incertitudine sentiendum est? nimirum de loco, in quo Martyres hi mortem pro Christo obierunt, nihil certi constitui posse; & Baronii, qui martyres mox laudatos ad diem Junii sextam Novieduni in Gallia extinctos scribit, ac Farlati sententia, qui pro martyribus die Junii quarta notatis Novidunum in Pannonia præfert, nulla nititur probabili ratione; ac demum Noviodunenses hosce martyres e nostro Hagiologio esse sejungendos putamus, uti & postremos, quorum nomina inscripta sunt die 17. Septembris scilicet Valerianum, Macrinum & Gordianum. Hos Baronius suo tribuit

No-

Digitized by Google

Novioduno; dubitat Farlatus, anceps est Stiltingus hac die Septembris Bolland. ad Gallias ne, an ad Pannoniam pertineant; & in martyrologiis diversa est urbis, in qua mortui sunt, *Neveduni*, *Niveduni*, *Novioduni*, descriptio; quo fit, ut in eadem nos dubitatione merito versemur. Atque de consilio nostro in hac Illyrici martyrologii editione ideo disseruimus aliquanto distinctius copiosiusque, nequis præpropero judicio ullam in nobis negligentiam arguat, neve caussas improbet susceptæ deliberationis.

Unum superest, quod heic adjiciam non necessarium quidem, sed pro liberanda fide P. Danielis Farlati, qui in prioris tomi præfatione pollicitus est, se, cum prælo subjiciendum esset Illyricum martyrologium, monumenta editurum, queis vita P. Philippi Riceputi debita laude meritisque elogiis ornata posterorum memoriæ commendaretur. Et de illo quidem in præfatione fere tota, ejusque ingenio, eruditione ingentibusque laboribus in condenda Illyrica historia æque vere, ac magnifice adeo prælocutus est, ut nihil ad ejus honoris gloriæque cumulum deesse videatur. Præstat tamen tanti viri acta per annorum seriem breviter complecti; ut unde totum hujus historiæ corpus initium habuit, eo etiam post longum studiorum ac temporis cursum cum sui auctoris laudabili recordatione terminetur. P. Philippus Forolivii natus est honesto genere idibus Juliis an. 1667. Adolescens eximiam præsetulit pietatem; & humanioribus litteris, gravibusque disciplinis probe excultus clericali militiæ nomen dedit; quo tempore & anno 1682. cum in Rethoricæ studiis versaretur, id accidit quod ipse postea Clementi XI. Pontifici Maximo candide aperuit eidemque Pontifici miro divini consilii ductu evenisse visum. Nam in describendo, Vindobonæ cum esset, antiqui olim, ut ferunt, Illyrici cujusdam urbis nomine, nescio quo modo cum ab eo erratum fuisset, hoc errato ad veteres scrutandos Scriptores incitatus ex earum lectione sensit innasci sibi Illyricæ historicæ ideam, quam conceptam animo tamdiu fovit, auxitque meditatione, dum in lucem palam edita est, eoque parente, atque altore in opus deinde perfectum crevit maximo divinæ gloriæ augmento, nec minori Catholicæ Ecclesiæ utilitate. Anno 1693. sacris ordinibus initiatus est, annoque post Maceratam venit, quem perhonorificis litteris prosecutus est Joannes Rasponus Episcopus Foroliviensis; atque in ea urbe Seminario Episcopali præfuit, illiusque alumnos Rethoricam docuit; tum a secretis in litteris latinis scribendis adfuit Fabricio Pauluccio ejusdem urbis Episcopo & Cardinali. Brevissima tamen Maceratensis commoratio fuit. Pauluccius enim in Germaniam Internuncii Pontificii nomine atque auctoritate legatus eum sibi comitem legationis adscivit, quippe cui carus inprimis esset morum innocentia, religione, & prudenti in rebus agendis dexteritate. Itaque anno 1695. Macerata discedens legati iter ejus jussu prævenit Vindobonam usque. Hic, mutato vitæ consilio, ac Deo certe impellente, quam diu aluerat mente ineundæ Societatis Jesu voluntatem, exsequi demum statuit, ipsoque anno, Pauluccii libentissimo adsensu, in eum Ordinem cooptatus est; ac tyrocinio expleto, & undecim fere annorum emenso per diversa Ordinis ministeria curriculo, solemnia Societatis vota Flumii nuncupavit anno 1706. Tum Philippus liberrimum sibi videns patere campum, in quo cogitationes, curæque omnes & studia de condenda Illyrica historia nullo vagarentur impedimento, eo vires animi ingeniique intendit tanto ferventius, quanto ejus consilia atque conatus tum a domesticis, tum ab externis eruditis hominibus probari magis intelligebat. Et, quamvis sui status nunquam oblitus Goritiæ, Flumii, Tergesti officia omnia, quæ virum Societatis apprime decent, alacriter sancteque obiret crebris ad populum concionibus, piis sodalitiis regendis, & Pœnitentiæ Sacramentum administrando, sacris etiam moderandis virginibus, earumque cœnobiis ad veterem sanctioremque disciplinam revocandis, attamen temporis tantum nanciscebatur quotidie, quantum primæ Illyricorum monumentorum collectioni satis esse potuit. Verum suæ indulgendi cupiditati facilior ei oblata est occasio, & felicior an. 1708., quo jussu Præpositi Ordinis Generalis Apostolicis in Dalmatia missionibus fungi cœpit, quarum parens & conditor jure sane optimo debet haberi, suisque laboribus, & consecuta apud Dalmatas de Societate Jesu existimatione viam cæteris aperuit, qui, dum Societas stetit, vineam illam Dominicam egregie excoluerunt. Dum igitur colligendæ animarum me si in uberrimo agro impense vacabat, segetis etiam, quam adunaverat, rerum Illyricarum augendæ curam adhibuit adeo sedulam, atque sollertem, ut Illyrici operis fundamenta præsto esse jam viderentur, iisque manum cæperit admovere. Quare patefacto in vulgus eruditorum consilio hujus conficiendæ historiæ, & a P. Angelo Tamburino supremo Societatis Moderatore plene cumulateque approbato, ejus auctoritate Patavium venit an. 1716. qua in urbe scientiarum, doctissimorumque virorum nobilissima sede domicilium figeret, & historiæ Illyricæ unice elaborandæ totus se devoveret. Neque hic opus est, ut repe-

repetita sæpe in Dalmatiam, & crebra per Italiam Philippi itinera commemorem, quot ab eo suscepti labores, quot opes in thesaurum Illyricæ eruditionis delatæ, quot demum cum litteratis hominibus habitæ consultationes pro designanda ordinandaque tanti operis mole; hæc enim in laudata præfatione abunde enarrat Farlatus. Unum non est silentio prætermittendum, quod historiæ huic ejusque auctori magnam tribuit honoris accessionem. Etenim Clemens XI. Pontifex Maximus e Familia Albana Romæ principe, quam haud ambiguis monumentis constat ex Albania Illyrica avitam trahere originem, primus ipse huic condendæ historiæ animum ante applicuerat, quam ad Pontificatum ascenderet; atque ubi illi primum innotuit Philippi consilium, lætitia gestiit optimus Pontifex, ipsique Philippo in sui conspectum admisso perhonorificis amantissimisque verbis non solum suasor fuit, & impulsor operis, & approbator, sed quidquid etiam monumentorum de rebus Illyricis ab se docte eruditeque collectum servabat, eidem munifice est elargitus; deinde Romana archiva libere illi patere jussit, ac, dum vixit, qua favore, qua muneribus, qua commendatitiis epistolis Philippo animos addidit, ursit opus vehementer, ejusque maxime patrocinio celerius cæpit exoriri; ut pœne dixerim, Illyrici Sacri non fautorem tantummodo, sed & parentem hunc Pontificem doctrina & sapientia illustrem extitisse. Clementis exemplum secuti sunt præstantissimi dignitate, doctrina & eruditione viri, qui consilio, patrocinio, pecunia, & suppeditata e Bibliothecarum & archivorum loculis ingenti rerum Illyricarum supellectile ex Italia, Dalmatia, Istria, Chrobatia aliisque regionibus P. Philippi juvere studia animumque per se calentem magis incenderunt ad persequendum opus adeo, ut in illud litteratorum, qui tum maxime florebant, hominum universitas visa sit conspirasse, quos inter Cardinales Paullucius, Corradinus & Stampa eminent, Stephanus Cupillus Spalatensis Archiepiscopus piisimis gestis suis venerabilis, Episcopi non ita pauci, atque e Venetis Aloysius Pisanus Dux, Joannes Franciscus Maurocenus Eques, Petrus Garzonius, &, qui Reipublicæ postea præfuit, doctissimus Marcus Fuscarenus, tum Apostolus Zenus, & Nicolaus Coletus patruus meus, quos, ut omittam cæteros, grati animi obsequio æquum est nominare, cum de illorum in hanc historiam meritis nuspiam in editis Tomis mentio inciderit; idque eorum ad Riceputum & Farlatum litteræ diu penes me servatæ testantur, sed furtim sublatæ postea sunt. Nec in tanta, qua Philippus clarebat, apud sapientes existimatione, quidquam detrimenti passa aut imminuta est mira hominis modestia, atque animi religiosa demissio, qua de se nihil magnum, nihil elatum sensit unquam, solitus sua omnia aliorum subjicere judicio, præsertim, quæ ad Illyricam rem spectabant, ad discendum promptissimus, & docendi ostentationem abhorrens. Nam, ut de virtutibus ejus pauca dicam, incredibilis in eo patientia eluxit adversus operis, quod moliebatur, infensissimos oppugnatores, quos nec paucos nec debiles expertus est; magnorum quippe facinorum comes invidia, & malevolentia aut ea evertere nititur, aut, si nequit, livido dente lacerare; verum vicit utramque Philippi constantia; Deique providam in ejus regendis consiliis voluntatem comprobavit eventus; eum & ante obitum malevolorum obtrectationibus liberatus est, & opus Illyricum felici tandem exitu typis evulgatum est; ipse vero etiam posterorum judicio maxima nominis gloria, quam semper despexit, hactenus commendatur. Societatis instituta, legesque etiam minimas sancte servabat, quocunque in loco consisteret, præcipue ea, quæ religionis, quæque pietatis in Deum erant, suetus quotidie ad meridiem divina mysteria postremus omnium peragere; cibi parsimoniam coluit singularem, in somno etiam parcus, ut nocturni diurnique temporis ne minusculum quidem punctum alio distraheret ab summis studiorum suorum occupationibus. Quamvis tamen munus illud potissimum hujus describendæ historiæ ei fuisset impositum, a curanda animarum salute nunquam sese abstinuit, & in Patavina plurium annorum commoratione nihil habuit antiquius ad extremum usque spiritum, quam pauperum, & rusticorum hominum cultui Christiano sedulo adesse, pœnitentes excipere peramanter, & morituris, quoties advocaretur, suprema præbere religionis officia. Quæ sane veræ virtutis solidam effigiem in Philippo exhibent, cui id unum in integro vitæ cursu propositum fuit, ut totum se in Divini nominis honorem, Ecclesiæ utilitatem, & animorum curam impenderet. Atque ad annum usque 1742. suæque ætatis circiter tertium supra septuagesimum hanc vivendi agendique consuetudinem constantissime tenuit; quo tempore Danieli Farlato Illyricum negotium gerendum omnino commisit eo evento, quod omnium spem atque expectationem superavit, & Farlatum ipsum cumulatissima laude apud eruditos quoslibet, & doctos viros illustrat. Paullo post Philippus piissi-

Digitized by Google

mam mortem obivit, vir ad res magnas natus aptusque, cuique Natio, & Ecclesia Illyrica æternas grates debet, æternamque debebit Illyrici nominis celebritatem. Habes, lector optime, quæ de hoc martyrologio, deque ejus primo auctore breviter erant declaranda; atque in iis quidquid vel corrigi, vel addi, vel detrahi oporteat, nihil mihi arrogans præter ingenii viriumque imbecillitatem, gnaris rerum hujusmodi ac peritis cognoscendum atque dijudicandum lubentissime permitto.



Digitized by Google

MARTYROLOGIUM ILLYRICUM.

JANUARIUS.

1 *Kalendis Januarii*.

Circumcisio Domini nostri Jesu Christi, & Octava Nativitatis ejusdem.

2 *Quarto Nonas Januarii*.

(1) Tomia in Ponto sanctorum martyrum Argæi, Narcissi, Marcellini fratrum, qui, Licinio Imperatore, gladio interempti sunt.

3 *Tertio Nonas Januarii*. Vacat.

4 *Pridie Nonas Januarii*.

In Creta Natalia S. Titi genere ac patria Cretensis, qui primum Christi & Apostolorum discipulus, deinde Paulli socius, idemque interpres, atque adjutor in religione Christiana propaganda, (2) missus ab eodem Paullo in eam Illyrici partem, quæ ad solem occidentem vergit, primus omnium ecclesiam Christi haud sane ignobilem, & frequentem aggregavit. Is summo Dei beneficio illis gentibus natus universam Dalmatiam lustravit, permultos Christianis præceptis ac mysteriis imbuit, sacerdotes consecravit, rei Christianæ curatores ferme ubique constituit, omnia denique præclare, quæ sui muneris essent, ex Paulli præscripto & sententia gessit; ut jure meritoque primus Dalmatiæ Apostolus, & Episcopus, quamvis nulli civitati affixus, dicendus sit, qui tam illustris ac omnium linguis ac litteris celebratæ Ecclesiæ fundamenta jecit.

5 *Nonis Januarii*. Vacat.

6 *Octavo Idus Januarii*.

Epiphania Domini.

7 *Septimo Idus Januarii*.

In Dacia (3) S. Nicetæ Episcopi, qui feras & barbaras gentes Evangelii prædicatione mites reddidit ac mansuetas.

8 *Sexto Idus Januarii*.

Nonæ. S. (4) Ambrosii hujus Ecclesiæ Diaconi, ac urbis Patroni primarii. Venetiis. S. Laurentius Justinianus primus Venetiarum Patriarcha, & Dalmatiæ (5) Primas, qui annum

---

(1) De his in tomo 8. in Appendice de Ecclesia Tomitana nunc subjecta metropoli Marcianopolitanæ.

(2) De Dalmatico Titi Apostolatu fuse disserit Farlatus Tom. 1. Illyrici Sac. pag. 370. quem an. Christi 55. susceptum sexennio post dimisit, ut in Cretam rediret insulam ac provinciam sibi antea a Paullo commissam, ubi senio ac laboribus confectus, cum quartum & nonagesimum annum explevisset, Gorasnæ sanctissime obit anno Christi 106. ibique perhonorifice sepultus miraculis claruit, & ab indigenis juxta advenisque eximia veneratione celebrari colique cœpit. Sacrum Titi caput, quod Candiæ in Archiepiscopali Cretæ urbe, hujusque principe templo integrum servabatur, capta direptaque a Turcis insula, Venetias translatum fuit, ac depositum in Thesauro Marciano, & Senatus consulto constitutum est, ut quotannis hac die in Basilica D. Marci spectandum & venerandum populo proponatur; de reliquo ejus corpore quid factum sit, plane incompertum. De S. Tito agunt plura Martyrologia ad hunc diem, quo a Latinis colitur; Græci ejus festum celebrant die vigesima quinta Augusti, Copti die duodevigesima Martii. Exstat Andreæ Cretensis oratio de laudibus B. Titi, cujus magnam partem habes apud Farlatum laudato in loco pag. 364. & 388.

(3) Daciam Aureliani utramque complectitur Illyricum nostrum, scilicet Ripensem & Mediterraneam, ut est a Justiniano Imper. suis terminis definitum. Postrema hæc pars est Illyrici sacri, in qua & de Niceta egimus tom. hoc VIII.; de eo Bollandus hac die; etsi pauca memoriæ supersint de illius vita, præter ea quæ scribit S. Paullinus Ep. Nolanus. Hunc Baronius eumdem esse autumat ac Nicetas Aquilejensis Antistes, in cujus Ecclesiæ Fastis celebratur die Junii vicesima secunda. Sed alterum ab altero distingui oportere erudite probat Godefridus Henschenius in Tom. 4. Junii Bollandiani, qui Nicetæ seu Niceæ nostri Sedem Episcopalem recte constituit urbem Romesianam inter Sardicam & Naissum positam in Dacia mediterranea.

(4) De S. Ambrosio vide inferius VII. Kal. Septembris, ubi de S. Anselmo Episcopo Nonensi.

(5) De Primatu Dalmatiæ Patriarchis Venetiarum attributo non est hic inquirendi disceptandive locus; & Spalatenses quidem Archiepiscopi ab ipsis Dalmaticæ Ecclesiæ primordiis illum sibi vindicant, retinentque post Salonitanæ urbis excidium, Iadrensis tamen Ecclesia & Provincia Patriarchæ Veneto paruisse videtur ex litteris Maphæi Valaressi Archiepiscopi Iadrensis ad ipsum Laurentium Justinianum datis an. 1455. quas habes in Tom. 5. Illyr. Sacr. pag. 613.

Digitized by Google

num natus quartum supra septuagesimum, cum Ecclesiam, ovesque sibi creditas eximia charitate, & continua sollicitudine rexisset, virtutibus, rebusque gestis clarissimus, apud suos atque exteros, principes maxime viros & totam pœne per Europam summo in honore habitus, jejuniis, vigiliis, omnique vitæ asperitate confectus sanctissime obiit; miraculis postea, solemni Catholicæ Ecclesiæ cultu, librisque piissimis ad religionem, pietatem, omnemque cujusvis status perfectionem fovendam ab ipso scriptis toto orbe vere conspicuus.

9 *Quinto Idus Januarii.* Vacat.

10 *Quarto Idus Januarii.*

In (1) Monasterio Cuxanensi Natalis (2) S. Petri Urseoli Confessoris, antea Venetiarum Ducis, ac deinde Monachi Ordinis S. Benedicti pietate & virtutibus clari, cujus Festum XIX. Kal. Februarii recolitur. Hic post exactum ad omnes religionis ac pietatis leges Ducalis vitæ cursum divino instinctu se Principatu abdicavit, clamque aufugiens in Aquitaniam ad Cuxanense Monasterium pervenit. Ibi a Monachis exceptus illorum disciplinæ se penitus imbuendum tradidit, tantumque sanctimonia morum profecit, ut omnes quovis virtutum exemplo antecelleret. Quare & suis, & cunctis late incolis admirationem movit, omniumque in se, veluti absolutum sanctitatis exemplar, voluntates, studia, & obsequia convertit. Qui tamen sibi demississimus, pœnitentia asperrimus, in cæteros patientia & charitate mire benignus hora nona diei decimæ Januarii inter Monachorum lacrymas & amplexus, quos dulci alloquio, & paterna exhortatione solatus est, placidissime obiit anno nonagesimo septimo supra nongentesimum. Nec multo post cœlesti in gloria visus est a pio quodam Monacho inter innumeros Angelorum, Divorumque choros, Deo sancti viri merita pluribus testante prodigiis; ejusque corpus solemni obsequio & cultu in Ecclesiam Monasterii, & in nobile sepulchrum delatum fuit, ubi pluribus abhinc sæculis perenni incolarum, finitimorumque populorum veneratione honoratur.

11 *Tertio Idus Januarii.* Vacat.

12 *Pridie Idus Januarii.* Vacat.

13 *Idibus Januarii.*

Singiduni in Pannonia SS. Martyres Hermylus Diaconus, & Stratonicus Commentariensis (3) sub Licinio Imperatore in Istrum flumen demersi, & prope Singidunum sepulti. Prope Tragurium (4) B. Nicolai ex Ord. Prædicat. omnium virtutum splendore, & signorum gloria admirabilis.

14 *Decimo nono Kalendas Februarii.*

In Herzegovina in Cænobio Milescevo (5) Natalis S. Sabbæ Archiepiscopi Serbiæ, qui haud minus virtutibus, quam regio genere illustris Serbiensem Ecclesiam plures annos sanctissime rexit, & Catholicis doctrinis instituit.

15 *Decimo octavo Kalendas Februarii.*

Iadiæ, Festum (6) solemne S. Anastasiæ martyris.

16 *Do-*

(1) Monasterium Cuxanense S. Michaelis Ordinis S. Benedicti in Aquitania situm adhuc Monachis disciplina ac pietate illustribus claret, ubi Petri corpus perhonorifice quiescit.

(2) Petri vitam in Ducatu piissimam, in monasterio vere sanctam tum Veneti, tum externi Scriptores summis laudibus efferunt, quo effectum, ut Clemens XII. P. M. & ejus memoriam Martyrologio Romano hac die inscribi jusserit, & diem festum Venetiis, totaque in Veneta ditione celebrari die XIV. Januarii. Crus ejus dexterum a Monachis Cuxanensibus dono datum Reipublicæ Venetæ, & magnifico in loculo Senatus jussu inter sacra Lipsana Marcianæ Basilicæ conditum quotannis visendum proponitur piæ populi frequentiæ.

(3) De his plura apud Baronium in Martyrol. & Bollandum ad hunc diem. Nos fusius in historia Ecclesiæ Singidunensis. Pridie hujus diei memorantur a Galesinio & aliis. Singidunum urbs olim Episcopalis in Mæsia Superiore, postea eversa; nunc ejus loco Belgradum ad Danubium; uti probat Salagius lib. 3. de statu Ecclesiæ Pannonicæ. De Ecclesia Singidunensi Tom. 7. & de Belgradensi agimus hoc tom. 8.

(4) Natione Dalmata, e familia Milinovichia, & Cœnobii Dominicani S. Crucis ad Tragurium Fundator, in quo sanctissime obiit; ejus sepulchrum Dæmonibus energumenos obsidentibus terribile; ex hist. Provinc. Dalm. P. Antonii Cebalis Ord. Præd.

(5) Celebris apud Serblos memoria S. Sabbæ, a quo Herzegovinæ in Dalmatia cognomen inditum *Ducatus S. Sabbæ*. Ejus meminere Tomcus Marnavitius, & ex eo Bollandus hoc die. Vitam S. Sabbæ nuperrime edidit, pieque & erudite illustravit nobilis vir Joannes Joseph Paulovich Lucich Canonicus Maccarensis. Ejus corpus integrum & incorruptum per IV. fere sæcula a Turcis igne absumptum fuit an. 1595. cum Cœnobio Milescevo; vide hic Appendicem ad Ecclesiam Scopiensem

(6) Colitur hodie a Iadrensibus solemni ritu Anastasia, urbis Patrona, & diœcesis, cujus titulo dedicata est Ecclesia Metropolitana, illiusque sacræ exuviæ Sirmio primum Cpolim, dein Constantinopoli Jaderam delatæ sunt a S. Donato Episcopo Iadrensi. Hæc senior ne Anastasia, quæ sub Valeriano, an junior, quæ Diocletiano Imp. Sirmii passa dicitur, controversis est inter Scriptores. Sed

Far-

Digitized by Google

16 *Decimoseptimo Kalendas Februarii.*

Aulone in nova Epiro (1) S. Danactis Martyris, qui Clericus Ecclesiæ Aulonensis, cum sacra vasa alio deferret, ne ab infidelium incursione polluerentur, quodam in loco ab illis deprehensus jussus est Baccho sacrificare. Sed cum id ut ageret, induci non posset, gladiis confossus occubuit.

17 *Decimosexto Kalendas Februarii.* Vacat.

18 *Decimoquinto Kalendas Februarii.*

Cathedra S. Petri Apostoli, cum primum Romæ sedit. In Pannonia in Insula Leporum B. (2) Margaritæ Virginis filiæ Belæ IV. Hungariæ regis, ex Ordine Prædicatorum, humilitate præsertim, ac cœlestibus donis conspicuæ.

19 *Decimoquarto Kalendas Februarii.* Vacat.

20 *Decimotertio Kalendas Februarii.* Vacat.

21 *Duodecimo Kalendas Februarii.*

Athenis natale S. Publii (3) Episcopi, qui postquam Atheniensem rexisset Ecclesiam, præclarus virtutibus ac doctrina præfulgens ob Christi fidem martyrio coronatus est.

22 *Undecimo Kalendas Februarii.*

In Bulgaria (4) SS. Manuelis, Georgii, Petri, Leonis Episcoporum, Parodi Presbyteri, Joannis, Leonis Tribunorum, Gabrielis, Sionii cum aliis CCCLXXVII. & pluribus aliis, qui a Bulgarorum Tyranno ob Christianam religionem variis affecti tormentis crudeliter obtruncati sunt.

23 *Decimo Kalendas Februarii.*

Hierosolymis, Desponsatio B. Mariæ Virginis Dei Genetricis.

24 *Nono Kalendas Februarii.*

Natalis (5) S. Timothei discipuli B. Pauli Apostoli, qui post apostolicas per Illyricum excursiones ab eodem Ephesi ordinatus Episcopus, & multis pro Christo toleratis ærumnis, cum Dianæ immolantes argueret, lapidibus obrutus paullo post obdormivit in Domino. Forolivii in Æmilia, B. (6) Marcolini Ord. Prædic. qui eximiis virtutibus & cœlestibus donis mirifice enituit, de Dominicana Familia in Italia & Dalmatia optime meritus.

25 *Octavo Kalendas Februarii.*

Ca-

Farlati sententiam sequamur licet; is enim egregie pre Juniore disserit tom. v. Illyr. Sac. licet Antonius Maria Bonuccius integro volumine probare satagat, Juniorem Anastasiam Romæ, non Sirmii martyrium oppetiisse. Hujusmodi quæstio in Episcopis Sirmiensibus tractata est. Certum interea illud est, Anastasiam Iaderæ cultam esse eamdem, quæ in Martyrologiis nominatur VIII. Kal. Januarias; sed propter solemnia Jesu Christi natalitia in hunc diem festa illius memoria transfertur, & in diem hujus mensis 28. a Metropolitana Ecclesia Spalatensi.

(1) De Danacte agunt Menæa hodie, Maximus Cythereus, & Bollandus. Idem fortasse est, qui cum aliis SS. Martyribus colebatur die VI. Maii Cpoli in Martyrio, seu Sacello eorum nominibus dicato; v. Bolland. Tom. 2. Maii & tom. 7. Illyr. Sacr. Aulon civitas Episcopalis in Albania, nunc la Vallona.

(2) Bela IV. Hungariæ rex Margaritæ parens in Dalmatia imperium tenuit, ejusque nomen, religio ac pietas memoria apud posteros dignissima extitere; de eo sæpe mentio in Illyr. Sacr. De Margarita vero copiose disserit Bollandus hac die; obiit an. 1270. Nuper vero Pius VII. P. M. Margaritam solemni honore rituque colendam decrevit ab universo Ordine Dominicano.

(3) E Melita Dalmatica oriundum & hujus insulæ Dominum fuisse, eumdemque, quem Paullus Apostolus eo appulsus ad Christi Fidem convertit, dictum jam Tom. 1. Illyr. Sacr. pag. 264. & Melitam Paullino naufragio celebrem, non Aphricanam, sed Illyricam eam esse sub Ragusina ditione affirmare licet cum gravissimis Scriptoribus. Episcopus Melitensis dicitur in vetustis martyrologiis, sed Regionarium solummodo crediderim per vicina Melitæ loca, antequam in Atheniensi Sede consisteret; vide & Baronium tom. 1. Annal. & in suo martyrologio hac die.

(4) Passi sunt hi Christi Martyres sub initio sæculi IX. e quibus Georgius erat Debelti Episcopus in Bulgaria captivus, reliqui omnes quo loco, qua gente nati ignotum omnino est. Baronius in Annalibus ad annum 813. Bollandus hac die nonnulla congessere ex Scriptoribus Græcis, quæ ad hosce Martyres spectant, v. Tom. VIII. Historiæ nostræ ubi de Ecclesia Debelti.

(5) De Illyrico Timothei Apostolatu v. tom. 1. Illyrici Sacri.

(6) Sæculo XIV. inter Dominicanos mira sanctitate floruit. Erat Foroliviensis patria, qua in urbe an. 1496. e vita decessit. A Magistro sui Ordinis supremo Ragusium missus est, ut Cœnobiticam disciplinam restitueret inter Sodales suos, quo tempore plurimum profuit etiam Ragusinis civibus virtutum splendore, ac sermonum gratia. In Italiam reversus Forolivium secessit; ac paullo post obitum tot tantisque prodigiis ejus ope patratis ornari cæpit, ut publico Beati viri cultu illum tota civitas venerata sit, eumque nunquam interruptum Benedictus XIV. P. M. suo diplomate probavit. De B. Marcolini gestis plures scripsere e Dominic. Patribus; ejusque luculentissimum elogium habes tom. 7. monum. Eccl. Ven. pag. 185.

Nata-

Digitized by Google

Cathari, Festum (1) B. Osannæ Virginis Dominicani instituti, cujus Corpus integrum olim in Æde S. Paulli, nunc in Æde S. Mariæ Fluminis, & maximo ex urbe & agro, & finitimis locis concursu colitur.

(2) Conversio sancti Paulli Apostoli.

26 *Septimo Kalendas Februarii.* Vacat.

27 *Sexto Kalendas Februarii.*

(3) Soræ S. Juliani M., qui in persecutione Antonini comprehensus, cum idolorum templum, dum ipse torqueretur, corruisset, truncato capite martyrii coronam accepit.

28 *Quinto Kalendas Februarii.*

(4) Auxeri, Inventio & Translatio Corporis S. Gaudentii Episcopi Absorensis, seu Auxerensis. In Bosna, B. (5) Peregrini de Pannonia Ordinis S. Francisci, & Episcopi Bosnensis, cujus virtus in propaganda per Bosniam Catholica Fide maxime enituit. Aquisgrani, B. (6) Caroli Imperatoris, cognomento Magni, qui in Pannonias usque & Dalmatiam dilatato imperio & Hunnis Slavisque devictis, Catholica Fide per ea loca studiosissime ampliata, anno quartodecimo imperii, & ætatis septuagesimo primo transivit ad Dominum.

29 *Quarto Kalendas Februarii.*

Crepsi in diœcesi Absorensi, (7) B. Michaelis Albanensis vitæ austeritate & prodigiis spectabilis.

30 *Tertio Kalendas Februarii.* Vacat.

31 *Pridie Kalendas Februari.* Vacat.

FEBRUARIUS.

1 *Kalendis Februarii.*

NAtalis S. Ignatii Ep. & martyris, qui tertius post B. Apostolum Petrum Antiochenam rexit Ecclesiam, atque in persecutione Trajani damnatus ab bestias, & Romam in vinculis missus, cum Neapolim in Macedonia appulisset, inde terrestri itinere (8) per Epirum novam transiens hanc Illyrici partem præsentia, verbo, ac fama sanctitatis illustravit, firmavitque in Christi Fide. Inde Dyrrhachio Romam pervenit, ubi leonis objicitur, eorumque dentibus præfocatus purissima Christi hostia effici meruit.

2 *Quarto Nonas Februarii.*

Purificatio B. Mariæ Virginis. Cæsareæ in Palæstina sancti (9) Cornelii Centurionis, quem B. Petrus Apostolus baptizavit; & apud præfatam urbem Episcopali honore sublimavit.

3 *Tertio Nonas Februarii.* Vacat.

4 *Pri-*

---

(1) Natalis dies B. Osannæ est vicesimus septimus Aprilis, ubi iterum mentio de illa; hodie tamen a Catharensibus annua festivitate celebratur.

(2) Hic dies universæ Christi Ecclesiæ faustissimus ob immensam Dei pietatem in electione tanti Apostoli, hujusque ingentia merita in ea propaganda & instruenda, Illyricæ potissimum genti lætus festusque esse debet, cum Paullus proprius & peculiaris totius Illyrici Apostolus fuerit, uti animadvertimus Tom. 1. Illyr. Sacr.

(3) Hæc ex Romano Baronii martyrologio, qui subjicit; *restituitur*, scilicet nomen Juliani, *ex martyrologio basilicæ Vaticanæ. Viget in Sorana civitate ejus martyris memoria eo in loco, ubi martyrium passus dicitur. Habentur illic & ejusdem martyris acta mss.* In actis a Bollando editis ad hunc diem in tom. 2. Jannarii dicitur natione Dalmata, sed cujus provinciæ ac urbis ignotum; qui inde in Italiam adveniens Soræ in Campania constitit, ibique martyrii coronam adeptus est. Ejus corpus in crypta veteris templi repertum ad Ecclesiam Spiritus S. solemni pompa translatum est die 6. Aprilis an. 1614. ex Tuzio in monum. histor. Soranæ pag. 218.

(4) Inventi & translati Corporis S. Gaudentii historiam fuse narrat Farlatus in Tom. v. Illyr. Sacr. pag. 191.

(5) Habes acta B. Peregrini in Tom. iv. Illyr. Sacr. pag. 60. inter Episcopos Bosnenses; de illo & Arturus in Martyrol. Francisc.

(6) Hac die colitur Carolus M. ab Ecclesia Zagrabiensi. Insignia hujus Imperatoris gesta, & præclara in rempublicam Christianam merita Scriptores fere omnes summis laudibus extollunt. De iis, quæ ad Dalmatiam spectant, nonnulla attigimus in S. Donato Ep. Jadrensi Tom. v. Operis nostri. v. Boll. Tom. 2. Jan.

(7) Arturus in Martyrol. Francisc., *Socius fuit in austeritate vitæ & peregrinatione B. Joannis Albanensis, de quo 13. Augusti: qui sanctitate & prodigiis fulgidus jacet Chersi, sive Cheronesii. V. Pisanum lib. 1. Conformitatum fructu 5. part. 2. in prov. Dalm., Gonzagam 1. part. Orig. Seraph. Tossinianum* l. 1. *Hist. Seraph. Picquetum in catal. vir. illustr. Ord. Seraph. & Vaddingum Tom. 4. an.* 1351. §. 5. *& an.* 1399. §. 55. Erat natione Albanensis; sed fallitur Arturus, cum Chersum & Cheronesium unum eumdemque esse locum autumat; nam Cherronesus oppidum est Hispaniæ Tarraconensis; Chersum vero seu Crepsum ad Dalmatiam pertinet in Absorensi diœcesi.

(8) Divi Ignatii per Epirum novam transitus probatur ex actis sinceris ejus martyrii apud Ruinartium; qua de re breviter disseruimus etiam in Tom. 1. Illyrici Sacr. p. 3. proleg.

(9) Hunc natione Illyricum, patria Sisciensem fuis-

Digitized by Google

4 *Pridie Nonas Februarii.* Vacat.

5 *Nonis Februarii.* Vacat.

6 *Octavo Idus Februarii.* Vacat.

7 *Septimo Idus Februarii.* Vacat.

8 *Sexto Idus Februarii.* Vacat.

9 *Quinto Idus Februarii.* Vacat.

10 *Quarto Idus Februarii.* Vacat.

11 *Tertio Idus Februarii.* Vacat.

12 *Pridie Idus Februarii.*

Bidini (1) in Bulgaria, passio beatorum (2) Gregorii & sociorum ejus, qui ab hæreticis Græcis pro confessione orthodoxæ fidei in frusta conscissi ac discerpti glorioso martyrio triumpharunt.

13 *Idibus Februarii.* Vacat.

14 *Decimosexto Kalendas Martii.* Vacat.

15 *Decimoquinto Kalendas Martii.* Vacat.

16 *Decimoquarto Kalendas Martii.* Vacat.

17 *Decimotertio Kalendas Martii.* Vacat.

18 *Duodecimo Kalendas Martii.*

Apud Ostia Tiberiana SS. MM. (3) Maximi & Claudii fratrum, & Prœpedignæ uxoris Claudii cum duobus filiis Alexandro & Cuthia, qui cum essent ex genere Diocletiani, eodem Imperatore jubente, in exsilium deportati, & incendio absumpti fuerunt; quorum reliquiæ in flumen projectæ, & a Christianis conquisitæ juxta eamdem civitatem sepultæ sunt. Romæ, Constantiæ (4) Constantini M. filiæ, quæ ope S. Agnetis e diutino morbo convalescens & Christianam fidem secuta reliquum vitæ tempus piis operibus insumpsit, & sanctissime obiit, in via Nomentana ad Cæmeterium S. Agnetis sepulta.

19 *Undecimo Kalendas Martii.*

Romæ. Natalis S. Gabinii (5) Presbyteri & Martyris.

20 *Decimo Kalendas Martii.* Vacat.

21 *Nono Kalendas Martii.* Vacat.

22 *Octavo Kalendas Martii.*

Antiochiæ, Cathedra sancti Petri Apostoli, ubi primum discipuli cognominati sunt Christiani.

23 *Septimo Kalendas Martii.*

(6) Sirmii S. Sireni Monachi & Martyris. Ibidem LXXII. Martyres. Ibidem SS. Senerotes, Antigonus, Rutilus, Libius, Rogatianus.

24 *Sexto Kalendas Martii.*

In Judæa natalis sancti Matthiæ Apostoli, qui post Ascensionem Domini in locum Judæ pro-

---

fuisse, jam Tom. 1. Illyr. Sacr. pag. 264. satis probatum est Heszchii auctoritate in vita S. Clementis.

(1) Bidinum, in Mœsia superiore, nunc Vidin in Bulgaria sub Turcico imperio. v. Tom. 8.

(2) Gregorius a Jadera, quem alii a Tragurio, Dalmata ex Ordine Min. S. Francisci, vir profundissimæ humilitatis, & magnus fidei zelator, ac martyrio illustris an. 1369. De illo ejusque sociis Arturus in martyrologio, & Scriptores Franciscani fere omnes, vide Tom. 8. in Ecclesia Ternobensi.

(3) Horum Martyrum historiam illustrat Farlatus in Tom. 2. Illyr. Sacr. pag. 609. E secunda linea Gentis Valeriæ Salonitanæ eosdem fuisse probat pag. 351., nimirum Maximus & Claudius Diocletiani patrueles, & militari dignitate clarissimi fuerunt. Culti olim erant religioso honore & Romæ, & Ostiæ: nunc vero neque in Italia, neque in Dalmatia festa commemoratione celebrantur, quos æquum esset a Spalatensi Ecclesia debita religione donari.

(4) Patria Naissensis in Mœsia Superiore, unde Constantinus ejus pater ortum habuit. Romæ præcipue colitur, ubi plures ejus sacri corporis reliquiæ. De S. Constantia vide Bollandum in Tom. 3. Februarii ad hunc diem; & a nobis actum in Ecclesia Naissensi.

(5) Gabinius patria Salonitanus, frater S. Caji Romani Pontificis & Martyris, parens S. Susannæ V. & M. postea sacerdos factus virtutibus, doctrina, suoque sanguine Christianam religionem illustravit. Erat Diocletiano Imp. genere junctus ex secunda linea gentis Valeriæ Salonitanæ. Ejus corpus in Romana Æde S. Susannæ quiescit & colitur; acta vero in Tom. 2. Illyr. Sacr. pag. 565. leguntur fuse descripta.

(6) Sirmium nobilissima olim Pannoniæ urbs plurium Martyrum gloriatur triumphis. Sirenus Monachum professus sub Diocletiano occubuisse videtur, socios habuit alios 72. vel 61., ut alia ferunt Martyrologia, licet non eodem tempore martyrio coronatos, certe die eodem, quo & Senerotes cum suis peremptus est pro Christi fide. De his Bollandus in Tom. 3. Februarii ad hunc diem & nos tom. VII.

(1) Tri-

Digitized by Google

proditoris sorte electus, prædicato late Evangelio, etiam inter (1) Triballos & Dardanos, martyrium passus est.

25 *Quinto Kalendas Martii.*

Jaderæ (2) S. Donati Episcopi, & urbis Patroni, qui difficillimis temporibus sua Ecclesia sanctissime administrata, vistutibus æque ac meritis dives in pace quievit.

26 *Quarto Kalendas Martii.* Vacat.

27 *Tertio Kalendas Martii.* Vacat.

28 *Pridie Kalendas Martii.* Vacat.

MARTIUS.

1 *Kalendis Martii.* Vacat.

2 *Sexto Nonas Martii.* Vacat.

3 *Quinto Nonas Martii.* Vacat.

4 *Quarto Nonas Martii.* Vacat.

5 *Tertio Nonas Martii.* Vacat.

6 *Pridie Nonas Martii.* Vacat.

7 *Nonis Martii.* Vacat.

8 *Octavo Idus Martii.*

IN Dalmatia Beatorum (3) Martyrum duorum ac triginta ex Ordine Prædicatorum, qui profuso pro Catholica religione sanguine cælestem martyrii coronam consecuti sunt.

9 *Septimo Idus Martii.*

In Moravia (4) Sanctorum Cyrilli & Methodii, qui Slavorum gentes Apostolicis laboribus ad Christi fidem cultumque perduxerunt.

10 *Sexto Idus Martii.* Vacat.

11 *Quinto Idus Martii.* Vacat.

12 *Quarto Idus Martii.* Vacat.

13 *Tertio Idus Martii.* Vacat.

14 *Pridie Idus Martii.* Vacat.

15 *Idibus Martii.*

Dyrrhachii in Epiro, B. Antonii (5) ejusdem urbis Archiepiscopi, qui strenue in Evangelio laboravit & vitæ sanctitate emicuit.

16 *Decimoseptimo Kalendas Aprilis.*

Romæ, (6) Sanctæ Artemiæ virginis & martyris filiæ Diocletiani Imp. ob Christi confessionem martyrio coronatæ.

17 *Decimosexto Kalendas Aprilis.* Vacat.

18 De-

(1) Triballi Mœsiæ inferioris, Dardani superioris populi erant; & utramque provinciam complectitur Illyricum Justinianeum; Matthiæ autem in hæc loca excursio Apostolica non levi argumento probatur Tom. 1. Illyr. Sacr. part. 3. prolegom. pag. 254.

(2) Acta S. Donati relata sunt in Tom. v. Illyr. Sacr. ejusque cultui hic dies a Jadrensibus dicatus.

(3) Ex Diario Sacr. Dominic. Eosdem esse putamus, qui in Bosnia ab hæreticis Patarenis interfecti sunt, cum B. Joannes Theutonicus Bosnensi præerat Ecclesiæ. Vid. Tom. 4. Illyr. Sacr. pag. 51.

(4) Præter Baronium copiose de his disserit Godefridus Henschenius in Tom. 2. Martii Bolland. & Daniel Farlatus in Tom. 3. Illyr. Sacr., qui Serbliorum præcipue conversionem illis attribuit, pag. 64. Iis tamen gens Slavonica & Illyrica ritum debet divina Officia Mysteriaque celebrandi propria ipsorum lingua a Romanis Pontificibus probatum; & digni maxime sunt, qui summo honore ab Illyricis hominibus colantur, habeanturque veluti principes Nationis totius Patroni. Supremum diem Romæ obierunt, eorumque corporum reliquiæ quiescunt in Ecclesia S. Clementis P. & M. cujus corpus ipsi e Chersoneso Romam retulerant. In Ecclesia Ragusina coluntur die hujus mensis undecima.

(5) Hunc celebrant Marcus Ulyssipon. 2. part. Chron. Min. l. 9. c. 10. §. 1. Tossinianus l. 1. hist. Seraph. Gonzaga part. 1. orig. Seraph. relig. Picquetus in catal. viror. ill. Ord. Franc. Algezira in arbore Epilogica totius Ord. Francisc. Waddingus Tom. 3. annal. ad an. 1305. & Tom. 4. ad an. 1351. & 1399. demum Pisanus l. 1. Conformit. fructu 11. part. 2. tum fructu 8. part. 2. ubi de Fratr. Min. provinciæ Dalmatiæ hæc scribit. *In Duracio jacet F. Antonius Archiep. Duratii, qui ultra mare pluribus annis prædicavit Saracenis; demum obedientia factus est Archiep. Duratii. Hic mortem suam prædixit; sed mortuus cum esset indutus habitu & paramentis, & in Ecclesia Fratrum Minor. jaceret, corpus ejus incœpit sudare, & tantus fuit sudor, quod habitum & paramenta penetravit. Maneque sequenti super corpus ejus quidam pulcherrimus juvenis apparuit, numquam prius visus, qui coram populo orans vitam ejus a die nativitatis usque ad mortem recitavit: & post hæc disparuit, nunquam deinceps visus ab aliquo.* Floruit B. Antonius an. circ. 1380. v. tom. 7.

(6) Hunc diem cum Beda, aliisque Martyrologiis Artemiæ certamini tribuimus, de qua luculenter actum Tom. 2. Illyr. Sacr.

(1) Ex

Digitized by Google

18 *Decimoquinto Kalendas Aprilis*. Vacat.

19 *Decimoquarto Kalendas Aprilis*. Vacat.

20 *Decimotertio Kalendas Aprilis*.

B. Martini (1) Albani, qui in Ordine S. Benedicti laicus vitam egit sanctitate, & admirabili abstinentia illustrem. Lucæ in Etruria, B (2) Joannis Pistoriensis humilitate & scientia celebris, qui, bis recusata Episcopali dignitate, totus in populorum conversionem & salutem per Italiam, & aliquam Dalmatiæ partem constantissime incubuit usque ad finem vitæ.

21 *Duodecimo Kalendas Aprilis*. Vacat.

22 *Undecimo Kalendas Aprilis*. Vacat.

23 *Decimo Kalendas Aprilis*. Vacat.

24 *Nono Kalendas Aprilis*. Vacat.

25 *Octavo Kalendas Aprilis*.

Annunciatio B. Mariæ Virginis. Sirmii Natalis S. Irenæi (3) Ep. & M. qui sub Maximiano Imperatore & Probo Præside acerbissime cruciatus, capite absciso martyrii coronam adeptus est.

26 *Septimo Kalendas Aprilis*.

Sirmii. Natalis SS. MM. Montani presbyteri, & Maximi, qui ob Christi confessionem in carcerem detrusi, & ferreis vinculis colligati in Savum demersi sunt (4). Visochii in Bosnia, (5) Beatorum quinque Fratrum Ord. Franc. martyrum, qui ab hæreticis Patarenis pro fide catholica necati sunt.

27 *Sexto Kalendas Aprilis*.

In Illyrico, (6) Sanctorum Phileti Senatoris, Lydiæ uxoris & filiorum Macedonis & Theoprepidis, itemque Amphilochii ducis & Chronidæ Commentariensis, qui pro Christi confessione cæsi sunt sub Adriano Imp.

28 *Quinto Kalendas Aprilis*.

Javarini, B. (7) Maurilii e regia Principum Hungarorum stirpe, qui spretis mundi illecebris, Dominicanæ familiæ nomen dedit, vitæ sanctitate & miraculis clarus.

29 *Quarto Kalendas Aprilis*. Vacat.

30 *Tertio Kalendas Aprilis*. Vacat.

31 *Pridie Kalendas Aprilis*. Vacat.

APRILIS.

1 *Kalendas Aprilis*.

Delminii, (8) S. Venantii Ep. Salonitani & M. cum sociis.

2 *Quarto Nonas Aprilis*. Vacat.

3 *Ter-*

---

(1) Ex lib. 3. Ligni vitæ P. Arnoldi Wion Benedict. Martinus ex Albania ortus duxisse videtur, unde Albani cognomen; Monasterio Patavino S. Justinæ inserviit; & in Dominica Palmarum terrenam cum cælesti vita commutavit, Romæ fortassis; in Ecclesia enim S. Paulli sepultus dicitur.

(2) Pistoriensis patria fuit, vitæ instituto Dominicanus, & ob insignem sanctitatem Beati titulum promeritus; de illo Leander lib. 5. Echardus Tom. 1. Script. sui Ordin. & Tom. vi. Operis nostri pag. 187.

(3) De S. Irenæo in Ecclesia Sirmiensi tom. 7. cujus martyrii acta genuina edita a nobis sunt ex Ruinartio in Actis sinceris Martyrum.

(4) In pluribus Codd. a Bollando hac die allatis Tom. 3. Martii adduntur & alii XL. Martyres socii Montani, eodemque supplicio pro Christo affecti.

(5) Narrat Arturus in Martyrol. Francisc. non longe a Visochio Bosnæ oppido cerni ruinas Cœnobii Franciscani, a Patarenis solo æquati, cum prius quinque hosce Fratres ob catholicam Fidem crudeliter interemissent; ex quo tempore a Christianis, qui ibi degunt, sæpius per noctem quædam conspiciuntur lumina ex iis ruderibus rutilantia. Vide Gonz. l. 1. Orig. Seraph. part. 2. & Daça 4. part. Chron. Min. lib. 3. cap. 49. Impia Patarenorum facinora, tum Fratrum Minorum merita in Bosnensem provinciam habes descripta Tom. 4. Illyr. Sacr. in Episcop. Bosnensibus.

(6) Illyrici nostri nomen lata patet adeo, ut nec provincia certo definiri queat, in qua hi Martyres passi sint. Illyricum simpliciter indicant Menæa Græca, eosque martyrio coronatos, cum Hadrianus per ea loca iter faceret, qui, ut recte observat Petavius Tom. 1. ration. temp., in obeundis provinciis assiduus ac diligens quam qui maxime fuit. Licet autem ambigua sit hæc Illyrici nota, utrum Orientale, an Occidentale signet, & quamnam alterutrius provinciam, quæ Illyrico Justinianeo fuerit postea attributa, possumus haud perperam hosce Martyres huic martyrologio adscribere; de his vide Baronium in Martyrologio, & Bollandistas hoc Martii die.

(7) Anno 1336. obiisse dicitur circa Paschatis festum in Sacr. Diar. Dominic. ad diem 26. hujus mensis.

(8) De S. Venantio VI. Salonarum Episcopo ac M. fu-

Digitized by Google

3 *Tertio Nonas Aprilis.*

Salonæ, Passio SS. (1) Virginum Agapes & Chioniæ sub Diocletiano Imp. (2) Spalati, Festum S. Venantii Ep. & M. Salonitani. (3) Tomis in Scythia natalis BB. Martyrum Evagrii, Benigni, Chiristi, Aresti, Synnidiæ, Ruffi, Patricii, Zosimi sub Diocletiano Imp.

4 *Pridie Nonas Aprilis*, Vacat.

5 *Nonis Aprilis.*

Salonæ Passio (4) S. Irenes V. sub Diocletiano Imp.

6 *Octavo Idus Aprilis.*

Sirmii. Sanctorum Martyrum Rufinæ, Moderatæ, Romanæ, Secundi & aliorum (5) septem.

7 *Septimo Idus Aprilis.* Vacat

8 *Sexto Idus Aprilis.*

Apud Novas Patras, Passio (6) S. Hermes Apostoli & Episcopi Dalmatiæ.

9 *Quinto Idus Aprilis.*

Sirmii, (7) Passio sanctarum septem Virginum, & martyrum, quæ dato simul pretio sanguinis vitam mercatæ sunt æternam. Ibidem, Natalis aliarum quinque Virginum pro Christo martyrum. Stagni in ditione Ragusina, (8) Beati Andreæ a Sardinia confessoris ex Ord. S. Francisci dono linguarum & sanitatum insignis.

10 *Quarto Idus Aprilis.*

In Dacia (9) Ripensi passio S. Gajani Diaconi.

11 *Tertio Idus Aprilis.*

Salonæ (10) Passio SS. Dalmatii & aliorum quadraginta IV. sanctorum martyrum, qui Christi fidem ac disciplinam a B. Domnio Episc. Salonitano susceptam sanguine confirmarunt.

M. fuse actum in Tom. I. Illyrici Sacr. pag. 362. ejus memoria celebratur Spalati die tertia hujus mensis. Delminium, vel Dalminium urbs Dalmatiæ princeps; nunc Dumnum, Dumno; de Episcopis Dumnensibus in Tom. IV. Op. nostri.

(1) De earum martyrio vide Tom. 2. Illyrici Sacr., ubi fuse & earumdem patria, Aquileja, & martyrii locus, Salona inquiritur, uti etiam de S. Irene utriusque sorore, cujus dies festus & natalis agitur Nonis Aprilis. Harum corpora Jaderam postea translata subter altare maximum Basilicæ Metropolitanæ coluntur præcipua veneratione; & Agapes quidem ac Chioniæ solemnis memoria hodie a Jadrensibus celebratur, Irenis vero die V. hujus mensis; vide Tom. V. Illyr. Sacr.

(2) Vide ad diem primam.

(3) Vide Tom. VIII.

(4) Vide notata ad diem 3. hujus mensis.

(5) De his omnia fere martyrologia consentiunt, præter vero nominum memoriam nihil superest; vide Bollandum Tom. I. Aprilis & tom. nostrum VII.

(6) De S. Herme luculentissime actum est in Tom. I. Illyrici Sacr. Hac die colitur apud Græcos, quorum Menæa locum martyrii Sirmium constituunt; veteres vero illius memoriæ diem Aprilis vicesimam nonam dicarunt, & Sirmii & in Dalmatia olim cultus fuit religiosissime; sed neque locum martyrii Novis Patris, nec diem festum removendum esse satis constat ex iis, quæ in Tom. laudato tractata sunt.

(7) Martyres hosce omnes Sirmio attribuunt vetusta martyrologia cum Hagiographis Antuerpiensibus; de quibus in historia Ecclesiæ Sirmiensis. Septem priores Virgines memorantur & in Romano Martyrologio; vide Tom. 7.

(8) Floruit circa an. Christi 1340. Socius fuit B. Joannis ab Anglia; missi enim simul fuere in Illyricum prædicandi Evangelii causa; uterque cum Illyrici idiomatis ignarus esset, Illyrice tamen, Spiritu Sancto dictante, concionabatur, & miracula edidisse dicitur. In his quidam nobilis vir cæcus effectus ex infirmitate, admotis ex eorum sepulchro ad oculos pulveribus, visum protinus recepit. Andreas diem clausit extremum apud Conventum S. Nicolai Stagnensis, ubi & tumulatus jacet. Hæc Gonzaga part. 2. Orig. Seraph. Barezzius 4. part. Chronic. Minor. l. 3. cap. 20. Waddingus ad an. 1348. & Arturus in Martyr. Francisc.

(9) Dubii sunt Hagiographi Antuerpienses hac die, martyrium Gajani in Dacia ne, an in Thracia sit statuendum, cum varie utramque provinciam nominent veteres Martyrologi; at non est cur in hac ambiguitate illum e numero Martyrum Illyricorum expungamus. Dacia Ripensis pars Bulgariæ ad Danubium.

(10) Hi Domnio socii in ferendo martyrio a nobis tribuuntur Tom. I. Illyr. Sacr. ubi apte distinximus socios martyrii, & socios cultus Lateranensis; qui vero hac die coluntur martyres uno fere mense Domnio ad cælestem coronam præiverunt.

(1) Et

Digitized by Google

runt. (1) Ibidem festa commemoratio ejusdem S. Domnii. In Dalmatia sanctorum martyrum Mauri, Anastasii, Septimi, Asterii, Antiochiani, Tælii, Cajani & Paulliniani, qui pro Christo in Dalmatia passi. Eorum corpora cum sacris lipsani S. Venantii Salonitani inde Romam translata in Laterano quiescunt (2).

12 *Pridie Idus Aprilis.* Vacat.

13 *Idibus Aprilis.*

Dorostori in Mæsia Natalis sanctorum (3) Maximi, Quintiliani & Dadæ, qui Maximiano & Diocletiano Imperatoribus gladio percussi palmam martyrii promeriti sunt.

14 *Decimooctavo Kalendas Maji.* Vacat.

15 *Decimoseptimo Kalendas Maji.* Vacat.

16 *Decimosexto Kalendas Maji.* Vacat.

17 *Decimoquinto Kalendas Maji.* Vacat.

18 *Decimoquarto Kalendas Maji.*

Romæ, (4) Natalis sanctorum Eleutherii Episcopi, & Antiæ matris ejus, qui Sirmiensis in Pannonia Illyrica Episcopus vitæ sanctimonia, & miraculorum virtute enituit; inde Romam ab Hadriano Imp. accersitus, ob fidei costantiam crudelissimis tormentis cruciatus, demum una cum matre occiditur. Salonæ Passio (5) SS. Septimi Diaconi & Victorici.

19 *Decimotertio Kalendas Maji.* Vacat.

20 *Duodecimo Kalendas Maji.* Vacat.

21 *Undecimo Kalendas Maji.*

Corcyræ Melænæ, (6) Natalis S. Alexandræ martyris, quæ e regia Persarum stirpe uxor Diocletiani miraculis & costantia Georgii Episc. Salonitani & martyria commota Christo nomen dedit; mox eodem Imperatore jubente, verberibus cæsa fortiter vitam pro Christi religione profudit. In Issa insula Dalmatiæ, Passio (7) sanctorum martyrum Apollinis, Isacii, Codrati ex familia Alexandræ Imper., cujus exemplum & incitamenta secuti martyrium fortiter obierunt. (8) Ramæ in Bosna Argentinensi, beatorum sex Martyrum ab efferatis Turcis pro Christo occisorum.

22 *Decimo Kalendas Maji.*

Romæ, (9) natalis S. Caji Papæ natione Dalmatæ patria Salonitani, ex genere Diocletiani, qui sub eodem Principe martyrio coronatus est.

23 *Nono Kalendas Maji.*

Cor-

(1) Et Romæ in Ecclesia Lateranensi & Spalati hic dies festus agitur S. Domnio, licet non sit ejus natalis. De sociis octo seu novem eidem adjunctis dubitare licet an Illyrici nostri martyribus sint adjiciendi, ideoque eos prætermittimus; & qui in Kalendario Spalatensi socii dicuntur S. Domnii, ii sunt superius memorati. vide Tom. 1. Illyr. Sacri; ubi & antiquissimi hujus festi in honorem Domnii instituendi causam cognosces. Cæterum dies solemnis Domnio sacer in urbe Spalatensi & universa Dalmatia est septimus Maji.

(2) Socii ii sunt in Lateranensi cultu S. Venantii Ep. Salonitan., de quorum translatione fuse actum in Tom. 1. Illyr. Sacr.

(3) Horum martyrum acta edidere hac die Bollandistæ, eorum martyrium Dorostori perfectum probantes adversus Sirletum, qui Romæ illud evenisse scripsit. v. Tom. 8.

(4) Romæ passum Eleutherium omnia consentiunt Hieronymiana martyrologia apud Bollaudistas, licet Baronius ejus martyrium Messanæ adscribat. De illius vero Illyrico Episcopatu dubium esse non potest, quem Sirmii gessisse probat Salagius lib. 3. de statu Ecclesiæ Pannonicæ; & nos inter Sirmienses Antistites hunc enumeramus; de illo præter alia martyrologia agunt Metaphrastes, & Nicephorus lib. 3. cap. 29. Colitur ab Ecclesia Zagrabiensi.

(5) De his vide Tom. 1. Illyrici Sacr. pag. 465. 467.

(6) De S. Alexandra egimus Tom. 1. Illyr. Sacr. pag. 696.; & nonnulla scripta habes in historia nostra Diocletiani tom. 2. ejusdem operis; sed & Bollandistæ disserunt hac die. Corcyra Melæna hodie Curzola.

(7) Cur Issam, aliter atque Baronius in Martyrologio, certamini horum martyrum locum statuamus, vide Tom. 1. pag. 697., ubi & quæ supersunt de iis monumenta, in unum collegimus ex Baronio & Hagiographis Antuerpiensibus.

(8) Arturus in Martyr. Francisc. Gonzaga part. 2. Orig. Seraph. Daça 4. p. Chron. Min. l. 3. c. 49. ad an. 1557. quo tempore Franciscani Cœnobitæ, quibus præcipue religionis procuratio incumbebat, plurimum detrimenti exitiique a Turcis perpessi fuere.

(9) Uberrime de S. Cajo disseruimus in Tom. 2. Illyr. Sacr. quem Confessorem potius quam Martyrem libuit appellare; licet enim multa pro Christo passus sit, attamen violenta morte non videtur occubuisse. Sed Baronium hic secuti martyris titulo illum distinguimus, quo & ab Hagiographis Antuerpiensibus ornatur. Duplici ritu & a S. Sotere seorsim hodie colitur in aliquibus Dalmatiæ Ecclesiis.

 (1) Geor-

Digitized by Google

Corcyræ Melænæ, Passio (1) S. Georgii Ep. Salonitani & martyris, qui sub Daciano Præside post multas pro Christo toleratas ærumnas capite plexus est, Diocletiano & Maximiano imperantibus. In Borussia (2) natalis S. Adalberti Pragensis Episcopi & martyris, qui non solum Polonis & Hungaris Evangelium prædicavit, sed etiam in Dalmatia & Chrobatia, ubi sanctitatis & doctrinæ cælestis lumen ingenti incolarum utilitate diffudit.

24 *Octavo Kalendas Maji.* Vacat.

25 *Septimo Kalendas Maji.*

Alexandriæ, Natalis B. Marci Evangelistæ. Hic discipulus & interpres Apostoli Petri, Romæ rogatus a Fratribus scripsit Evangelium; lustratisque Apostolico excursu aliquot (3) Illyrici regionibus, in Ægypto Alexandrinam constituit Ecclesiam, ibique glorioso martyrio ad cœlestia regna evolavit.

26 *Sexto Kalendas Maji.* Vacat.

27 *Quinto Kalendas Maji.*

Biticti in Apulia, (4) Natalis B. Jacobi Dalmatæ Ordinis Minorum Observantium S. Francisci, qui sanctissimis moribus omnique virtutum genere præditus migravit in cœlum, innumeris post obitum clarus miraculis. Cathari, B. (5) Osannæ virginis admirabili sanctitate, & cœlestium donorum copia insignis.

28 *Quarto Kalendas Maji.*

Cibali in Pannonia, (6) Passio sanctorum martyrum Eusebii Episcopi, Pollionis Lectoris & Tiballi sub Diocletiano Imp.

29 *Tertio Kalendas Maji.* Vacat.

30 *Pridie Kalendas Maji.*

Forolivii, Natalis (7) S. Mercurialis Ep. Foroliviensis.

MAJUS.

1 *Kalendis Maji.* Vacat.

2 *Sexto Nonas Maji.* Vacat.

3 *Quinto Nonas Maji.*

Hierosolymis, Inventio sacrosanctæ Crucis Dominicæ sub Constantino Imp. Vicetiæ

---

(1) Georgium hunc alium omnino a S. Georgio Martyre, quem hac die universa colit Ecclesia, certo constat ex iis, quæ de illius actis, Episcopatu, martyrio cultuque in Tom. I. Illyr. Sacr. copiose sunt pertractata; & locum martyrii Corcyram Melænam verisimilius, quam Melitam insulam maris Adriatici statuimus, quamquam utra fuerit Georgiano certamine nobilitata, tuto nequeat definiri. Nec dubitamus, quin idem sit, ac Georgius, cujus dies festus notatur in Kalend. Eccl. Spalatensis, quique in tota Dalmatiæ provincia divorum martyrum honores obtinet; quamvis vulgo putetur, esse hunc Georgium militem, Liddæ in Palæstina martyrio affectum, ac in tota Ecclesia celeberrimum, uti ibidem dictum est.

(2) De Dalmatica Adalberti peragratione vide Tom. III. Illyr. Sacr. pag. 114.

(3) Quin Marcus aliquam etiam Illyrici nostri partem obierit, videtur non ambigendum; & de hoc vide Tom. I. Illyr. Sacr. pag. 261.

(4) Agunt hac die de B. Jacobo Hagiographi Antuerpienses; natione Dalmatam fuisse testantur Franciscani Scriptores, incertum vero quo in loco natus sit; nec de illius vita quidquam extat apte descriptum præter miraculorum Processus, quæ ab eo post mortem patrata feruntur. Erat sui Ordinis Laicus, ejusque corpus pœne incorruptum in Ecclesia ejusdem Ordinis honorifice quiescit Biticti, quæ Apuliæ urbs est Episcopalis Bitetto ab Italis dicta. Jacobus obiisse videtur an. circ. 1485.

(5) In vico Comano Montis nigri, & Catharensis diœcesis orta est B. Osanna, vitamque Cathari perduxit ad annum ætatis 72., & hac die ad Superos evolavit an. 1565. Catharenses ejus festum celebrant VIII. Kal. Februarii; habes Osannæ vitam in Tom. VI. Illyr. Sacr.

(6) Eusebius erat Episcopus Cibaliensis sub Metropolita Sirmiensi. Extant acta sincera martyrii S. Pollionis apud Ruinartium & Bollandistas hac die; de iis vero Cibaliensibus Martyribus in historia Sirmiensis Ecclesiæ actum satis. Cibalis eversa urbs Pannoniæ Saviæ. v. tom. 7.

(7) Mercurialem ex Illyrico aut Dalmatia proprie dicta oriundum fuisse vulgata est opinio. Ughellius Tom. 2. Ital. Sacr. Armenum, seu Albanensem appellat, nimirum ex Albano urbe Armeniæ majoris; qui vero eum Dalmatam nominet, nullum comperio præter auctorem Operis, cui titulus Lustri antichi e moderni della città di Forlì pag. 14. Floruisse videtur sæc. 4. uti autumat Papebrochius Tom. 3. Aprilis Boll., licet visum sit nonnullis eum an. 106. vita functum, & quidem hac die Aprilis tricesima, qua ejus Acta edidit Papebrochius; sed in diem Maji vicesimam tertiam illius memoria rejicitur a Baronio in Martyr. Interea non est, cur Mercurialem e nostro Martyrologio expungamus, cum nulla de illius natione ac patria certa suppetant monumenta, quæ vulgari huic opinioni adversentur.

(1) S. Ur-

Digitized by Google

tiæ in pago Salzenæ, (1) sancti Ursii heremitæ.

4 *Quarto Nonas Maji.*

Tragurii, (2) Translatio S. Joannis Episcopi.

5 *Tertia Nonas Maji.* Vacat.

6 *Pridie Nonas Maji.* Vacat.

7 *Nonis Maji.*

Salonæ, Passio (3) S. Domnii Ep. Salonitani primi & martyris, qui a S. Petro Apostolo ad Fidem conversus, & Episcopus Salonæ ordinatus suam Ecclesiam annos circiter duos ac quadraginta administravit; demum sub Trajano Imperatore illustrem martyrii coronam consecutus est. Pataviæ in Bavaria, (4) beatæ Gisellæ reginæ, & Henrici Imp, sororis, S. Stephani Hungarorum regis uxoris, matrisque S. Emerici, quæ virum ad Christi Fidem adduxit; post cujus obitum in Ordinem Benedictinum secessit, & Monasterii Præses electa sanctis operibus plena migravit in cœlum.

8 *Octavo Idus Maji.* Vacat.

9 *Septimo Idus Maji.*

Axiopoli in Mæsia inferiori, (5) sanctorum martyrum Quirilli seu Cyrilli ep. Quindei & Zenonis.

10 *Sexto Idus Maji.*

Apud (6) Tersactum, Translatio Almæ Domus Lauretanæ. Spalati, (7) Translatio S. Domnii Episcopi & Martyris. Axiopoli in Mæsia

(1) S. Ursii nomen Divorum fastis insertum hac die ab Hagiographis Antuerpiensibus, ubi ejus acta leguntur. Natione Francus, sub imperio Caroli M., vaticinio quodam perterritus, quo prædictum erat, fore ut parentem interficeret, in Dalmatiam secessit. Ibi divino adjutus præsidio gratiam regis idolorum cultoris aucupatus est. Hunc, ejusque gentem ad Christi Fidem convertit, qui absque liberis moriens regni hæredem Ursium instituit. Et diu de subjectis sibi populis bene Ursius meritus est, & Christianis dogmatibus magis magisque eos imbuit, excoluitque. Sed, eum patrem, qui illuc advenerat, ignorans occidisset, uti vaticinium ferebat, parricidii horrore perculsus regno aufugiens in Italia semet abscondit; & in pago Salzenæ diœcesis Vicentinæ heremiticam vitam agens, quovis asperitatum genere exercitam, virtutum ac sanctitatis fama ad Superos migravit. Ita in actis. In eo loco, in quo obiit, Ecclesia visitur ejus nomine Deo dicata, & pagus, immutato nomine, S. Ursii vulgo appellatur. Celebris est apud incolas & finitimos ejus memoria & cultus, ibique sacrum illius corpus asservatur; quod in Ecclesia parœciæ conditum primo fuit, ubi vetus ejus sepulchrum visitur hac epigraphe notatum; *Sepulchrum primum, ubi conditum fuerat corpus S. Ursi Conf. natione Galli, Dalmatiæ regis, qui ad Cœlum migravit anno salutis DCCC.* Inde vero translatum est ad aliam oppidi Ecclesiam ejus nomine Deo dicatam, & super aram principem collocatum; hac addita, in lapidea tabula inscriptione; *In hoc Altari Piorum Eleemosynis erecto, Deoq. Opt. Max. & Sancto Ursio dicato ejusdem Corpus ex vetusto sepulchro solemni pompa translatum . . . . . . decorandum curavit MDCXVIII.* a tergo autem altaris tabula lignea hisce inscripta versibus appensa est;

Gallia prima solo: solio Dalmatia regis:
At Salzena Polo me mea sola dedit.
F. Philippus Alcanti Ord. Min. Convent. Concionator
Anno MDCXXI.

De eo præter Bollandistas & Marzarius & Barbaranus in hist. eccl. Vicet. fuse scripsere. Verum quinam hic rex esset Dalmatiæ ab Ursio Christianam fidem edoctus ne conjicere quidem possumus; unus fortasse fuit e primoribus aut Dynastis Chrobatorum, qui in Dalmatia mediterranea, & finitimis locis dominabantur; de quibus, ac totius gentis Ducibus, ac regibus eorum ad Catholicam religionem conversione plura habes tractata tom. 3. Operis nostri, & 4. in Episcopis Corbaviensibus.

(2) De translatione S. Joannis vide tom. IV. Operis nostri in Episcopis Traguriensibus.

(3) Insignis S. Domnii cultus, tum illustris memoria celebratur hac die Spalati, & in tota Spalatensi provincia; cujus acta fuse & enucleate habes descripta Tom. 1. Illyr. Sacr.

(4) Inter eos, qui de re Christiana Illyrica bene promeriti sunt, jure censenda, & cum Divis nostris adnumeranda; de ea copiose Bollandistæ in vita S. Stephani regis tom. 1. Septemb. & Mabillonius tom. 6. SS. Ord. Bened.

(5) Horum martyrium meminere Bollandistæ tom. 2. Maji, eorumque nomina diversimode in vetustis martyrologiis exprimuntur. Axiopolis olim Mœsiæ inferioris urbs, nunc Galacz, ut aliqui opinantur, in Bulgaria. v. Tom. 8.

(6) Dalmaticæ Ecclesiæ omnes celeberrimam natalis Deiparæ Domus e Palæstina in Dalmatiam translationem Angelorum ministerio peractam hodie venerantur peculiari ritu. Est autem Tersactum nobile oppidum diœcesis Corbaviensis; miraculi vero adeo illustris veritatem perspicue probavimus tom. 4. Illyr. Sacr. pag. 94.

(7) Est hæc postrema Corporis S. Domnii translatio, quam an. 1770. solemni pompa peregit hac die Joannes Lucas Garagninus Archiep. Spalatensis, cui adfuere octo e Dalmatia Episcopi nimirum Stephanus Blascovichius Macarensis, Petrus Zuccherius Veglensis, Joannes Antonius Castellus olim Catharensis, Bonaventura Bernardus Auxerensis, Michael Trialius Corcyrensis, Joannes Baptista Jurileus Nonensis, Stephanus Trevisanus Scardonensis, Joannes Petrus Ribolius Phariensis.

(1) De

Mæsia (1) inferiori, passio sanctorum martyrum Dioni, Acacii, Crispionis.

11 *Quinto Idus Maji.*

Sirmii, (2) Natalis S. Montani martyris. Altini, Depositio (3) S. Nepotiani presbyteri.

12 *Quarto Idus Maji.* Vacat.

13 *Tertio Idus Maji.*

Auxeri B. Thomæ, (4) cognomento Illyrici, ex Ordine Minorum, eximia sanctitate conspicui.

14 *Pridie Idus Maji.* Vacat.

15 *Idibus Maji.*

Sirmi. Natalis S. Timothei (5) & septem Virginum martyrum.

16 *Decimoseptimo Kalendas Junii.* Vacat.

17 *Decimosexto Kalendas Junii.*

Sirmii, (6) Natalis S. Andronici Episcopi, Uriæ in Apulia, Natalis (7) B. Francisci Dyrrhachiensis.

18 *Decimoquinto Kalendas Junii.*

Spalati (8) Sancti Felicis Episcopi & martyris, qui sub Maximiano Imp. martyrii palmam adeptus est.

19 *Decimoquarto Kalendas Junii.* Vacat.

20 *Decimotertio Kalendas Junii.* Vacat.

21 *Duodecimo Kalendas Junii.*

Nicomediæ (9) S. Constantini M., qui relata de Maxentio tyranno divinitus victoria, cœlestis gratiæ lumine ductus, primus e Romanis Imperatoribus Christianam religionem palam professus est, tum, stabilita Ecclesiæ pace & indicto veræ Fidei publico, ac libero cultu, totum se pietati, & dignis Christiano Principe virtutibus eximie excolendis impendit; demum, cum ejus præsertim opera Ariana hæresis in Nicæno Concilio profligata fuisset, ipse plenus meritis sanctissime obiit.

22 Un-

---

(1) De his Bollandistæ, & in tom. 8.

(2) Hunc, qui etiam Montanianus dicitur, diversum Papebrochius autumat a Montano Sirmiensi Martyre 16. Martii. De utroque agimus in Sirmiensi Ecclesia.

(3) Fuit S. Heliodori Episcopi Altinatis ex sorore nepos, &, ut non injuria putandum, patria Stridonensis, ut Heliodorus; suis autem virtutibus non minus, quam D. Hieronymi laudibus illustris, in cujus operibus nobilissimum extat Nepotiani epitaphium ad Heliodorum; vide Bollandistas hac die.

(4) Fuit patria Auxerensis, vita functus an. 1520. Vide Tom. v. pag. 212.

(5) Memorantur in vetustis Martyrologiis apud Bollandistas; fusius in Ecclesia nostra Sirmiensi: vide ad diem nonam Aprilis.

(6) Andronicum primum fuisse Sirmii Episcopum, satis dictum est in Tom. 1. Illyric. Sacr. pag. 262. & confirmatur a Salagio in lib. 3. de statu Eccl. Pannonicæ; de illo plura in Ecclesia Sirmiensi.

(7) Inter laicos Ordinis Franciscani adscitus Dyrrhachii, qua in urbe ortum habuit. Uriæ, Italis Oria, majorem vitæ partem transegit, & vergente ad finem sæc. xi. præclaris insignis virtutibus, ac miraculis in cœlum migravit. De illius actis nonnulla congessere Bollandistæ, quæ nos in historiam Ecclesiæ Dyrrhachiensis retulimus; v. Arturum in martyr. Francisc.

(8) Felicem hunc, quem alii ad alias urbes pertinere dictitant, jure inter Martyres Illyricos adnumerandum esse probavimus tom. 3. Operis nostri pag. 474., ubi & de ejus Corporis inventione.

(9) Colitur Constantinus a Græcis, & de illius actis cultuque fuse disserit Papebrochius hac die in tom. 5. Maji Bolland. Sed de illius patria disputant eruditi, alii quippe in Britannia natum esse tuentur, alii in Mæsia Superiore, & in urbe Naiso, nunc *Neissa* aut *Nisi*, aut *Nisava* nuncupata inter Serbliæ urbes. Attamen eruditissimi Pagii sententiam sequimur, qui Constantinum natione Illyricum, patria Naissensem diserte affirmat in not. critic. in Baronium an. 306. num. 8. eique adhæret Binghamus tom. 9. Orig. Eccles. pag. 9. edit. latin. Halensis an. 1729. Luculentissimum vero Pagii testimonium hic subjicio. " Constantini M. patriam fuisse Naissum oppidum Daciæ mediterraneæ *(Mœsiæ potius Superioris)* nunc Serbliæ dictæ certum esse debet. Hoc enim Stephanus de Urbibus, qui nuper cum notis in Hollandia lucem vidit, Constantinus Porphyrog. lib. 1. Mathes. sub initium, & Anonymus Vales. disertis verbis docent. *Hic igitur Constantinus natus Helena matre vilissima*, idest infimæ conditionis, *in oppido Naiso, atque eductus, quod oppidum postea magnifice ornavit, litteris minus instructus, obses apud Diocletianum & Galerium sub iisdem in Asia fortiter militavit,* inquit Anonymus. Accedit Cedrenus, qui Constantinum apud urbem Daciæ natum scribit. Decepit Anglos aliosque viros doctissimos locus Panegyrici Maximiano & Constantino dicti, in quo legitur; *liberavit ille,* Constantius Constantini M. pater, *Britannias servitute; tu etiam nobiles esse illic oriendo fecisti*. Quæ & similia ita ab illis de Britannia accepta, quasi natus illic Constantinus esset; cum tamen oratoris mens sit gratulari se, ibi ortum factumque Imperatorem Constantinum, ac uno verbo de natali Imperii, non de natali genuino loquatur. Quare quod Constantinus Anglus sive Britannus fuerit, inter fabulas computandum ". Plura de illo in Ecclesia Naissensi tom. 8.

(1) Et

Digitized by Google

22 *Undecimo Kalendas Junii.* Vacat.

23 *Decimo Kalendas Junii.* Vacat.

24 *Nona Kalendas Junii.* Vacat.

25 *Octavo Kalendas Junii.*

Dorostori in Mysia, (1) Natalis sanctorum martyrum Pasieratis, Valentionis & aliorum duorum vel trium simul coronatorum.

26 *Septimo Kalendas Junii.* Vacat.

27 *Sexto Kalendas Junii.*

Dorostori in Mysia B. Julii (2), qui tempore Alexandri Imp., cum esset veteranus & emeritæ militiæ, comprehensus ab officialibus Maximo Præsidi offertur, quo præsente cum idola exsecraretur, & Christi nomen constantissime confiteretur, capitali sententia punitur.

28 *Quinto Kalendas Junii.* Vacat.

29 *Quarto Kalendas Junii.* Vacat.

30 *Tertio Kalendas Junii.* Vacat.

31 *Pridie Kalendas Junii.* Vacat.

J U N I U S.

1 *Kalendis Junii.*

Apud Anconam (3) in monasterio Portus novi, natalis S. Gaudentii Episcopi Absorensis virtutibus insignis, qui cum aliquot annos suam Ecclesiam sanctissime rexisset, Episcopatu dimisso, & vitam agens monasticam post biennium migravit ad Superos.

2 *Quarto Nonas Junii.* Vacat.

3 *Tertio Nonas Junii.*

Novocomi (4) natalis S. Adalberti patria Sisciani, qui in Insubriam adveniens S. Rubiano concivi & affini suo in Novocomensem Episcopatum successit, & vitæ castimonia ac miraculis illustris obdormivit in Domino.

4 *Pridie Nonas Junii.*

Sisciæ in Illyrico, (5) S. Quirini Episcopi, qui sub Galerio Præside pro fide Christi, ut Prudentius scribit, molari saxo ad collum ligato, in flumen præcipitatus est; sed lapide supernatante, cum Christianos circumstantes, ne ejus terrerentur supplicio, neve titubarent in fide, diu fuisset hortatus, ipse, ut martyrii gloriam assequeretur, precibus a Deo, ut mergeretur, obtinuit.

5 *Nonis Junii.* Vacat.

6 *Octavo Idus Junii.* Vacat.

7 Se-

(1) Ex martyrologio Romano; ubi hæc Baronius; *agunt de his Beda, Usuardus, Ado & alii. Habetur de his mentio in actis S. Julii martyris apud Bedam & alios ad* vi. *Kal. Junii. Dorostorum in Mysia, de quo hic habetur mentio, alii Dorostolum vocant, & in Thracia situm volunt &c.* De Dorostoro Mysiaco agimus in hoc Tomo; vide autem de his martyribus & Hagiographos Antuerpienses.

(2) De S. Julio vide tom. hunc in Ecclesia Dorostorensi.

(3) Celebris est in tota Absorensi diœcesi memoria cultusque S. Gaudentii, quem suum Episcopum & principem Patronum veneratur Absorensis Ecclesia & provincia. Ejus acta edita sunt in tom. iv. Op. nostri inter Episcopos Absorenses; de illo meminere S. Petrus Damiani opusc. 29. & Ferrarius in Catalogo, tum Bollandistæ hac die, qui ingenue fatentur, se de Gaudentio nihil certi habere compertum, & Arbensem Episcopum eum nominant Ferrarii testimonio decepti. Porro Gaudentius & patria, quæ Spalatum, vel forte Absorum ipsum fuit, & Episcopali dignitate inter Dalmatas Divos jure est censendus.

(4) S. Adalberti gesta complectitur Tattus in Annal. Sacris Novocomensibus dec. 1. p. 626. tum Ughellius tom. 5. Italiæ Sacr. & Hagiographi Antuerpienses hac die; licet illius acta veluti fabulosa rejiciant. Siscianum patria fuisse affirmant Tattus, & Ballarinus in Chron. Novocom. part. 2. & 3. Obiisse fertur an. circ. 615. & in Basilica Apostolorum sepultus fuit; cujus ossa deinde cum lipsanis S. Rubiani ad templum Cathedrale an. 1590. translata in ara Crucifixi Domini condità sunt cum hac epigraphe.

Sanctorum Corporum Adelberti & Rubiani
Episcoporum Comensium
Pars Altera
Ab Ecclesia S. Abundii Huc Translata
Anno MDLXXXX.
Die primo Mensis Julii
Celeberrima Supplicatione
De S. Rubiano Adalberti affini & concive ad diem 10. Decembris agemus.

(5) Genuina hujus Martyris acta, & de Sisciano ejus Episcopatu monumenta protulimus tom. v. Illyr. Sacr. præter ea, quæ a Baronio hic notantur in Martyrol., & ab Hagiologis Antuerpiensibus.

(1) De

Digitized by Google

7 *Septimo Idus Junii.*

Foinizæ in Bosna Argentinensi beati (1) Angeli a Verbosa confessoris genere & fide illustris, qui & virginitatem illæsam perpetuo servavit, & multa millia Infidelium ad Christum convertit, ac post obitum quamplurimis coruscavit miraculis.

8 *Sexto Idus Junii.*

Dorostori in Mœsia passio (2) Sanctorum Martyrum Marci & Julii.

9 *Quinto Idus Junii.* Vacat.

10 *Quarto Idus Junii.*

Budæ in Hungaria obitus (3) B. Joannis Dominici ex Ordine Prædicatorum Archiepiscopi Ragusini, & S. R. E. Cardinalis, qui, diuturnis exhantlatis laboribus in animarum salutem per plures Italiæ urbes, mox pro Ecclesia tuenda, tollendoque schismate, a quo diu jactabatur, gravia perpessus incommoda, tandem virtutibus, doctrina ac meritis clarus obdormivit in Domino.

11 *Tertio Idus Junii.* Vacat.

12 *Pridie Idus Junii.*

(4) Neapoli, B. Guidonis Ord. Prædic. zelo Catholicæ religionis flagrantissimus, omnibusque conspicuus virtutibus pretiosa in conspectu Domini morte cœlestia præmia obtinuit.

13 *Idibus Junii.*

(5) Muri in Piceno, beati Georgii Albani confessoris pietate & virtute insignis.

14 *Decimooctavo Kal. Julii.*

(1) In

---

(1) De B. Angelo nonnulla attigimus in tom. 4. Illyr. Sacr. pag. 76. Bosnensis fuit natione, dictus a Verbosa seu Verbosen, proprie Varbosania, quæ civitas inter Bosnenses olim primaria habita est. Porro hujus sancti viri elogium hic addere lubet ex Gonzaga part. 2. Orig. Seraph. ubi de Foinizensi Conventu S. Spiritus; *inter cætera*, inquit, *quæ hanc sacram domum Fidelibus commendatissimam reddunt, sunt corpus B. cujusdam P. Angeli sanctissimi utique viri, qui, ut Christianos in prima illa Turcarum persecutione in fide Catholica contineret, nulli periculo pepercit. Quod cum post plurimos annos ab ejus tumulatione integrum omnino ac incorruptum inventum esset, a Fratribus inde exhumatum honestiori loco reconditum est, ubi & Deus plura Foinizanis beneficia meritis ejusdem B. P. conferre dignatur.* Obiit an. 1498. vid. & Marcum Ulyssiponensem 3. p. Chron. Min. l. 7. cap. 34. Bzovium & Waddingum ad eundem annum, ac Marianum de viris illustr. Ord. Minor.

(2) De his mentio apud Antuerpienses Hagiographos ex vetustis martyrologiis & in tom. hoc

(3) Satis de B. Joanne disseruimus Tom. vi. Op. nostri in Archiep. Ragusinis; de illo summa cum laude meminerunt scripseruntque non solum e Dominicana familia historici fere omnes, sed etiam Ecclesiastici Scriptores, historiæ Florentinæ, quorum in urbe natus erat, Auctores, & Bollandistæ.

(4) De hoc Echardus tom. 1. Script. sui Ordinis pag. 702. tum Marchesius in Diario sacro Dominicano, & ex eo Bollandistæ die 25. Junii. Nos accuratius Menologium Dominicanum ms. P. Thomæ Faccioli eruditissimi de rebus præsertim sui Ordinis viri seculi, B. Guidonis memoriam in hanc diem rejecimus. Is de civitate Ragusina concionibus aliisque religionis operibus optime diuque meritus est; qua etiam in urbe nobilissimum suis Fratribus Cœnobium, si non condidit, certe instauravit auxitque ac anno circ. 1391. sanctissime obiit Neapoli in Cœnobio S. Dominici. Fuit patria Neapolitanus ex illustri Marramalda familia; ac statim ab ipso obitu & miraculis claruit, & *Beati titulo* ornatus est.

(5) Georgium in Albania natum celebrant Scriptores Franciscani, Marianus lib. 4. c. 14. Ulyssiponensis part. 3. Chron. Min. l. 16. c. 19. Barezius l. 3. c. 24. Waddingus ad an. 1437. Hæc porro Arturus in martyrol. Francisc.

„ Hunc Dei servum, laicum, natione Albanum, qui diu non sine laude meruit sub Francisco Sfortia, dum partes tueretur Eugenii P. contra Philippum Ducem Mediolanensem, floruisse constat circ. an. 1436. & 1440. Mira fuit ejus ad religionem Seraphicam vocatio, in eaque exemplaris conversatio; Religiosis quippe connumeratus sollerter in humilitatis officiis serviebat, & in senectute activam vitam contemplativa commutans assidue orabat cum lacrymis. Annis ferme quinquaginta a suscepto habitu nunquam post matutinas cubiculum repetiit, sed usque ad auroram perseverans in oratione Dei sæpissime a Fratribus inveniebatur a sensibus abstractus. Post multorum annorum gemitus & fletus assecutus est a Domino cœleste jubilum, & sacram cordis lætitiam. Concinentibus Fratribus in Choro, exultabat spiritu, vel tunc maxime, quando audiebat illos versiculos Cantici B. Mariæ V. *Magnificat anima mea &c.* ad quæ verba statim rapiebatur immobilis etiam per longum tempus post vespertinas absolutas. Contemplationis gratiam perfecte assecutus, videbatur singula Christi & B. Mariæ V. gesta præ oculis habere; ad pœnosa incredibili dolore mœrebat, ad læta & gloriosa æque gestiebat, pro varietate mysteriorum varias passus animi affectiones. Annis multis oravit, ut securus redderetur assequendæ salutis æternæ, & tandem a Christo meruit sibi ostendi nomen suum libro vitæ inscriptum. Decessit virtutibus plenus, & Sacramentis munitus in Cœnobio Muri in Piceno ". Hactenus Arturus.

(1) Ita

Digitized by Google

(1) In Specia, Sancti Martyres Antonius, Afra & Cantiouella.

15 *Decimoseptimo Kalendas Julii.*

Dorostori in Mœsia, passio (2) S. Hesychii militis, qui cum S. Julio comprehensus sub Præside Maximo, postea martyrio coronatus est.

16 *Decimosexto Kalendas Julii.* Vacat.

17 *Decimoquinto Kalendas Julii.*

Natalis (3) B. Conradi Dalmatæ, qui B. Petri de Pisis secutus disciplinam inter primos ejus Ordinis asseclas virtutibus ac miraculis illustris obdormivit in Domino. (4) Apolloniæ in Epiro sanctorum martyrum Isauri diaconi, Innocentii, Felicis, Hieremiæ & Peregrini, qui a Tripontio tribuno varie torti capite obtruncati sunt. Ibidem (5) passio sanctorum martyrum Rufi, Rufini & Basilii, qui eamdem cum Isauro & sociis martyrii coronam promeruerunt.

18 *Decimoquarto Kalendas Julii.* Vacat.

19 *Decimotertio Kalendas Julii.*

In Borussia (6) sancti Bonifacii Episcopi, & Protomartyris ex Ordine Camalduleusium, qui a Romano Pontifice ad prædicandum gentibus in Septemtrione Evangelium missus, peragrata etiam Dalmatia ac Bosna, post immensos pro Christiana religione labores optatam martyrii coronam accepit.

20 *Duodecimo Kal. Julii.*

(7) Tomis in Ponto Sanctorum Marryrum Pauli, Cyriaci, Paulæ, Felicianæ, Thomæ, Felicis, Emilii.

21 *Undecimo Kal. Julii.* Vacat.

22 *Decimo Kal. Julii.* Vacat.

23 *Nono Kal. Julii.* Vacat.

24 *Octavo Kal. Julii.*

Neapoli (8) B. Joannis Confessoris. In Bohemia

---

(1) Ita in antiquissimo Epternacensi apographo martyrologii Hieronymiani. *Sphetia*, non *Specia*, uti apud Bollandistas hac die, *oppidum est Illyrici in Dalmatiæ & Macedoniæ confinio in Albaniæ regione*, scribit Ferrarius in Lexico; nunc *Sfetigrado*, sed potius *Svacia* nominari illud oportet; ubi olim Sedes Episcopalis subjecta Metropolitæ Antibarensi, & hinc *Sphetia* corrupte. Hos porro Martyres seu Svaciæ, seu Spheciæ passos non est credibile, cum hujus oppidi mentio nulla extet apud Geographos veteres, & Romanæ historiæ Scriptores, quod post annum millesimum æræ Christianæ cæpit innotescere. Si igitur in Fastis Illyricæ Ecclesiæ retinendi sunt hi religionis Christianæ fortissimi pugiles, suspicarer pro *Specia* legendum *in Epetio* celebri oppido Dalmatiæ prope Salonas, & sæculo VII. ab Avaribus exciso, de quo vide Tom. I. Operis nostri. Hinc nec illos rejiciendi omnino animus est, neque huic martyrologio certissime accensendi; ipsi etiam Antuerpienses Hagiologi, & Florentinius de loco hærent incerti.

(2) Ex actis S. Julii, de quo ad diem 27. Maji, eruitur nomen & martyrium Hesychii, qui & in aliis Hagiologiis celebratur, & apud Bollandistas hac die.

(3) Beati hujus viri meminit Joannes Baptista Sajanellus in histor. monum. Ordinis S. Hieronymi Congreg. B. Petri de Pisis lib. 1. cap. 8. „ Nulla, „ inquit, de B. Conradi patria ac parentibus moni- „ menta nobis relicta sunt. Scripturæ, quæ in no- „ stris servantur archivis, ut testis est Petrus Bo- „ naciolus, eum docent virtutibus ac miraculis flo- „ ruisse in Congregatione Pisana circa an. Domini „ 1458. Non est igitur mirum, quod eum Jo. Pe- „ trus Crescentius in suo Præsidio Romano Beati „ titulo condecoraverit. Beati viri mentionem fa- „ ciunt duo nuper citati Scriptores & Victorius Bo- „ sellus, & Bollandi Continuatores; " qui in vita B. Petri de Pisis ad diem Junii decimam sextam, ubi & Conradum nominant, non audent illum inter Divos referre, donec certiora de illius cultu monumenta pateant. Conradum Dalmatam natione fuisse satis constat: de patria, ejusque obitus loco ac die silent laudati Auctores. Nos huic diei affigendam duximus. Conradi memoriam; scilicet postridie festi B. Petri Pisanæ Congregationis parentis sanctissimi.

(4) Martyrologium Romanum, & plura de his Bollandistæ, qui hærent incerti, in qua urbe Apollonia martyrium subierint. Sed de nostra Apollonia malim intelligere Menæa, quippe proximior, quam Apollonia Macedonica, sit Athenis, unde Christi athletæ profecti sunt; præterea hæc in planitie sita ad fluvium longe abest a speluncis, in queis latuisse dicuntur; cum Apollonia Epirotica propiores habeat montium latebras, ubi delituerint, V. Tom. 7.

(5) In Menæis Græcorum una cum Isauro & Sociis ap. Bollandistas. Vide Tom. VII. Operis nostri.

(6) Fuit discipulus S. Romualdi; de illo agunt Bollandistæ hac die, & eruditissimi Scriptores Annal. Camald. tom. I. qui martyrii & locum in Borussia, & diem hunc recte consignant. Dictus etiam est Bosnensis Episcopus, uti in tom. 4. Illyr. Sacr. pag. 42. monuimus, quia in partes Septemtrionales proficiscens, & hac iter instituens in Bosnensibus Evangelica prædicatione excolendis Apostolico & Episcopali munere perfunctus fuerit.

(7) Vide Tom. 8.

(8) Præter Arturum in Martyrologio Franciscano de eo scribit Boverius tom. 1. Annal. Capuccin. quorum Instituti sectator fuit. Cognomen Illyrici e Dalmatiæ vel Albaniæ regionibus habuit, unde originem

Digitized by Google

hemia ad oppidum Tetinam prope Pragam (1) B. Joannis e regia Ducum Chrobatarum stirpe, qui, Dalmatia relicta, ubi ejus pater regnabat, in speluncam secedens, & exercitam quovis asperitatum genere vitam agens, sanctitate clarus obdormivit in Domino.

25 *Septimo Kal. Julii.* Vacat.

26 *Sexto Kal. Julii.*

Kioviæ in Lithuania, (2) natalis S. Dionysii Archiepiscopi Bulgarorum, qui Catholicæ fidei propagandæ studio in Russiam profectus, multisque laboribus fessus sanctissime obiit, & in cryptis Kiovianis conditus fuit.

27 *Quinto Kal. Julii.*

Varadini (3) in Hungaria sancti Ladislai regis, qui miraculis usque ad diem hodiernum coruscat.

28 *Quarto Kal. Julii.* Vacat.

29 *Tertio Kal. Julii.*

Romæ natalis sanctorum Apostolorum Petri & Paulli, qui præter alias in universo fere Romano orbe Apostolicas peregrinationes, peragratis etiam & luce Evangelii ad Christi Fidem excitatis (4) Illyrici Dalmatiæque regionibus, eodem anno, eodemque die passi sunt sub Nerone Imper., alter capite ad terram verso cruci affixus, alter gladio animadversus.

30 *Pridie Kal. Julii.*

Commemoratio S. Paulli Apostoli.

JULIUS.

1 *Kalendis Julii.* Vacat.

2 *Sexto Nonas Julii.*

Visitatio Beatæ Mariæ Virginis ad Elisabeth.

3 *Quinto Nonas Julii.*

Altini, Sancti (5) Heliodori Episcopi doctrina & sanctitate illustris.

4 *Quarto Nonas Julii.*

Sirmii (6) sanctorum martyrum Innocentii & Sebastiæ cum aliis triginta.

5 *Tertio Nonas Julii.*

(7) Tomis ad Pontum Euxinum natalis sanctorum martyrum Stratoris, Theodoti, Menonæ, Matinæ seu Marini, Rodofiæ, Magrini,

---

ginem aut ortum duxerat. Eximia dicendi vi, magis vero clarissimis virtutum exemplis ingentem animarum lucrum Deo comparavit. Sæpe suorum Fratrum Cœnobiis, diu vero præfuit regendis Virginibus S. Mariæ in Jerusalem Neapoli, ubi sanctissime obiit anno 1577.

(1) Ivanis beatissimi Heremitæ vitam ex Hagiographis Antuerpiensibus tom. 4. Junii, in Tom. 4. Operis nostri retulimus pag. 210. Floruit sæc. IX. & initio sæc. X. piissime obiit, & a Bohemis præcipuo honore hactenus colitur.

(2) Hæc ex Daniele Papebrochio ad hanc diem; qui ejus sedem in Bulgaria Metropoliticam fuisse scribit Sugdæam urbem Archiepiscopalem, quæ Phullis unita urbi itidem Archiepiscopali unum Archiepiscopatum complexa est, Suchsdala postea dicta. Dionysius vita functus perhibetur an. 1180. De cryptis vero Kiovianis idem Papebrochius disserit die XI. hujus mensis in actis S. Joannis martyris Biagrodensis, ubi & de monasterio Pieczarensi a S. Dionysio extructo. v. tom. hunc in Episcopis Sugdæensibus.

(3) Quem Ecclesiastico ritu Spalatensis Clerus colit, in primis vero Ecclesia Zagrabiensis ab ipso instituta, ut cum Farlato docet & Prayus in Specimine Hierarch. Hungar. part. 2. Ladislai gesta leguntur in Tom. v. Jun. Boll. inter quæ præclarissimum est, quod in Chrobatarum potissimum ad Christi Fidem conversionem piissime animum curamque omnem intendit; vide & tom. 3. Operis nostri.

(4) Illyricas, Dalmaticasque utriusque Apostoli expeditiones habes descriptas, & erudite propugnatas Tom. 1. Illyr. Sacr. part. 3. prolegom.

(5) Heliodori nomen celebre est in scriptis D. Hieronymi, quocum patriam communem habuisse videtur, Stridonem scilicet, de cujus situ plures sunt inter Scriptores controversiæ. Illum vero e numero Divorum, qui Dalmatiam sanctitate vitæ ornarunt, idcirco non expungimus; interfuit Concilio Aquilejensi adversus Arianos celebrato; ejusque meminit Hieronymus in ep. 2. ad Nepot. & 37. ad Julianum, quin & duas ad illum scripsit epistolas alteram de laude vitæ solitariæ, alteram de obitu Nepotiani. Heliodori corpus quiescit Torcelli prope Altini ruinas in Æde Cathedrali; & de illius vita & cultu vide Hagiographos Antuerpienses hac die, & Flaminium Cornelium in monum. Eccl. Torcell. Colitur hodie & ab Ecclesia Zagrabien.

(6) Ita Romanum & vetera martyrologia, in quibus Sebastiæ pro Sabastia nomen, & numerum sociorum recte corrigunt Bollandistæ; de his in T. VII.

(7) Vide Tom. 8.

Aste-

Digitized by Google

ni, Secundini, Thomi seu Theoni, Soderæ seu Sodephæ.

6 *Pridie Nonas Julii.*

Dyrrhachii, passio sancti (1) Astii Episcopi, qui sub Trajano Imp. Præside Agricolao in Christianæ Fidei confessione perseverans plumbatis cæsus est, & post alios cruciatus in crucem actus, precibus ad Deum missis, gloriosum martyrium confecit.

7 *Nonis Julii.*

Cathari (2) sanctorum martyrum fratrum Petri, Andreæ & Laurentii. Dyrrhachii, (3) natalis sanctorum martyrum Peregrini, Luciani, Pompeji, Hesychii, Papii, Saturnini & Germani, qui natione Itali in persecutione Trajani ad eam urbem confugientes, cum sanctum Astium Episcopum ibi pro Fide Christi in cruce pendentem vidissent, Christianos se esse palam confessi, jussu Præsidis tenti, atque in mare demersi sunt.

8 *Octavo Idus Julii.*

Sirmii, (4) sanctorum Martyrum Ostrati, Spiri, Eraclii, Eperentii & Cœciliæ. Stagni in ditione Ragusina, (5) Beati Joannis ab Anglia dono linguarum ac miraculorum conspicui. Almiride in Scythia Pontica natalis sanctorum (6) Epicteti presbyteri, & Astionis monachi, qui quovis tormentorum genere cruciati, demum abscisso capite, ad cœlestem gloriam evolarunt.

9 *Septimo Idus Julii.* Vacat.

10 *Sexto Idus Julii.* Vacat.

11 *Quinto Idus Julii.* Vacat.

12 *Quarto Idus Julii.*

Aquilejæ, natalis sancti Fortunati Diaconi, qui a B. Marco Evangelii minister datus Hermagoræ Episcopo Aquilejensi, disseminata per (7) Pannonias Christi religione, plurima expertus discrimina, tandem una cum Hermagora capitali supplicio pro Fide extinctus est.

13 *Tertio Idus Julii.* Vacat.

14 *Pridie Idus Julii.* Vacat.

15 *Idibus Julii.* Vacat.

16 *Decimoseptimo Kal. Augusti.*

Commemoratio B. Mariæ V. de monte Carmelo. Sirmii (8) natalis sanctorum Agrippini, Secundi, Maximi, Fortunati, Martialis, Dyrrhachii, (9) S. Cæsaris Episcopi, unius e 70. Discipulis Domini.

17 *Decimosexto Kalendas Augusti.*

In

(1) *Astejus* & *Aberistus* nominatur in quibusdam martyrologiis apud Bollandistas, qui hanc diem illius memoria consignant, uti Menæa Græca; Romanum Martyrologium mentionem de illo injicit die sequenti cum Dyrrhachiensibus Martyribus, de quibus postea. Astii vero acta, quæ exstant habes in historia Dyrrhachiensis Ecclesiæ Tom. 7. Operis nostri.

(2) Nec dies, nec tempus, quibus sanctissimi hi Fratres pro Christo mortem oppetivere, deprehendi tuto potest e vetustis monumentis. Locus martyrii Ascrivium, seu Catharum fuisse videtur, ubi illorum corpora detecta fuere an. 1026.; & inde Ragusium translata; qua in urbe quiescunt in templo eorum memoriæ exstructo, quod nunc ab S. Petro cognominatur. Eorumdem cultui dies dicata septima Julii; & hoc die Dux, Senatus cæterique urbis Magistratus templum illud invisunt frequentissimo populi concursu, & solemni sacrificio intersunt. Vide de his, quæ scripsimus Tomo 6. Illyric. Sacr. pag. 430.

(3) Ex martyrologio Romano, & ex Menæis Græcis apud Bollandistas ad diem hanc.

(4) Ex Hieronymianis martyrologiis apud Hagiographos Antuerpienses.

(5) Vide quæ de illo ejusque Socio B. Andrea diximus ad diem IX. Aprilis.

(6) Etsi ad Illyricum non spectent, de illis agendum fuit cum Martyribus Tomitanis. Scythia enim parva seu Pontica pars aliquando fuit Mœsiæ inferioris, & cum hodierna Bulgaria nunc pæne conjungitur. V. Tom. 8.

(7) De Pannonico Fortunati Apostolatu non pauca invenies Tom. 1. Illyr. Sacr. e quibus constat sanctissimum Diaconum de Illyrica Ecclesia benemereri potuisse.

(8) Ex Hieronymianis apographis apud Bollandistas.

(9) De Cæsare nulla in latinis martyrologiis mentio, præterquam in Catalogo Ferrarii; agunt tamen Menæa Græca cum aliis Christi Discipulis mense Martio & Decembri, & ad hunc mensem illius acta rejiciunt Bollandistæ in Prætermissis die xv. Maji. Sed cum nullus neque mensis, neque dies certus sit ejus natalis, & hodie a Græcis 70. simul Discipulorum memoria celebretur, tum etiam Bollandistæ de iis tractent, huic diei nomen Cæsaris affigamus licet, de quo in Tom. 1. Operis nostri disseruimus pag. 963. & in Ecclesia Dyrrhachiensi.

Digitized by Google

In Hungaria, (1) B. Benedicti Heremitæ.

18 *Decimoquarto Kal. Augusti.*

Dorostori in Mæsia, (2) sanctorum martyrum Secundæ, Donatæ, Bassi, Maximi, Pauli, item Marini & Justi. Ibidem (3) sancti Æmiliani martyris, qui tempore Juliani Apostatæ sub Capitolino Præside in fornacem injectus martyrii palmam accepit.

19 *Decimoquarto Kal. Augusti.* Vacat.

20 *Decimotertio Kal Augusti.* Vacat.

21 *Duodecimo Kal. Augusti.* Vacat.

22 *Undecimo Kal. Augusti.* Vacat.

23 *Decimo Kal. Augusti.*

Natalis (4) sancti Apollinaris Episcopi, qui primo cum Apostolo Petro, deinde ab eo Episcopus ordinatus, & Ravennam missus, illinc vero pulsus, secundo ac tertio Dalmatiam & Illyricum Evangelio disseminando peragravit lustravitque; mox Ravennam reversus sub Vespasiano Cæsare gloriosam mortem oppetiit pro fide Christi.

24 *Nono Kal. Augusti.*

In oppido Sandeciæ in Polonia, (5) sanctæ Cunegundis viduæ, quæ, servata in connubio integerrima castitate, viro mortuo, Ordinem S. Claræ professa virtutibus & miraculis claruit.

25 *Octavo Kal. Augusti.*

Sancti Jacobi Apostoli, fratris B. Joannis Evangelistæ, qui in Hispaniam pergens (6) Illyricum & Dalmatiam apostolica prædicatione plurimum juvit; inde Hierosolymam reversus prope festum Paschæ ab Herode Agrippa decollatus est.

26 *Septimo Kal. Augusti.* Vacat.

27 *Sexto Kal. Augusti.* Vacat.

28 *Quinto Kal. Augusti.*

Spalati, (7) Translatio S. Anastasii martyris.

29 *Quarto Kal. Augusti.*

Spalati, (8) Translatio S. Domnii Salonarum Episcopi & Martyris.

30 *Tertio Kal. Augusti.*

In Pannonia (9) Sancti Epæneti D. Pauli discipuli, qui a S. Petro ordinatus Episcopus inter Pannones Christi Evangelium prædicavit.

31 *Pridie Kal. Augusti.*

Cathari, (10) Beati Adami Confessoris, magnæ sanctitatis viri.

AU-

---

(1) E Dalmatia oriundus, ac vitæ sanctitate illustris, qui ad Vagum fluvium Hungariæ Transdanubianæ impie interfectus fuit. Hujus venerandæ reliquiæ in eumdem fluvium projectæ, & per annum fere quæsitæ, nec inventæ sunt; donec indicio aquilæ in ripa sedentis de iisdem incolæ certiores efficerentur; quas ubi extraxissent, omnis corruptionis expertes undequaque deprehenderunt. Hujus hic dies natalis in universa Hungaria ritu semiduplici religiose colitur; ex lib. cui titulus Fragmen panis &c., seu Annal. Paulinis &c. Viennæ editis an. 1663.

(2) Ita apographa Hieronymiana hac die apud Bollandistas.

(3) Baronius in martyrologio & Bollandistæ. De eo Usuardus, Menæa Græca, Hieronymus in Chronico, tum Theodoretus lib. 3. cap. 7. & Cassiodorus lib. 16. Cpoli celebris fuit cultus & Ecclesia S. Æmiliani, quam Basilius Imp. restituit; ex Codino de Origin. Cpanis, & Cedreno in Comp. V. in hoc tomo Dorostorensem Ecclesiam.

(4) Habes acta S. Apollinaris in Julio Bolland. tom. 5. hac die, ejusdem vero Illyricum Apostolatum descripsimus tom. 1. Operis nostri pag. 252.

(5) Filia Belæ IV. regis Hungariæ, soror. B. Margaritæ, de qua ad diem Januarii 28., & uxor Boleslai Pudici Ducis Poloniæ, quo vita functo, virginitatem pari consensu servatam in Clarissarum familia mirifice coluit, ingentibus omnium virtutum meritis ornata. De ea Bollandistæ, Arturus, aliique plures.

(6) Iter Hispanicum D. Jacobi gravibus probant argumentis Hagiographi Antuerpienses hac die, & ejusdem per Illyricum Apostolica excursio valide a Farlato defenditur tom. 1. part. 3. prolegom. unde haud immerito inter Illyrici Apostolos, & de re Christiana in iis provinciis optimme meritus Jacobus censeri queat.

(7) De qua in tom. 1. Illyr. Sacr. jam egimus.

(8) Hujus translationis tempus & celebritatem habes descript. tom. 1. Ill. Sacr.

(9) De Epæneto plura in Tom. 1. & VII. Operis nostri. Quem Græci hodie colunt, cujusque nullam Latini festam commemorationem agunt. De illo uberius in Ecclesia Sirmiensi.

(10) Socius B. Antonii Archiep. Dyrrhachiensis, de

Digitized by Google

AUGUSTUS.

1 *Kalendis Augusti.*

Romæ in Exquilliis dedicatio S. Petri ad Vincula. Antibari in Albania (1) B. Joannis Archiepiscopi & Confessoris, qui magna fide & religione plenus, in Germania & Hispania Franciscanæ provinciæ Præses, ad regem Tartarorum missus Apostolicus Legatus, demum Antibarensis Ecclesiæ & Metropolis cura & regimine sancte perfunctus piissime obiit. Leopoli, seu in Monte Feretrano, (2) natalis S. Leonis confessoris & civis Arbensis, qui ex ea urbe in Italiam secedens vitæ sanctitate & meritis claruit. Salonæ; (3) passio S. Agapiti Ep. Salonitani.

2 *Quarto Nonas Augusti.* Vacat.

3 *Tertio Nonas Augusti.*

Luceriæ (4) S. Augustini Episcopi & Confessoris; regulari primum observantia in Ordine Dominicano, tum pastorali vigilantia, eximiisque virtutibus illustris.

4 *Pridie Nonas Augusti.*

Spalati, (5) S. Rainerii Archiepiscopi & Martyris, qui pro Ecclesiæ juribus tuendis lapidibus obrutus, constantissime vitam profudit.

5 *Nonis Augusti.*

Romæ in Exquiliis, Dedicatio S. Mariæ ad Nives. Ragusii (6) B. Evangelistæ a Perusio Confessoris genere, religione & signis admirandis illustris. Axiopoli, (7) natalis sanctorum martyrum Irenæi, Eracli & Dasii.

6 *Octavo Idus Augusti.*

In monte Thabor, Transfiguratio Domini nostri Jesu Christi.

7 *Septimo Idus Augusti.* Vacat.

8 *Sexto Idus Augusti.* Vacat.

9 *Quinto Idus Augusti.* Vacat.

10 *Quarto Idus Augusti.* Vacat.

11 *Tertio Idus Augusti.*

Romæ, (8) S. Susannæ Virginis, quæ cum esset e nobili prosapia orta, & B. Caji Pontificis ex B. Gabinio martyre ejus fratre neptis, martyrii palmam sub Diocletiano Imp. capitis obtruncatione promeruit. Nicopuli (9) in Mæsia inferiori, passio plurium martyrum in persecutione Diocletani.

12 *Pridie Idus Augusti.* Vacat.

13 *Idibus Augusti.*

Tragurii, (10) B. Joannis a Bucca Confessoris, vitæ austeritate, ac miraculorum gratia celebris.

14 *Decimonono Kal. Septembris.* Vacat.

15 *De-*

---

de quo ad diem xv. Martii. Eum celebrant Pisanus l. 1. Conform. fructu 8. & 11. p. 2. Marcus Ulyssipon. 2. p. Chron. l. 9. c. 10. §. 2. ad an. 1380. Gonzaga part. 1. Tosinianus l. 1. Picquetus in Catal. Waddingus tom. 3. & 4. ex quo pauca retulimus in Tom. v. pag. 364.

(1) Hujus viri insignia gesta & vitæ sanctitatem tum Franciscani, tum Scriptores alii summe commendant. Floruit paullo post sæculi decimitertii initia & an. 1252. jam obierat. Illius acta descripsimus in Archiepiscopis Antibarensibus.

(2) De S. Leone cive Arbensi vide, quæ fusissime tractato sunt in Tom. v. Illyr. Sacr., & in Additamentis eidem subjectis.

(3) Cujus acta descripta sunt in Tom. 1. Illyr. Sacr. Passus est mense Augusto, die incerta; nec abhorret, quod in nostris Fastis ejus memoriæ Kalendas Sextiles interea assignemus, dum certius aliquod monumentum fortasse prodeat.

(4) Fuit civis Traguriensis, & ad Zagrabiensem Ecclesiam primo evectus, deinde ad Lucerinam in Italia translatus, cujus acta edidimus in Tom. v. Illyr. Sacr.

(5) Raynerii gesta habes descripta in Tom. III. Illyr. Sacr., & apud Bolland. hac die.

(6) Ex gente Balleonia Perusil nobilissima ortus, & Franciscanum Institutum professus, cui jam mortuo an. 1494. dum justa persolvebantur in templo, Angeli visi sunt ejus cadaver incenso thure ad tumulum prosequi. Ejusdem sepulchrum in interiori Cœnobii parte apud Franciscanos situm his versibus ornatur.

„ Balionum soboles, Perusinaque, quem penes omnis
„ Regula lustrandæ religionis erat,
„ Qui docuit populos Evangelista beatus,
„ Ragusinam moriens consecrat hospes humum.
„ Cumque piis precibus passim miracula præstet,
„ Dat quoque Reliquiis uberiora suis.

De illo Auctores Franciscani fuse agunt, & Arturus in martyrol. sed & Crispoltus in sua Perusia Augusta Evangelistæ meminit, quem supremam totius Ordinis Præfecturam gessisse scribit, ejusque obitum nonis Augusti consignat.

(7) Præter nomina nihil superest in actis Bollandianis. V. in tom. hoc Axiopolitanam Ecclesiam.

(8) S. Susannæ gesta copiose descripta reperies in tom. 2. Operis nostri.

(9) De his in Tom. 8.

(10) Fuit Albanensis nationis; anno 1343. adhuc su-

Digitized by Google

15 *Decimooctavo Kal. Septembris.*

Assumptio Sanctissimæ Dei Genetricis Virginis Mariæ.

16 *Decimoseptimo Kal. Septembris.*

Romæ, (1) sanctæ Serenæ uxoris Diocletiani Augusti.

17 *Decimosexto Kal. Septembris.* Vacat.

18 *Decimoquinto Kal. Septembris.*

In Dardania, (2) sanctorum martyrum Flori & Lauri, artis lapicidinæ cultores, qui consumptis martyrio eorum magistris Proculo & Maximo, sub Licione Præside post multa tormenta in profundum puteum sunt demersi. Romæ in (3) via Lavicana sanctæ Helenæ matris Costantini Magni Imperatoris, qui primus Ecclesiæ tuendæ atque ampliandæ exemplum cæteris Principibus præbuit.

19 *Decimoquarto Kal. Septembris.* Vacat.

20 *Decimotertio Kal. Septembris.* Vacat.

21 *Duodecimo Kal. Septembris.*

Sirmii, (4) sanctorum martyrum Donati, Romuli, Sylvani. Cibali, passio (5) S. Venusti & S. Hermogenis lectoris. Salonæ S. (6) Anastasii Cornicularii, qui cum videret B. (7) Agapitum constanter tormenta perferentem, conversus est ad Fidem, & pro confessione nominis Christi, jubente Aureliano Imp., interemptus martyr migravit ad Dominum.

22 *Undecimo Kal. Septembris.* Vacat.

23 *Decimo Kal. Septembris.* Vacat.

24 *Nono Kal. Septembris.* Vacat.

25 *Octavo Kal. Septembris.* Vacat.

26 *Septimo Kal. Septembris.*

Salonæ, (8) S. Anastasii fullonis martyris. Nonæ, (9) S. Anselmi primi hujus urbis Episcopi, & Patroni principis, qui cum Ambrosio ejus diacono hanc Dalmatiæ partem ad Christi Fidem convertit, & virtutum ac miraculorum luce plurimum illustravit. Nicomediæ (10) passio S. Hadriani Filii Probi Imp. in persecutione Liciniana pro Christo interempti.

27 *Sexto Kal. Septembris.*

Nonæ, (11) S. Marcellæ, quæ Anselmum Episcopum secuta tum verbis tum sanctissimis exemplis Nonenses in Christiana fide excoluit, ibique quievit in pace.

28 *Quin-*

superstes, qui prænunciato suæ mortis die, piissime vitam finivit Franciscani institutis assecla Tragurii. De illo agunt Arturus in martyrologio, cæterique sui Ordinis Scriptores, inter quos Waddingus ad an. 1355. Socius fuit B. Michaelis, de quo die 29. Januarii.

(1) Hujus acta habes fuse descripta tom. 2. Operis nostri.

(2) Et Baronius in martyrol. & Bollandistæ de his meminere, qui Dardaniam locum martyri constituunt, de urbe nihil certi ausi affirmare; quare Dardaniam regionem & nos hic ponimus, cum Baronius latiore nimis vocabulo eos in Illyrico passos esse scribat; Dardania nunc Rascia appellatur; nos in hoc Tom. plura in Ecclesia Scopiensi.

(3) Etsi nec genere nec patria Illyrica fuerit B. Helena tanti filii mater, nequit hinc excludi, quam de Illyricis Ecclesiis, inprimis de Naissensi, quippe ejus vir Constantius Naissi ortus, optime meritam fuisse non dubitamus. Vide Bollandum hac die & Tomum VIII. Illyr. Sacri, ubi S. Helenæ natale solum Drepanum dicimus in Bythinia. Eruditus sane & doctus vir Andreas Ciccarellius presbyter Bractiensis in Dalmatia novam amplectitur opinionem, & Bractiensibus incolis Helenam adnumerat; sed ejus eruditionem in suo opusculo ad nos dono misso a Nobili viro & Comite Rados Michaelio Victurio rerum Illyricarum scientissimo laudamus quidem, sed non sequimur.

(4) Horum acta edita sunt hac die a Bollandistis, e quibus intelligimus, Donatum Singidunensem diaconum, Romulum presbyterum Sirmiensem, Sylvanum diaconum ejusdem Ecclesiæ extitisse; eorumque acta leges in Singidunensi & Sirmiensi Ecclesia tom. 7.

(5) In iisdem actis horum martyrium describitur, quæ Venustum Donati fratrem indicant & Hermogenem Lectorem Ecclesiæ Cibaliensis. Quinque hi martyres præcipue coluntur in civitate Forojuliensi, cujus Patronus Donatus; & ibi sacra eorum lipsana condita sunt. De his in Ecclesia Cibaliensi, tom. 7.

(6) Acta Anastasii habes in Tom. 1. Operis nostri, præter ea, quæ Baronius adnotat ad hunc diem.

(7) Agapitus Ep. Salonitanus & martyr, de quo Kal. Augusti.

(8) Hac die colitur in Ecclesia Metropolitana Spalatensi; idem, qui in Martyr. Rom. VII. Idus Septemb. Civis erat Aquilejensis, sed Aquilejæ martyrium non subiit; ejusque acta cultumque fuse descripsimus in Tom. 1. Operis nostri.

(9) Anselmi, Ambrosii, & Marcellæ eorum sociæ in Evangelii prædicatione historiam habes in Tom. IV. Illyr. Sacr.

(10) Vide Tomum nostrum VII. inter Martyres Sirmienses.

(11) Vide Tom. IV. Operis nostri in Ecclesia Nonensi.

(1) De

Digitized by Google

28 *Quinto Kal. Septembris.*

Æmonæ (1) in Pannonia Savia natalis S. Pelagii martyris.

29 *Quarto Kal. Septembris.*

Sirmii natalis (2) S. Basillæ virginis.

30 *Tertio Kal. Septembris.* Vacat.

31 *Pridie Kal. Septembris.* Vacat.

SEPTEMBER.

1 *Kalendis Septembris.* Vacat.

2 *Quarto Nonas Septembris.*

ALbæ in Pannonia, (3) sancti Stephani regis, qui divinis virtutibus exornatus primus Hungaros ad Christi fidem convertit.

3 *Tertio Nonas Septembris.*

Novocomi, (4) S. Martiniani Episcopi & Confessoris, qui, cum creditam sibi Ecclesiam sanctissime administrasset, plenus meritis migravit ad Dominum.

4 *Pridie Nonas Septembris.*

In monte Titano (5) apud Ariminum natalis S. Marini, qui e civitate Arbensi in Italiam veniens verbo & exemplo plurimum Catholicæ Fidei profuit adversus Arianos, postea in solitudine ejusdem montis plenus meritorum obdormivit in Domino.

5 *Nonis Septembris.* Vacat.

6 *Octavo Idus Septembris.* Vacat.

7 *Septimo Idus Septembris.*

Alatri, in oppido S. Martini, B. Angeli, (6) viri humilitatis & paupertatis admirandæ.

8 *Sexto Idus Septembris.*

Nativitas beatissimæ semper Virginis Genetricis Dei Mariæ.

9 *Quinto Idus Septembris.* Vacat.

10 *Quarto Idus Septembris.* Vacat.

11 *Tertio Idus Septembris.* Vacat.

12 *Pridie Idus Septembris.* Vacat.

13 *Idibus Septembris.* Vacat.

14 *Decimooctavo Kal. Octobris.*

Exaltatio sanctæ Crucis, quando Heraclius Imp., Chosroe rege devicto, eam de Perside Hierosolymam reportavit.

15 De-

(1) De S. Pelagio egimus copiose in Ecclesia Æmonensi tom. VII. quem Æmonæ passum asserimus sub Numeriano Imp.

(2) Basillam laudant hac die, & Sirmio attribuunt Hagiographi Antuerpienses; qua ætate vixerit, & an martyr quoque fuerit, incertum; apud Baronium in martyrologio mendose ponitur, illam *apud Smyrnam* obiisse. Hic tamen lubet adtexere, quæ de S. Basilla collegerunt hac die Hagiographi Antuerpienses. In Hieronymianis Florentinii martyrologiis; *in Syrmia natalis S. Basillæ virginis;* in Corbejensi *Basilissa* dicitur; aliud Hieronymianum; *in Sirmi Basiliæ virginis;* Augustanum & Labbeanum, *Basillæ Virginis;* additamenta Usuardina; *in Syrmia natale Sanctæ Basillæ;* Hagenoyense unum apographum; *in Sirmia natale sanctæ Basilicæ virginis;* Belinus; *Basiliæ;* Grevenus; *In Sirmio sanctæ Basillæ virginis;* Molanus; *in Syria natale sanctæ Basilicæ.* Petrus de Natalibus l. XI. c. 130. *Basila sancta in Syrmio ipso die obdormivit in Domino.* Ex hisce discimus convenire fere omnes cum Hieronymianis vetustissimis, quod ad locum *Sirmium,* quod ad nomen *Basilla* attinet. Ejus acta periere; vitæ tempus ignoratur; *martyris* abest titulus; quæ omissio satis haud est, ut gloria martyrii ei certo denegari queat.

(3) Etiam de nostra Pannonia Savia egregie meritus S. Stephanus hodie colitur ab universa Ecclesia Innocentii XI. Pontificis decreto an. 1686., cum antea ejus cultui dicatus esset dies vicesimus Augusti, quo ejus Corporis solemnis translatio peracta; cæterum rex sanctissimus e vita migravit die illius mensis XV., quæ tota gloriosæ Deiparæ Virginis Assumptioni dicata est. Joannes Stiltingus illius acta illustrat eruditissime, ac tuetur tom. I. Sept. Bolland.

(4) Fuit patria Siscianus, & S. Adalberti concivis & in Ecclesia Novocomensi Decessoris sui discipulus. Obiit an. 628. in Basilica Apostolorum tumulatus, quæ nunc S. Abundii dicitur, ubi sacra ejus lipsana quiescunt; de illo Ughellius tom. V. Bollandistæ hac die, & Tattus in Annal. Novocom. dec. I. pag. 680.

(5) Vide tomum V. Operis nostri, ubi de illo satis superque actum.

(6) Illyricus natione fuit, cognomento de Slavis, Franciscanus instituto, in famulorum ordinem, quos *Laicos* appellant, cooptatus, vixit sæc. XV., & in Ecclesia Minorum ejusdem oppidi sepultus Beati titulo honoratur in fastis Franciscanis. De eo Waddingus ad an. 1490.

Præ-

Digitized by Google

15 *Decimoseptimo Kal. Octobris.*

Martianopoli (1) in Mæsia secunda S. Melitinæ martyris, quæ sub Antonino Imp. & Antiocho Præside ad Gentilium fana semel & iterum ducta, cum idola semper corruerent, suspensa ac laniata, demum capite plexa est. (2) Ibidem sanctorum martyrum Maximi, Theodori, & Asclepiodotæ, qui sub Galerio Maximiano Imper. coronati sunt.

16 *Decimosexto Kal. Octobris.* Vacat.

17 *Decimoquinto Kal. Octobris.* Vacat.

18 *Decimoquarto Kal. Octobris.* Vacat.

19 *Decimotertio Kal. Octobris.* Vacat.

20 *Duodecimo Kal. Octobris.*

Romæ, depositio (3) Joannis IV. Pontificis M. qui primus Monothelitarum hæresim damnavit, & virtutibus ac meritis clarus obdormivit in Domino,

21 *Undecimo Kal. Octobris.* Vacat.

22 *Decimo Kal. Octobris.* Vacat.

23 *Nono Kal. Octobris.* Vacat.

24 *Octavo Kal. Octobris.*

Festum B. M. Virginis de Mercede.

25 *Septimo Kal. Octobris.*

Jadræ, Translatio (4) S. Anastasiæ martyris.

26 *Sexto Kal. Octobris.* Vacat.

28 *Quinto Kal. Octobris.* Vacat.

28 *Quarto Kal. Octobris.* Vacat.

29 *Tertio Kal. Octobris.* Vacat.

30 *Pridie Kal. Octobris.*

In Bethleem Judæ, depositio (5) S. Hieronymi Stridone in Dalmatia nati, presbyteri & Ecclesiæ Doctoris, qui omnium studia litterarum adeptus, ac probatorum Monachorum imitator factus multa hæresum monstra gladio suæ doctrinæ confodit; demum cum ad decrepitam usque vixisset ætatem, in pace quievit, sepultus ad Præsepe Domini, cujus corpus postea Romam delatum in basilica S. Mariæ Majoris conditum fuit.

OCTOBRIS.

1 *Kal. Octobris.*

Tomis (6) in Ponto passio sanctorum martyrum Prisci Crescentis & Evagrii.

2 *Sexto Nonas Octobris.* Vacat.

3 *Quinto Nonas Octobris.*

Sirmii. (7) Passio, plurimorum Martyrum, qui diu carcerum angustiis, variisque tormentis cruciati una die jussu Diocletiani interfecti sunt.

4 *Quarto Nonas Octobris.*

Assisii in Umbria natalis S. Francisci Conf. Fundatoris Ordinis Minorum, qui e Syria rediens Dalmatiam, (8) & Ragusium præsertim com

---

(1) Præter Bollandistas & Baronium in Martyrologio vide Tomum nostrum VIII.

(2) Vide laudatos mox Scriptores.

(3) Natione Dalmata fuit, & de Dalmatis optime meritus sæc. VII. cujus pietatem, caritatem & munificentiam calamitosissimis iis temporibus experti sunt. Ejus gesta descripsimus tum in Tom. I. Operis nostri in Actis S. Venantii cap. 2. tum præcipue in 2. pag. 317. & seq. *Sancti* titulo jure nuncupatus & a Papebrochio in Propylæo Maji.

(4) De hac translatione vide jam dicta ad diem XV. Januarii, & Tom. V. Operis nostri.

(5) Hieronymum non solum ut indigenam, sed ut principem totius nationis Patronum solemni cultu Dalmatæ jure ac merito venerantur. De illius patria, vita & gestis ac operibus, tot scripsere viri, ut eos enumerare infinitum foret. Unus omnes complectitur, & omnibus excellit P. Stiltingus, qui ejus vitam doctissime ac studiosissime descripsit ad diem 30. Septembris Bolland.

(6) Vide Tomum 8.

(7) De his egimus Tom. 7. post acta S. Anastasiæ. Eorum martyrium ad an. 290. refertur, & ad initium circiter hujus mensis.

(8) De Dalmatico S. Francisci itinere dictum est in Tom. 4. 5. & 6. Operis nostri. Porro Dalmatæ præcipuo honore affectuque prosequi Franciscum debent, cujus filiorum laboribus, & incommodis ærumnisque gravissimis, tum Apostolicis excursionibus, sanctitate præsertim, & sanguine sæpissime effuso stetit, & stat adhuc Christiana religio in Illyrico nostro ab ipsis sanctissimi Franciscani Instituti exordiis.

Flo-

Digitized by Google

cum sua præsentia decorasset & concionibus sermonibusque sanctissimis instruxisset, inde in Italiam regressus est. Ejus vitam sanctitate & miraculis plenam S. Bonaventura descripsit.

5 *Tertio Nonas Octobris.*

In Bosna, B. (1) Joannis Arragonensis Conf. qui zelo Fidei catholicæ fervens maxime laboravit in convertendis hæreticis, & plurimis illustratus miraculis spiritum Deo reddidit.

6 *Pridie Nonas Octobris.* Vacat.

7 *Nonis Octobris.*

Commemoratio Sanctæ Mariæ de Victoria, (2) quam Pius V. Pontifex Maximus ob insignem victoriam a Christianis bello navali ejusdem Dei Genetricis auxilio hac ipsa die de Turcis reportatam quotannis fieri instituit, & Gregorius XIII. annuam solemnitatem Rosarii ejusdem Beatissimæ Virginis Dominica prima hujus mensis ob eamdem causam celebrandam decrevit. Salonæ (3) Sancti Theodori Episcopi & martyris.

8 *Octavo Idus Octobris.* Vacat.

9 *Septimo Idus Octobris.*

Venetiis B. (4) Gratiæ Catharensis Ord. S. Augustini, mira abstinentia conspicuus.

10 *Sexto Idus Octobris.*

Spoleti. (5) B. Demetrii Albanensis e Tertio D. Francisci Ordine, heremiticæ vitæ & insignis pœnitentiæ laude clarus.

11 *Quinto Idus Octobris.* Vacat.

12 *Quarto Idus Octobris.* Vacat.

13 *Tertio Idus Octobris.* Vacat.

14 *Pridie Idus Octobris.* Vacat.

15 *Idibus Octobris.* Vacat.

16 *Decimoseptimo Kal. Novembris.* Vacat.

17 *Decimosexto Kal. Novembris.* Vacat.

18 *Decimoquinto Kal. Novembris.*

Natalis S. (6) Lucæ Evangelistæ, qui in Dalmatia Evangelium prædicavit, & multa passus pro Christi nomine, Spiritu Sancto plenus obiit in Bythinia. Cujus corpus Cpolim translatum est, & inde Patavium. Romæ S. Tryphoniæ (7) uxoris Decii Cæsaris, quæ in crypta juxta S. Hyppolitum sepulta est. In Bosna (8) B. Petri Soliutri miraculis clari.

19 *Decimoquarto Kal. Novembris.*

In Apulia, B. (9) Vitalis Albanensis Confessoris, cui tantus in oratione fervor inerat, ut sæpe in extasim abiret, indeque prophetico spiritu futura secretaque reseraret.

20 *Decimotertio Kal. Novembris.* Vacat.

21 *Duodecimo Kal. Novembris.*

In Cypro, natali S. Hilarioris Abbatis, (10) qui Epidaurum adveniens ea loca virtutibus ornavit atque miraculis; ejus vitam descripsit S. Hie-

(1) Floruit vir sanctus an. circ. 1340. de quo in Tom. IV. in Ecclesia Bosnensi a nobis dictum. Vide Arturum in martyrol. Francisc. & laudatos ab eo Scriptores, præsertim Waddingum ad eum an.

(2) Victoria ad Echinadas insulas relata fuit socialibus copiis Pii V. Rom. Pontificis, Philippi Hispaniarum regis, & Reipublicæ Venetæ an. 1571. quæ Dalmatis auspicatissima esse debet tum ob propulsatam e Dalmatia Turcarum tyrannidem, tum ob eximiam eorum virtutem, quæ in hoc prælio maxime enituit.

(3) De cujus martyrio & cultu satis actum in tom. I. Illyr. Sacr. pag. 700.

(4) Ejus acta edidimus in Tom. VI. Operis nostri pag. 475. Præcipua autem veneratione colitur Mulæ, qui pagus est mille fere passus Catharo distans, decreta ejus cultui die octava Novembris. Ejus corpus ex insula D. Christophori prope Venetias translatum est an. 1810. Mulam in cujus Æde Parœciali colitur.

(5) Aulone in nova Epiro ortum esse ferunt, unde in Italiam digressus an. 1432. celebri sanctitate Spoletinam urbem ornavit; ibique vita functus est an. 1471. hac die decima Octobris; ejus corpus in Ecclesia D. Paulli extra Spoleti mœnia honorifice conditum est. De eo Jacobillus tom. 2. Sanct. Umbriæ, & nos tom. VII. in Ecclesia Aulonensi.

(6) Dalmaticum Lucæ Apostolatum probavimus in Tom. I. Operis nostri.

(7) Tryphoniam nostris Fastis jure inserimus, quæ Decii e Bubaliæ oppido in Pannonia Savia orti, uniusque ex Illyricis Imp. uxor fuit; de qua veteres martyrologi & Baronius hodie.

(8) Hunc Arturus commemorat in martyr. Francisc.; ad Salinas superiores obiisse ferunt, ubi summa veneratione a Bosnensibus colitur.

(9) Erat ex Ord. Minorum, de quo Arturus; vivebat adhuc an. 1460., & sepultus jacet in Cœnobio Atiensi.

(10) De adventu Hilarionis in Dalmatiam dictum satis in Tom. VI. Operis nostri.

Digitized by Google

S. Hieronymus, (1) Cyzici in Propontide passio S. Evilasii martyris.

22 *Undecimo Kal. Novembris.* Vacat.

23 *Decimo Kal. Novembris.*

Apud Villachum, (2) in Pannonia sancti Joannis de Capistrano Ord. Min. vitæ sanctitate, ac zelo catholicæ fidei propagandæ adversus Turcas in Serblia & Bulgaria admirabilis.

24 *Nono Kal. Novembris.* Vacat.

25 *Octavo Kal. Novembris.*

Romæ, B. (3) Catharinæ viduæ, Bosnensium reginæ, quæ, sumpto Tertiariorum Ord. Minor. habitu, patientia, castitate & pietate atque humilitate mirum in modum emicuit,

26 *Septimo Kal. Novembris.* Vacat.

27 *Sexto Kal. Novembris.* Vacat.

28 *Quinto Kal. Novembris.*

Romæ, sanctæ (4) Cyrillæ virginis, filiæ S. Tryphoniæ, quæ sub Claudio Principe jugulata est.

29 *Quarto Kal. Novembris.* Vacat.

30 *Tertio Kal. Novembris.* Vacat.

31 *Pridie Kal. Novembris.* Vacat.

NOVEMBER.

1 *Kalendis Novembris.*

Festivitas omnium Sanctorum, quam in honorem B. Dei Genitricis Mariæ & sanctorum Martyrum Bonifacius Papa IV., dedicato templo Pantheon, celebrem & generalem instituit agi quotannis in urbe Roma. Sed & Gregorius item IV. postmodum decrevit, eamdem Festivitatem, quæ variis modis jam in diversis Ecclesiis celebrabatur, in honore omnium Sanctorum hac die ab universa Ecclesia observari.

2 *Quarto Nonas Novembris.*

Commemoratio omnium Fidelium defunctorum.

3 *Tertio Nonas Novembris.* Vacat.

4 *Pridie Nonas Novembris.*

In Pannonia (5) apud Albam regalem depositio beati Emerici filii sancti Stephani Hungarorum regis. Argentorati, B. (6) Joannis Theutonici Ord. Prædicat. Episcopi Bosnensis insigni humilitate, pastorali zelo, & miraculis illustris.

5 *Nonis Novembris.* Vacat.

6 *Octavo Idus Novembris.* Vacat.

7 *Septimo Idus Novembris.* Vacat.

8 *Sexto Idus Novembris.* Vacat.

9 *Quinto Idus Novembris.*

Romæ, Dedicatio Basilicæ Salvatoris.

10 *Quarto Idus Novembris.* Vacat.

11 *Tertio Idus Novembris.* Vacat.

Pri-

(1) Natione Dalmata, de quo Martyrologi, & in tom. 1. pag. 444. Illyr. Sacr.

(2) Plurimum debet Illyrica Ecclesia Joannis Apostolicis prædicationibus & laboribus, quibus ab Turcarum tyrannide eam tutari connisus. Nonnulla de eo diximus in tom. v. Operis nostri; & plura in Ecclesia Sirmiensi. Arturus in martyrol. Francisc. & Waddingus in Annal. luculentissime de Joanne scripsere.

(3) Obiit an. 1478., & præter Arturum cæterosque Franciscanos Scriptores vide de illa Tom. iv. Illyr. Sacr.

(4) Vide in S. Tryphonia xv. Kal. Novembris, & præter Baronium hac die, & in tom. 2. Annal. ad an. 269. consule acta S. Laurentii die 10. Aug. apud Bollandistas.

(5) Quem inter Divos Illyricæ Ecclesiæ optime meritos, ac patronos jure licet adnumerare; licet immatura morte præreptus in patrium regnum non successerit. Plura de illo in vita S. Stephani ad diem 2. Sept. Bolland., & apud alios Hagiologos.

(6) Ejus vitam descripsimus tom. iv. Illyric. Sacri eumque celebrant sui Ordinis Scriptores, Turonius præsertim tom. 1. de Viris illustribus Dominic.

Hunc

Digitized by Google

12 *Pridie Idus Novembris.* Vacat.

13 *Idibus Novembris.* Vacat.

14 *Decimooctavo Kal. Decembris.*

(1) Nonæ, inventio corporis S. Anselmi Episcopi, & urbis Patroni. Tragurii, sancti Joannis (2) Ursini ejusdem urbis Episcopi, & principis Patroni, qui cum Ecclesiam suam eximiis virtutibus, & sanctissimis doctrinis gubernasset, laboribus, & vitæ asperitate consumptus ad cœlestia præmia migravit. Hierosolymis (3) passio B. Nicolai, qui in perfidiam Mahumeticam zelo religionis Christianæ aperte invehens a Turcis glorioso martyrio cum tribus sociis affectus est.

15 *Decimoseptimo Kal. Decembris.* Vacat.

16 *Decimosexto Kal. Decembris.* Vacat.

17 *Decimoquinto Kal. Decembris.*

Cracoviæ in Polonia, (4) beatæ Salomeæ Colomanni Hungariæ regis uxor, quæ, viro extincto, sub habitu Clarissarum vitæ sanctimonia & miraculorum frequentia claruit.

18 *Decimoquarto Kal. Decembris.*

Romæ, dedicatio Basilicarum sanctorum Apostolorum Petri & Paulli.

19 *Decimotertio Kal. Decembris.*

Apud Marpurgum (5) Hassiæ oppidum in Germania, sanctæ Elisabeth viduæ, Andreæ regis Hungarorum filiæ, quæ sub habitu tertii Ordinis Minoritani pietatis operibus assidue intenta, & miraculis clara transiit ad Dominum, quam Gregorius IX. Papa Sanctorum catalogo adscripsit.

20 *Duodecimo Kal. Decembris.*

Dorostori in Mæsia (6), sancti Dasii Episcopi, qui cum nollet in festo Saturni impudicitiis ejus consentire, sub Basso Præside cæsus est.

21 *Undecimo Kal. Decembris.*

Hierosolymis, Præsentatio B. Dei Genetricis Virginis Mariæ in templo.

22 *Decimo Kal. Decembris.* Vacat.

23 *Nono Kal. Decembris.*

Natalis S. Clementis Papæ, qui Petrum Apostolum per Illyricum (7) secutus, disseminato Christi Evangelio, & aliquot ibi constitutis Ecclesiis, de Illyrica Ecclesia optime meritus est. Tertius post B. Petrum Pontificatum tenuit, & in persecutione Trajani apud Chersonesum relegatus, ibi, alligata ad collum anchora, martyrio coronatur. Ejus corpus Nicolao primo Pontifice Romam translatum in Ecclesia, quæ ejus nomine antea exstructa fuerat, honorifice reconditum est.

24 *Octavo Kal. Decembris.* Vacat.

25 *Septimo Kal. Decembsis.* Vacat.

26 *Sexto Kal. Decembris.* Vacat.

27 *Quinto Kal. Decembris.* Vacat.

28 *Quarto Kal. Decembris.*

Neapoli in Campania B. Jacobi a Marchia confessoris, qui admirabili paupertate, charitate, vitæ austeritate & in Deum pietate præditus virginitatem m illibatam perpetuo servans Cœnobiis sui Ordinis (8) in ditione Ragusina pluries præfuit, tum ferventissimis con-

---

(1) Hunc diem celebrant Nonenses duplici ritu; & de hac inventione satis dictum in Ecclesia Nonensi tom. IV. Operis nostri.

(2) In eodem tomo B. Joannis, ejusque cultus historiam habes fusissime descriptam.

(3) Erat patria Sibenicensis ex illustri domo Taviglichia, & in Franciscanum Ordinem cooptatus martyrium subiit sub exitu sæc. XIV. De eo in Tom. 4. Operis pag. 463. vide & Arturum in martyrol. Franc. ad diem XI. hujus mensis.

(4) Inter Hungariæ reginas nobilissima, & inter Hungaros Cœlites adnumeranda, qui e regia stirpe rem Christianam in Illyrico nostro mire juverunt. Colomanni ejus viri sæpe inest mentio tom. 3. 4. & 5. Operis nostri; de illa Arturus in martyrol. Francisc. & in Gynæceo Sacr. hac die.

(5) Ludovici Thuringiæ Lantgravii uxor fuit; Margaritæ, & Cunegundis, sanctissimarum mulierum amita, de quibus suo loco dictum, tum B. Salomeæ Colomanni fratris uxoris affinis; hanc universa Ecclesia hodie colit, & Hungarici, ac Franciscani Scriptores celebrant. Vide præ cæteris Arturum in martyrol. Francisc. & Gynæc. Sacr.

(6) Ex Baronio in martyrol. & tom. nostro 8.

(7) Illyricum Clementis Apostolatum descriptum est in Tom. 1. Operis nostri; & de Clemente fuse agit Baronius in Annal. & in martyr. tum Papebrochius in Propylæo Maji Balland.

(8) Hæc innuimus in Tom. IV. Operis nostri pag. 66. 71. Vide & Arturum hac die; a Ragusinis vero hodie sacris officiis colitur.

concionibus Ragusium sæpe excoluit; schismaticorum, infidelium, atque hominum perditorum ingentem per alia loca, in Italia præsertim, convertit multitudinem; spiritu etiam prophetico repletus & miraculis prope innumeris in vita & post mortem clarus meruit a Sede Apostolica inter Beatos Cælites recenseri.

29 *Tertio Kal. Decembris.* Vacat.

30 *Pridie Kal. Decembris.*

Apud Patras Achajæ natalis S. Andreæ Apostoli, qui in Thracia & Scythia, & (1) conterminis Illyrici partibus Christi Evangelium prædicavit. Is ab Ægæa proconsule comprehensus, primo in carcere clausus, deinde gravissime cæsus, ad ultimum in cruce suspensus, in ea populum docens biduo supervixit; & rogato Domino, ne eum sineret de cruce deponi, circumdatus magno splendore de cœlo, abscedente postmodum lumine, emisit spiritum.

D E C E M B E R.

1 *Kalendis Decembris.* Vacat.

2 *Quarto Nonas Decembris.* Vacat.

3 *Tertio Nonas Decembris.* Vacat.

4 *Pridie Nonas Decembris.* Vacat.

5 *Nonis Decembris.*

IN territorio Guardiensi prope Gulionisium Apuliæ oppidum, beati Simonis de (2) Slavis, Confessoris, qui humilitate; paupertate ac devotione pollens, gratia sanitatum, & potentia adversus dæmones plurimum celebratur.

6 *Octavo Idus Decembris.* Vacat.

7 *Septimo Idus Decembris.* Vacat.

8 *Sexto Idus Decembris.*

Conceptio gloriosæ semper Virginis Dei Genetricis Mariæ.

9 *Quinto Idus Decembris.* Vacat.

10 *Quarto Idus Decembris.* Vacat.

Laureti in Piceno, Translatio (3) almæ Domus Lauretanæ.

11 *Tertio Idus Decembris.* Vacat.

12 *Pridie Idus Decembris.* Vacat.

13 *Idibus Decembris.* Vacat.

14 *Decimonono Kal. Januarii.*

Polæ, in Istria (4), B. Otto virtutibus & miraculis floruit.

15 *Decimooctavo Kal. Januarii.* Vacat.

16 *Decimoseptimo Kal. Januarii.*

Novocomi, S. Rubiani (5) Episcopi, qui vitæ sanctitate, & insigni in pauperes caritate clarus ex hac vita ad æternam migravit beatitudinem.

17 *Decimosexto Kal. Januarii.* Vacat.

18 *Decimoquinto Kal. Januarii.* Vacat.

19 *Decimoquarto Kal. Januarii.*

(7) Natalis B. Georgii Albanensis Ord. Minorum sanctitate illustris.

20 *Decimotertio Kal. Januarii.* Vacat.

21 *Duodecimo Kal. Januarii.* Vacat.

22 *Undecimo Kal. Januarii.* Vacat.

23 *Decimo Kal. Januarii.* Vacat.

24 *Nono Kal. Januarii.*

Vigi-

---

(1) Inter Illyrici Apostolos & Andream adnumerandum esse, probavimus jam in Tom. 1.

(2) Jadrensem fuisse ferunt. De eo Arturus hodie.

(3) Est hæc altera translatio natalis B. Mariæ V. Domus e Dalmatia in Picenum, quam clerus Dalmaticus hac die celebrat cum Ecclesia universa: de prima vero vide ad diem x. Maji.

(4) Dalmata natione, vitæ instituto Franciscanus in Polensi sui Ordinis Cœnobio sepultus jacet. De eo Waddingus ad an. 1241.

(5) S. Adalberti Siscieusis, eique in Sede Novocomensi successoris, concivis, & affinis. De Rubiano Tattus præcipue disserit in Annal. Novocom. tom. 1., & Ughellius in Italia Sac. ubi de Comensi Episc., vide & Hagiographos Antuerp. in vit. S. Adalberti ad diem 3. Jun.

(6) Apud Arturum in martyrologio.

De

Digitized by Google

Vigilia Nativitatis Domini nostri Jesu Christi.

25 *Octavo Kal. Januarii.*

Nativitas Domini nostri Jesu Christi secundum carnem. Sirmii. Sanctæ (1) Anastasiæ, quæ tempore Diocletiani a Probo Præfecto Illyrici igne combusta nobilem martyrii palmam adepta est cum sociis utriusque sexus ducentis ac septuaginta, qui die eodem cæsi sunt. Ibidem S. Eutychianus, e sociis Anastasiæ unus, qui postquam ex his alios sacro baptismate donasset, alios ad obeundum fortiter martyrium adhortatus esset, eodem cum cæteris supplicio occubuit.

26 *Septimo Kal. Januarii.*

Breberæ, in Dalmatia, (2) Beati Andreæ Albanensis confessoris, cujus sanctitatem quamplurima post mortem miracula declarant.

27 *Sexto Kal. Januarii.* Vacat.

28 *Quinto Kal. Januarii.* Vacat.

29 *Quarto Kal. Januarii.* Vacat.

30 *Tertio Kal. Januarii.* Vacat.

31 *Pridie Kal. Januarii.*

Rhætiariæ, (3) Sancti Hermetis Exorcistæ.

---

(1) De S. Anastasia abunde dictum tom. VI. in S. Donato Ep. Jadrensi, & tom. VII. in martyribus Sirmiensibus, ubi de S. Eutychiano & sociis.

(2) Andream celebrant Arturus, aliique ab eo laudati Franciscani Scriptores. Floruit sæc. XIV. sepultusque est in ipso Breberæ oppido; de Comitibus Breberiensibus vide Lucium, de regno Dalmatiæ &c.

(3) Ex martyrol. Baronii, qui Usuardum nominat, Adonem aliosque Martyrologos. Sollerius in suo Usuardo tom. 7. p. 2. Jun. Boll. ad hanc diem observat, proprium hoc esse, ac genuinum Usuardi textum, ac Hermetis nomen a Hieronymianis apographis exscriptum: *Retiariæ sancti Hermetis exorcistæ*. Apographum Usuardinum Hagenoyense, male adjungit. *In Recia provincia, civitate Reciariæ depositio sancti Hermetis exorcistæ*. Ratiaria enim sive Retiaria urbs erat Daciæ ripensis subjecta Sirmiensi Metropolitæ, de qua vide tom. 7. ubi Hermetis memoriam inscientes omisimus; urbis situs nunc in Bulgaria inquirendus est potius, quam in Serblia, uti Castellano visum est apud laudatum Sollerium. Editio Usuardi Lubeco-Coloniensis Hermetem & *Confessorem* appellat; sed de illo altum apud omnes Scriptores silentium.

IN-

Digitized by Google

INDEX NOMINUM.

A

Acacius m. Axiopoli 10 Maji.
Adalbertus ep. m. in Borussia 23 Aprilis.
Adalbertus ep. conf. Novocomi 3 Junii.
Adamus conf. Cathari 31 Julii.
Æmilianus m. Dorostori 18 Julii.
Afra m. in Specia 14 Junii.
Agape v. m. Salonæ 3 Aprilis.
Agapitus ep. m. Salonæ 1 Augusti.
Agrippinus m. Sirmi 15 Julii.
Alexander m. apud Ostia Tyberina 18 Februarii.
Alexandra m. Corcyræ Melænæ 21 Aprilis.
Ambrosius conf. Nonæ 8 Januarii.
Amphilochius m. in Illyrico 27 Martii.
Anastasia m. Sirmii 15 Januarii 25 Septemb. & Decemb.
Anastasius m. in Dalmatia 11 Aprilis.
Anastasius m. Salonæ 28 Julii 21 & 26 Augusti.
Andreas conf. Stagni 9 Aprilis.
Andreas m. Cathari 7 Julii.
Andreas ap. Patris 30 Novembris.
Andreas conf. Breberæ 26 Decembris.
Andronicus ep. Sirmii 17 Maji.
Angelus conf. Foiniæ 7 Junii.
Angelus conf. Alatri 7 Septembris.
Annunciatio B. M. V. 25 Martii.
Anselmus ep. conf. Nonæ 26 Augusti.
Antia m. Romæ 18 Aprilis.
Antigonus m. Sirmii 23 Februarii.
Antiochianus m. in Dalmatia 11 Aprilis.
Antonius Archiep. conf. Dyrrhachii 15 Martii.
Antonius m. in Specia 14 Junii.
Apollo m. in insula Issa 21 Aprilis.
Argeus m. Tomis 2 Jun.
Aristus m. Tomis 3 Aprilis.
Artemia v. m. Romæ 16 Martii.
Asclepiodorus m. in Mœsia 15 Septembris.
Assumptio B. M. V. 15 Augusti.
Asterius m. in Dalmatia 11 Aprilis.
Astion mon. m. Almiride in Scythia Pontica 8 Julii.
Astius ep. m. Dyrrhachii 6 Julii.
Augustinus ep. conf. Luceriæ 3 Augusti.

B

Basilius m. Apolloniæ 17 Junii.
Basilla v. Sirmii 29 Augusti.
Bassus m. Dorostori 18 Julii.
Benedictus conf. in Hungaria 11 Julii.
Benignus m. Tomis 3 Aprilis
Bretannio ep. Tomis 25 Januarii.

C

Cajanus m. in Dalmatia 11 Aprilis.
Cajus pap. m. Romæ 22 Aprilis.
Cantionella m. in Specia 14 Junii.
Carolus conf. Aquisgrani 28 Januarii.
Catharina vid. Romæ 25 Octobris.
Cathedra S. Petri Romæ 18 Januarii.
Antiochiæ 22 Februarii.
Chionia v. m. Salonæ 3 Aprilis.
Chiristus m. Tomis 3 Aprilis.
Chronida m. in Illyrico 27 Martii.
Circumcisio D. N. J. C. 1 Januarii.
Claudius m. apud Ostia Tyberina 18 Februarii.
Clemens pap. m. in Chersoneso 23 Novembris.
Cæcilia m. Sirmii 8 Julii.
Cæsar ep. Dyrrhachii 15 Julii.
Commemoratio S. Pauli ap. 30 Junii.
B. V. de Carmelo 16 Julii.
de Mercede 24 Septembris.
de Victoria 7 Octobris.
Omnium Fid. Def. 2 Novemb.
Conceptio B. M. V. 8 Decembris.
Conradus conf. 17 Junii.
Constantia Romæ 18 Februarii.
Constantinus conf. Nicomediæ 21 Maji.
Conversio S. Pauli ap. 25 Januarii.
Cordatus m. in Insula Issa 21 Aprilis.
Cornelius ep. Cæsareæ 2 Februarii.
Crescens m. Tomis 1 Octobris.
Crispion m. Axiopoli 10 Maji.
Cunegunda. Sandeciæ 24 Julii.
Cuthia v. m. apud Ostia Tyberina 18 Februarii.
Cyriacus m. Tomis 2 Junii.
Cyrilla v. m. Romæ 28 Octobris.
Cyrillus ep. in Moravia 9 Martii.

D

Dada m. Dorostori 13 Aprilis.
Dalmatius m. Salonæ 11 Aprilis.
Danax m. Aulone 16 Januarii.
Dasius m. Axiopoli 5 Augusti.
Dasius ep. m. Dorostori 20 Novembris.

De-

Digitized by Google

Dedicatio S. Petri ad Vincula Romæ 1 Augusti.
S. Mariæ ad Nives Romæ 5 Augusti.
Basilicæ Salvatoris Romæ 9 Novembris.
Basilicæ Petri & Pauli Romæ 18 Novembris.
Demetrius conf. Spoleti 10 Octobris.
Desponsatio B. M. V. 23 Januarii.
Dion m. Axiopoli 10 Maji.
Dionysius archiep. conf. Kioviæ 26 Junii.
Domnius ep. m. Salonæ 11 Aprilis 7 & 10 Maji & 29 Julii.
Donata m. Dorostori 18 Julii.
Donatus ep. conf. Jadræ 25 Februarii.
Donatus m. Sirmii 9. Aprilis & 21 Augusti.

E

Eleutherius ep. m. Romæ 18 Aprilis.
Elisabeth Marpurgi 19 Novembris.
Emericus conf. Albæ 4 Novembris.
Emilius m. Tomis 20 Junii.
Eperentius m. Sirmii 8 Julii.
Epictetus presb. m. Almiride in Scythia Pontica 8 Julii.
Epiphania Domini 6 Januarii.
Epænetus ep. in Pannonia 30 Julii.
Eraclius m. Sirmii 8 Julii.
Eraclus m. Axiopoli 3. Augusti.
Evagrius m. Tomis 3 Aprilis 1 Octobris.
Evangelista conf. Ragusii 1 Augusti.
Eusebius ep. m. Cibali 28 Aprilis.
Eutichianus m. Sirmii 25 Decembris.
Evilasius m. Cyzici 21 Octobris.
Exaltatio S. Crucis 14 Septembris.

F

Feliciana v. m. Tomis 20 Junii.
Felix ep. m. Spalati 18 Maji.
Felix m. Apolloniæ 17 Junii.
Felix m. Tomis 20 Junii.
Festivitas Omnium Sanctorum 1 Novembris.
Florus m. in Dardania 18 Augusti.
Fortunatus m. Sirmii 9 Aprilis & 15 Julii.
Fortunatus m. Aquilejæ 12 Julii.
Franciscus conf. Uriæ 17 Maji.
Franciscus conf. Assisii 4 Octobris.

G

Gabinius m. Romæ 19 Februarii.
Gabriel m. in Bulgaria 22 Januarii.
Gajanus m. in Dacia 10 Aprilis.
Gaudentius ep. Absori 28 Januarii, & 1 Junii.
Georgius ep. m. in Bulgaria 22 Januarii.
Georgius ep. m. Corcyræ Melænæ 23 Aprilis.
Georgius conf. Mori 13. Junii.
Georgius conf. 19 Decembris.
Germanus m. Dyrrhachii 7 Julii.
Gisela Pataviæ 7 Maji.
Gratia conf. Venetiis 9 Octobris.
Gregorius m. Bidini 12 Februarii.
Guido conf. Neapoli 12 Junii.

H

Hadrianus m. Nicomediæ 26 Augusti.
Helena Romæ 18 Augusti.
Heliodorus ep. Altini 3 Julii.
Hermagoras ep. m. Aquilejæ 12 Julii.
Hermes ep. m. Novis Patris 8 Aprilis.
Hermes Rhetiariæ 31 Decembris.
Hermogenes m. Cibali 21 Augusti.
Hermylus m. Singiduni 13 Januarii.
Hesychius m. Dorostori 15 Junii.
Hesychius m. Dyrrhachii 7. Julii.
Hieremias m. Apolloniæ 17 Junii.
Hieronymus conf. & doct. Bethleem 30 Septembris.
Hilarion conf. in Cypro 21 Octobris.

J

Jacobus conf. Bitecti 27 Aprilis.
Jacobus ap. Hierosolymis 25 Julii.
Jacobus conf. Neapoli 28 Novembris.
Ignatius ep. m. Romæ 1. Februarii.
Innocentius m. Apolloniæ 17 Junii.
Inventio S. Crucis Hierosolymis 3 Maji.
Inventio S. Anselmi ep. Nonæ 14 Novembris.
Joannes m. in Bulgaria 22 Januarii.
Joannes conf. Lucæ 20 Martii.
Joannes archiep. conf. Budæ 11 Junii.
Joannes conf. Neapoli 24 Junii.
Joannes conf. in Bohemia 24 Junii.
Joannes conf. Stagni 8 Julii.
Joannes archiep. conf. Antibari 1 Augusti.
Joannes conf. Tragurii 13 Augusti.
Joannes pap. conf. Romæ 20 Septembris.
Joannes ep. conf. Argentorati 4 Novembris.
Joannes conf. in Bosna 5 Octobris.
Joannes conf. Vilachi 23 Octobris.
Joannes ep. conf. Tragurii 14 Novembris.
Irene v. m. Salonæ 5. Aprilis.
Irenæus ep. m. Sirmii 25 Martii.
Irenæus m. Axiopoli 5 Augusti.
Isacius m. in insula Issa 25 Aprilis.
Isaurus m. Apolloniæ 17 Junii.
Julianus m. Soræ 27 Januarii.
Julius m. Dorostori 27 Maji 8 Junii.
Justus m. Dorostori 18 Julii.

La-

L

Ladislaus conf. Varadini 28 Junii.
Laurentius patr. conf. Venetiis 8 Januarii.
Laurentius m. Cathari 7. Julii.
Laurus m. in Dardania 18 Augusti.
Leo ep. m. in Bulgaria 22 Januarii.
Leo m. in Bulgaria 22. Januarii.
Leo conf. Leopoli 1 Augusti.
Lucas Evang. in Bythinia 18 Octobris.
Lucianus m. Dyrrhachii 7 Julii.
Lylius m. Sirmii 23 Februarii.
Lydia m. in Illyrico 27 Martii.

M

Macedo m. in Illyrico 27 Martii.
Magrinus m. Tomis 5 Julii.
Manuel ep. m. in Bulgaria 22 Januarii.
Marcellinus m. Tomis 2 Junii.
Marcella Nonæ 27 Augusti.
Marcellinus conf. 24 Januarii.
Marcus evang. Alexandriæ 25 Aprilis.
Marcus m. Dorostori 8 Junii.
Margarita v. in Pannonia 18 Januarii.
Marina m. Tomis 5 Julii.
Marinus m. Dorostori 18 Julii.
Marinus conf. in monte Titano 4 Sept.
Martialis m. Sirmii 15 Julii.
Martinianus ep. conf. Novocomi 3 Septembris.
Martinus conf. 20 Martii.
Martyres LXXII. Sirmii 23 Februarii.
Martyres XXXII. in Dalmatia 8 Martii.
Martyres v. Visochii 26 Martii.
Martyres XL. Sirmii 26 Martii.
Martyres XLV. Salonæ 11 Aprilis.
Martyres VI. Romæ 21 Aprilis.
Martyres VI. Romæ 22 Aprilis.
Martyres XXX. Sirmii 4 Julii.
Martyres plurimi Nicopoli 11 Augusti.
Martyres plurimi Sirmii 3 Octobris & 25 Decembris.
Matthias ap. in Judæa 24 Februarii.
Mauritius conf. Javarini 28 Martii.
Maurus m. in Dalmatia 11 Aprilis.
Maximus m. apud Ostia Tyberina 18 Februarii.
Maximus m. Dorostori 13 Aprilis & 18 Julii.
Maximus m. Sirmii 15 Julii.
Maximus m. in Dardania 18 Augusti.
Maximus m. in Mæsia 15 Septembris.
Melitina m. Martianopoli 15 Septembris.
Mercurialis ep. conf. Forolivii 30 Aprilis.
Merona m. Tomis 5 Julii.
Methodius ep. conf. in Moravia 9 Martii.
Michael conf. Crepsi 29 Januarii.
Moderata m. Sirmii 6 Aprilis.
Montanus m. Sirmii 26 Martii.

N

Narcissus m. Tomis 2 Januarii.
Nativitas B. M. V. 8 Septembris.
Nativitas D. N. J. C. 25 Decembris.
Nepotianus conf. Altini 11 Maji.
Nicetas ep. conf. in Dacia 7 Januarii.
Nicolaus conf. Traguris 13 Januarii.

O

Osanna v. Cathari 25 Januarii 27 Aprilis.
Ostratus m. Sirmii 8 Julii.
Otto conf. Polæ 14 Decembris.

P

Papius m. Dyrrhachii 7 Julii.
Parodus m. in Bulgaria 12 Januarii.
Pasicrates m. Dorostori 25 Maji.
Patritius m. Tomis 3 Aprilis.
Paula m. Tomis 20 Junii.
Paulinianus m. in Dalmatia 11 Aprilis.
Paulus m. Tomis 20 Junii.
Paulus ap. Romæ 29 Junii.
Paulus m. Dorostori 18 Julii.
Pelagius m. Æmonæ 28 Augusti.
Peregrinus ep. conf. in Bosnia 28 Januarii.
Peregrinus m. Apolloniæ 17 Junii.
Peregrinus m. Dyrrhachii 7 Julii.
Petrus m. Sirmii 8 Januarii.
Petrus conf. Cuxani 10 Januarii.
Petrus ep. m. in Bulgaria 22 Januarii.
Petrus ap. Romæ 29 Junii.
Petrus m. Cathari 7 Julii.
Petrus conf. in Bosnia 18 Octobris.
Philetus m. in Illyrico 27 Martii.
Pollio m. Cibali 28 Aprilis.
Pompejus m. Dyrrhachii 7 Julii.
Præpedigna m. apud Ostia Tyberina 18 Februarii.
Præsentatio B. M. V. Hierosolymis 21 Novembris.
Priscus m. Tomis 1 Octobris.
Proculus m. in Dardania 18 Augusti.
Publius ep. m. Athenis 21 Januarii.
Purificatio B. M. V. Hierosolymis 2 Februarii.

Q

Quindeus m. Axiopoli 9 Maji.
Quintilianus m. Dorostori 13 Aprilis.
Quirillus. m Axiopoli 9 Maji.
Quirinus ep. m. Sisciæ 4 Junii.

Ray-

Digitized by Google

R

Raynerius archiep. m. Spalati 4 Augusti.
Rodofia m. Tomis 5 Julii.
Rogatianus m. Sirmii 23 Februarii.
Romana m. Sirmii 6 Aprilis.
Romulus m. Sirmii 21 Augusti.
Rubianus ep. conf. Novocomi 16 Decembris.
Rufina m. Sirmii 6 Aprilis.
Rufinus m. Apolloniæ 17 Jun.
Rufus m. Apolloniæ 17 Jun.
Rufus m. Tomis 3. Apr.
Rutilus m. Sirmii 23 Febr.

S

Sabba archiep. conf. in Herzegovina 14 Januarii.
Salomæa vid. Cracoviæ 17 Novembris.
Saturninus m. Dyrrhachii 7 Julii.
Sebastia m. Sirmii 4 Julii.
Secunda m. Dorostori 18 Julii.
Secundinus m. Tomis 5 Julii.
Secundus m. Sirmii 6 Aprilis 15 Julii.
Senerotes m. Sirmii 23 Februarii.
Septimius m. in Dalmatia 11 Aprilis.
Septimus m. Salonæ 18 Aprilis.
Serena Romæ 16 Augusti.
Simon conf. in Apulia 5 Decembris.
Sinnidia m. Tomis 3 Aprilis.
Sionius m. in Bulgaria 22 Januarii.
Sirenus m. Sirmii 23 Februarii.
Sodera m. Tomis 5 Julii.
Spirus m. Sirmii 8. Julii.
Stephanus conf. Albæ 2 Septembris.
Stratonicus m. Singiduni 13 Januarii.
Strator m. Tomis 5 Julii.
Susanna v. m. Romæ 11 Aprilis.
Sylvanus m. Sirmii 27 Augusti.

T

Telius m. in Dalmatia 11 Aprilis.
Theodorus m. in Mæsia 15 Septembris.
Theodorus ep. m. Salonæ 7 Octobris.
Theodotus m. Tomis 5 Julii.
Theoprepis m. in Illyrico 23 Martii.
Theotimus ep. Tomis 21 Apr.
Thomas conf. Auxeri 13 Maji.
Thomas m. Tomis 20 Junii.
Thomus m. Tomis 5 Julii.
Tibadus m. Cibali 28 Aprilis.
Timotheus ep. m. Ephesi 24 Januarii.
Timotheus m. Sirmii 15 Maji.
Titus ep. Gortynæ 4. Januarii.
Transfiguratio D. N. J. C. 6. Augusti.
Translatio Almæ Domus Lauretanæ 10 Maji & Decembris.
Tryphonia Romæ 18 Octobris.

V

Valentio m. Dorostori 25 Maji.
Venantius ep. m. Delminii 1 & 3 Aprilis.
Venustus m. Cibali 21 Augusti.
Vigilia Nativitatis D. N. J. C. 24 Decembris.
Virgines v. mm. Sirmii 9 Aprilis.
Virgines VII. mm. Sirmii 9 & 15. Aprilis.
Vitalis conf. in Apulia 18 Octobris.
Vitus m. Sirmii 2 Januarii.
Ursius conf. Vicentiæ 3 Maji.
Victoricus m. Salonæ 18 Aprilis.

Z

Zeno m. Axiopoli 9 & 10 Maji.
Zosimus m. Tomis 3 Aprilis.

Digitized by Google

INDEX

LOCORUM.

ABSORI

GAudentius ep. conf. 28 Januarii 1. Junii.
Thomas conf. 13. Maji.

AEMONAE

Pelagius m. 28 Aug.

ALATRI

Angelus conf. 7 Sept.

ALBAE

Emericus conf. 4 Novembris.
Stephanus conf. 2 Septembris.

ALEXANDRIAE

Marcus ev. 25 Aprilis.

ALMIRIDE IN SCYTHIA PONTICA

Epictetus presb. m. 8 Julii.
Astion mon. m. 8. Julii.

ALTINI

Heliodorus ep. conf. 3. Julii.
Nepotianus conf. 11 Maji.

ANTIBARI

Joannes archiep. conf. 1 Augusti.

ANTIOCHIAE

Cathedra S. Petri 22 Februari.

APOLLONIAE

Basilius, Felix, Hieremias, Innocentius, Isaurus, Peregrinus, Rufus, Rufinus } mm. 17 Junii.

IN APULIA

Simon conf. 5 Decembris.
Vitalis conf. 18 Octobris.

AQUILEJAE

Fortunatus m. 12 Julii.
Hermagoras ep. m. 12 Julii.

AQUISGRANI

Carolus conf. 28 Januarii.

ARGENTORATI

Joannes ep. conf. 4 Novembris.

ASSISII

Franciscus conf. 4 Octobris.

ATHENIS

Publius ep. m. 21 Januarii.

AULONE

Danax m. 16 Januarii.

AXIOPOLI

Acacius m. 20. Maji.
Crispion m. 10 Maji.
Dasius m. 15 Augusti.
Dion m. 10 Maji.
Eraclus m. 5 Augusti.
Irenæus m. 5 Augusti.
Quindeus m. 9 Maji,
Quirillus seu Cyrillus ep. m. 9 Maji.
Zeno m. 9 Maji.

BETHLEEM

Hieronymus conf. 30 Septembris.

BIDINI.

Gregorius m. 12 Februarii.

BIGTETI

Jacobus conf. 27 Aprilis.

IN BOHEMIA

Joannes conf. 24 Junii.

Digitized by Google

IN BORUSSIA

Adalbertus ep. m. 20 Aprilis.

IN BOSNIA

Joannes conf. 5 Octobris.
Peregrinus ep. conf. 28 Januarii.
Petrus conf. 18 Octobris.

BREBERAE

Andreas conf. 26 Decembris.

BUDAE

Joannes archiep. conf. 11 Junii.

IN BULGARIA

Gabriel m.
Georgius ep. m.
Joannes m.
Leo ep.
Leo m. } 22. Januarii.
Manuel ep. m.
Parodus m.
Petrus ep. m.
Sionius m.

IN BYTHINIA

Lucas ev. 18 Octobris.

CAESAREAE

Cornelius ep. 2 Februarii.

CATHARI

Adamus conf. 31 Julii.
Andreas m. 7 Julii.
Laurentius m. 7 Julii.
Osanna v. 25 Januarii 27 Aprilis.
Petrus m. 7 Julii.

CIBALI

Eusebius ep. m. 18 Aprilis.
Hermogenes m. 20 Augusti.
Pollio m. 28 Aprilis.
Tiballus m. 28 Aprilis.
Venustus m. 21 Augusti.

CORCYRAE MELAENAE

Alexandra m. 21 Aprilis.
Georgius ep. m. 23 Aprilis.

CRACOVIAE

Salomæa 17 Novembris.

CREPSI

Michael conf. 29 Januarii.

CUXANI IN COMITATU RUSCINONENSI

Petrus conf. 10 Januarii.

IN CYPRO

Hilarion conf. 21 Octobris.

CYZICI

Evilasius m. 22 Octobris.

IN DACIA

Gajanus m. 10 Aprilis.
Nicetas ep. conf. 7 Januarii.

IN DALMATIA

Anastasius
Antiochianus } mm. 11 Aprilis.
Asterius
Cajanus
Martyres XXXII. 8 Martii.
Maurus
Paullinianus } mm. 11 Aprilis.
Septimius
Telius

DAMASCI

Conversio S. Paulli 25 Januarii.

IN DARDANIA

Florus
Laurus } mm. 18 Augusti.
Maximus
Proculus

DELMINII

Venantius ep. m. 1 & 3 Aprilis.

DOROSTORI

Æmilianus m. 18 Julii.
Bassus m. 18 Julii.
Dada m. 13 Aprilis.
Dasius ep. m. 20 Novembris.
Donata m. 18 Julii.
Hesychius m. 15 Junii.
Julius m. 27 Maji 8 Junii.

Justus m. 18 Julii.
Marcus m. 8 Junii.
Marinus m. 18 Julii.
Pasicrates m. 25 Maji.
Paullus m. 18 Julii.
Quintilianus m. 13 Aprilis.
Secunda m. 18 Julii.
Valentio m. 25 Maji.

DYRACHII

Antonius archiep. conf. 15 Martii.
Astius ep. m. 6 Julii.
Cæsar ep. 15 Julii.
Germanus, Hesychius, Lucianus, Papius m., Peregrinus, Pompejus, Saturninus — mm. 7 Julii.

EPHESI

Timotheus ep. m. 24 Januarii.

FOINIZE

Angelus conf. 7 Junii.

FOROLIVII

Marcolinus conf. 24 Januarii.
Mercurialis ep. conf. 30 Aprilis.

GORTHINAE

Titus ep. 4 Januarii.

IN HERZEGOVINA

Sabba archiep. conf. 14 Januarii.

HIEROSOLYMIS

Jacobus ap. 25 Julii.
Inventio S. Crucis 3 Maji.
Præsentatio B. M. V. 21 Novembris.
Purificatio B. M. V. 2 Februarii.

IN HUNGARIA

Benedictus conf. 17 Julii.

JADRAE

Donatus ep. conf. 25 Februarii.

JAVARINI

Mauritius conf. 28 Martii.

IN ILLYRICO

Amphilochius, Chronilla, Lydia, Macedo, Philetus, Theoprepis — mm. 27 Martii.

IN INSULA ISSA

Apollo, Cordatus, Isacius — mm. 21 Aprilis.

IN JUDAEA

Matthias ap. 24 Februarii.

KIOVIAE

Dionysius archiep. conf. 26 Junii.

LEOPOLI

Leo conf. 1 Augusti.

LUCAE

Joannes conf. 20 Martii.

LUCERIAE

Augustinus ep. conf. 3 Augusti.

MARPURGI

Elisabeth 19 Novembris.

MARTIANOPOLI

Asclepiodotus, Maximus, Melitina, Theodorus — mm. 15 Septembris.

IN MORAVIA

Cyrillus ep. conf. 9 Martii.
Methodius ep. conf. 9. Martii.

MURI

Georgius conf. 13 Junii.

NEAPOLI

Guido conf. 12 Junii.
Jacobus conf. 28 Novembris.
Joannes conf. 24 Junii.

Digitized by Google

NICOMEDIAE

Constantinus conf. 21 Maji.
Hadrianus m. 26 Augusti.

NICOPOLI

Martyres plurimi 11 Aug.

NONAE

Ambrosius conf. 8. Januarii.
Anselmus ep. conf. 26 Augusti & 14 Novembris.
Marcella 27 Augusti.

NOVIS PATRIS

Hermes ep. m. 8 Aprilis.

NOVOCOMI

Adalbertus ep. conf. 3 Junii.
Martinianus ep. conf. 3 Septembris.
Rubianus ep. conf. 16 Decembris.

APUD OSTIA TYBERINA

Alexander, Claudius, Cuthia, Maximus, Præpedigna } mm. 18 Februarii.

IN PANNONIA

Epœnetus ep. 30. Julii.
Margarita v. 18 Januarii.

PATAVIAE

Gisella 7 Maji.

PATRIS

Andreas ap. 30 Novembris.

POLAE

Otto conf. 14 Dec.

RAGUSII

Evangelista conf. 1 Augusti.

RAMAE

Martyres VI. 22 Aprilis.

RAVENNAE

Apollinaris ep. m. 23 Julii.

RHETIARIAE

Hermes 31 Decembris.

ROMAE

Antia m. 18 Aprilis.
Artemia v. m. 16 Martii.
Cajus p. m. 22 Aprilis.
Cathedra S. Petri 18 Januarii.
Constantia 18 Februarii.
Cyrilla v. m. 28 Octobris.
Dedicatio S. Petri ad Vincula 1 Augusti.
S. Mariæ ad Nives 5 Augusti.
Basilicæ Salvatoris 9 Novembris.
Petri & Paulli 18 Novembris.
Eleutherius ep. m. 18 Aprilis.
Gabinius m. 19 Februarii.
Ignatius ep. m. 1 Februarii.
Joannes p. conf. 20 Septembris.
Martyres VI. 21 Aprilis.
Paullus ap. 29 Junii.
Petrus ap. 29 Junii.
Susanna v. m. 11 Aprilis.
Tryphonia 18 Octobris.

SALONAE

Agape v. m. 3. Aprilis.
Agapitus ep. m. 1 Augusti.
Anastasius m. 28 Julii 25 & 26 Augusti.
Chionia v. m. 3 Aprilis.
Dalmatius m. 11 Aprilis.
Domnius ep. m. 11 Aprilis 7 & 8 10 Maji & 29 Julii.
Irene v. m. 5 Aprilis.
Martyres XLII. 11 Aprilis.
Septimus m. 18 Aprilis.
Theodorus ep. m. 7 Octobris.
Victorius m. 18 Aprilis.

SANDECIAE

Cunegunda 24 Julii.

SINGIDUNI

Donatus 25 Augusti.
Hermylus m. 13 Januarii.
Stratonicus m. 13 Januarii.

SIRMII

Agrippinus m. 15 Julii.
Anastasia m. 15 Januarii 25 Septembris & Decembris.

An-

Digitized by Google

Andronicus ep. 17 Maji.
Antigonus m. 23 Februarii.
Basilla v. 29 Augusti.
Cæcilia m. 8 Julii.
Donatus m. 21 Augusti.
Eperentius m. 8 Julii.
Eraclius m. 8 Julii.
Eutychianus m. 25 Decembris.
Fortunatus m. 15 Julii.
Innocentius m. 4 Julii.
Irenæus ep. m. 25 Martii.
Lybius m. 23 Februarii.
Martialis m. 15 Julii.
Martyres LXXII. 23 Februarii.
XL. 26 Martii.
XXX. 4 Julii.
plurimi 30 Octobris & 25 Decembris.
Maximus m. 15 Julii.
Moderata m. 6 Aprilis.
Montanus m. 26 Martii.
Ostratus m. 8 Julii.
Rogatianus m. 23 Februarii.
Romana m. 6 Aprilis.
Romulus m. 21 Augusti.
Rufina m. 6 Aprilis.
Rutilus m. 23 Februarii.
Sebastia m. 4 Julii.
Secundus m. 6 Aprilis 15 Julii.
Senerotes m. 23 Februarii.
Sirenus m. 23 Februarii.
Spirus m. 8 Julii.
Sylvanus m. 21 Augusti.
Timotheus m. 15 Maji.
Virgines v. mm. 9 Aprilis.
VII. mm. 9 Aprilis & 15.

SISCIAE

Quirinus ep. m. 4 Iunii.

SORAE

Iulianus m. 27 Januarii.

SPALATI

Felix ep. m. 18 Maji.
Raynerius archiep. m. 4 Augusti.

IN SPECIA

Afra m. 14 Junii.
Antonius m. 14 Junii.
Cantionella m. 14 Junii.

SPOLETI

Demetrius conf. 10 Octobris.

STAGNI

Andreas conf. 9 Aprilis.
Joannes conf. 8 Julii.

IN MONTE TITANO APUD ARIMINUM

Marinus conf. 4 Septembris.

TOMIS IN PONTO

Arestus m. 3 Apr.
Argeus m. 2. Jun.
Benignus m. 3 Aprilis.
Bretannio ep. 23 Jan.
Chiristus m. 3 Apr.
Crescens m. 1 Octob.
Cyriscus m. 20 Jun.
Emilius m. 20 Jun.
Evagrius m. 3 Aprilis & 1 Octob.
Feliciana v. & m. 20 Jun.
Felix m. 20 Jun.
Magrinus m. 5 Jul.
Marina m. 5 Jul.
Marechinus m. 2 Jun.
Merena m. 5 Jul.
Narcissus m. 2 Jan.
Patritius m. 3 Apr.
Paulla m. 20 Jun.
Paullus m. 20 Jun.
Priscus m. 1 Oct.
Rodofia m. 5 Jul.
Rufus m. 3 Apr.
Secundinus m. 5 Jul.
Sinnedia m. 3 Apr.
Sodesa m. 5 Jul.
Strator m. 5 Jul.
Theodotus m. 5 Jul.
Theotimus ep. 20 Apr.
Thomas m. 20 Jun.
Thomas m. 5 Jul.
Zosimus m. 4 Apr.

TRAGURII

Joannes conf. 13 Augusti.
Joannes ep. conf. 14 Novembris.
Nicolaus conf. 13 Januarii.

VARADINI

Ladislaus conf. 27 Junii.

VENETIIS

Gratia conf. 9 Octobris.
Laurentius patr. conf. 8 Januarii.

Digitized by Google

VICENTIAE

Ursius conf. 3 Maji.

VILACHI

Joannes conf. 23 Octobris.

VISOCHII

Martyres v. 26 Martii.

URIAE

Franciscus conf. 17 Maji.



Digitized by Google

INDEX RERUM

TOTIUS TOMI.

Prior Numerus paginam, alter columnam notat.

A

ABritenses Episcopi 110.

Achridæ ortus & situs 176. 2. regia & metropolis ecclesiastica Bulgarorum. *ibid.* Archiepiscopatus 182. 1. Archiepiscopi 183. 1. duo expuncti 184. 2. Archiepiscopi Latini 199. 2.

Achridenses Archiepiscopi IV. schisma ejurant 201. 2.

Achridensis Ecclesiæ initium 176. 2. finis 203. 2.

Appiarienses Episcopi 110.

Axiopolitana Ecclesia 111.

B

BElesbudium quæ civitas. 246. ejus Episcopi. *ibid.*

Belgradum civitas Serbliæ 144. a Taurunno diversa *ib.* origo *ib.* domini & vices *ib.* 1. 2. vetera monumenta 145. 1. urbis descriptio. *ib.* 2. & Episcopi 146. 2. 250. 2. Ecclesiæ & urbis status 148. 2. 149. 2. Ecclesia cum Semandriensi conjuncta. 250. 2. nova Antistitum series. 251. 1.

Benenatus Archiep. Scopiensis in Concilio v. Œcumenico 17. 2. non fuit Archiepiscopus Justinianæ primæ 168. 2.

Benko Joannis, de Bulgaris opinio. 244. 1.

Bidinum civitas & Episcopatus 154. de utrisque monumenta *ib.* & 156.

Bonosiaci hæretici 37. 2.

Bonosus Ep. Naissitanus hæreticus; ejus acta. 34. 1. & Episcopatus confirmatus. 36. 1.

Brandizuberiensis Episcopatus 246.

Bulgariæ hodiernæ descriptio 206. 2.

pro Bulgarica diœcesi contentio inter Romanam & Cpanam Ecclesiam 179. 2.

Bulgaricæ Ecclesiæ exordium 177. 2.

in Bulgaricam Ecclesiam nullum Græcorum jus. 184. 2. persecutio 232. 2. eximia PP. Franciscanorum merita 240. 2. 241. 2. & *seq.*

Bulgarorum origo & gesta 175. 1. regnum in Illyrico Justinianeo 176. 1. ad Fidem Christianam conversio *ib.* 2. cum Romana Ecclesia conjunctio 178. 1. & ab illa defectio 182. 1. tum ad illam reversio 194. 2. nova dissensio 195. 2. imperium deletum. 198. 1. restituitur. 206. reditus ad Ecclesiam Romanam 210. & *seq.* Archiepiscopatus institutio. 221. 2. schisma renovatur. 230. in eos bellum sacrum. 232. 2. Ecclesiæ & regni vices *ib.* & *seq.* mira ab hæresi conversio, 241. 2. regnum omnino extinctum. 244. 1. eorum Monasterium in monte Atho. 254. 2.

Bulgarorum reges.

I. Bogoris, seu Michael 177. 1.
II. Simeon 194. 2. 277. 2.
III. Petrus 195. 1.
IV. Samuel 197. 1.
V. Asanes 206. 1.
VI. Petrus II. *ib.*
VII. Joannes seu Joannicius *ib.* & 210. & *seq.*
VIII. Joannes II. seu Asanus. 230. 1.
IX. Colomanus seu Callimanus 235. 2.
X. Michael II. 237. 2.
XI. Constantinus }
XII. Lachanas } 238. 1.
XIII. Asanus II. }
XIV. Georgius. }
XV. Smiltzes 240. 1.
XVI. Svetislavus *ib.*
XVII. Georgius II. 241. 1.
XVIII. Michael Strascimirus *ib.*
XIX. Alexander *ib.*
XX. Strascimirus *ib.*
XXI. Sismanus 242. 2.

Busbequii de Serbliis narratio. 60. 1. & de Bulgaris. 247. 1.

C

CHiprovacii oppidi in Serblia descriptio. 70. 1. 73. 1.

Comcensis Ecclesia 172.

Comnenus Joannes. Descriptio monasterii Bulgarorum in monte Atho. 254. 2.

S. Contantiæ Constantini M. filiæ gesta 30. 2.

Constantini M. vitæ compendium. 35. 1.

Dar-

Digitized by Google

D

DArdanicæ provinciæ & Ecclesiæ descriptio. 1.

Dardani schismate Acaciano implexi. 5. 1. eorum calamitates. 17. 2.

Debelti Ecclesia & Episcopi 207.

Diocletiana Dardaniæ civitas Episcopalis. 24. 1.

S. Dionysius Apostolus Russorum an fuerit Episcopus Sugdæensis 126. 2.

Dionysopolis Episcopatus, idem cum Varnensi 129. urbis & Ecclesiæ descriptio *ib.* Episcopi 130.

Dorostorensis Ecclesia 113. ejus Episcopi 116.

Dorotheus Archiep. Marcianopolitanus Nestorianus. 93. 2. ejus acta. *ib.*

G

GRegorii IX. P. pro Bulgaris curæ 231. 2. ad 234. & 247. 1.

H

S. *Helenæ Aug.* acta. 27. 2.

I

S. *Ignatius* Patr. Constantinopolitanus; quædam ejus acta in causa Bulgarorum, 180. & *seq.*

Innocentii III. acta cum Bulgaris. 210. 2. ad 229.

Joannis VIII. P. gesta cum Bulgaris 185. 2. ad 190.

Joannis Archiep. Justinianæ primæ acta, 171. 1.

Ipekienses Patriarchæ 60. 2. Catholicis infesti 62. 1. 63. 1. 250. 1.

Ipekiensis Patriarchatus 50. 2. ejus chorographica descriptio 51. 1.

Justiniana prima; origo. 161. 2. situs 162. 1. magnificentia *ib.* 2. Archiepiscopi. *ib.* Exarchatus institutus. 163. 1. probatur a Vigilio P. 166. 1. provinciæ huic subjectæ *ib.* privilegia *ib.* 2. decora civilia Justinianæ primæ. 168. 2.

Justiniani Imp. Novella de Justinianæ primæ Exarchatu notatur. 163. 1.

L

LEvacovichius Raphael; ejus gesta & scripta. 200. 1.

Litteræ Episcoporum Dardaniæ ad Leonem Imp. 4. 2. & ad Gelasium P. 5. 1. Gelasii P. ad Dardanos. 6. 1. 7. 2. 8. 2. Symmachi P. ad eosdem 15. 2. Siricii P. ad Synodum Thessalonicensem. 35. 2. Innocentii I. Marciano Ep. Naissitano. 39. 1. Gregorii M. Felici Ep. Sardicensi. 68. 1. Dorothei Arch. Marcianopolitani hæretici 95. 2. 98. 1. 99. 2. 101. 1. Synodi Marcianopolitanæ ad Leonem Imp. 102. 2. Theotimi II. Ep. Tomitani ad eumdem. 138. 2. Vigilii P. ad Valentinianum Ep. Tomitanum. 141. 1. Gelasii P. ad Laurentium Ep. Lychnidensem 159. 2. Theodoreti Ep. Lychnidensis ad Hormisdam P. 161. 1. Gregorii M. ad Episcopos Illyricianos 171. 1. ad Joannem Arch. Justinianæ *ib.* 2. ad eumdem 174. 2. ad diaconum Cpanum Austolium *ib.* 1. Adriani II. P. ad S. Ignatium Patriarch. Cpanum 184. 1 Joannis VIII. P. ad Michaelem regem Bulgarorum. 185. 2. ad Petrum Comitem. 187. 1. ad S. Ignatium Patr. Cpanum 188. 1. rursum ad Michaelem. 190. 1. 191. 1. 2. 192. 1. 193. 2. ad Optimates Bulgarorum. 190. 2. Innocentii III. P. ad Joannem regem Bulgariæ 210. 2. 212. 2. 214. 1. 219. 2. 221. 1. 229. 1. ad Basilium Archiep. Ternobensem. 221. 2. 222. 2. ad Ladislaum regem Hung. 225. 1. Joannis regis Bulgariæ ad Innocentium III. P. 211. 2. 214. 2. 216. 2. 217. 2. 227. 1. Basilii Arch. Ternobensis ad eumdem 202. 1. 218. 2. 227. Gregorii IX. P. ad Assanum regem Bulgariæ 231. 2. ad Belam regem Hungariæ 233. 1. ad Clerum Hung. 234. 2. ad Provinciales Fratrum Dominic. & Francisc. *ib.* ad Præsidem Prov. Dominic. in Polonia. 247. 1. Innocentii IV. ad Colomanum regem Bulg. 235. 2. Nicolai IV. P. ad Georgium Imp. Bulg. 238. 2. ad Joachimum Archiep. Ternobensem 239. 2. Urbani IV. P. ad Claram Valachiæ Principis viduam. 243. 1. Nicolai P. Cpani ad Simeonem regem Bulgariæ. 281. 2.

Lichdinum, ejus situs. 158. ecclesia & Episcopi *ib.*

M

MArcianopolis. urbis & Ecclesiæ Marcianopolitanæ origo, descriptio & status pag. 85. 91. Episcopi 92. 2. Archiepiscopi 93. 2.

Martyres in Dardania. 2. 2. Martianopolitani. 86. 2. Axiopolitani 111. 2. Dorostorenses 113. 1. 116. 2. Tomitani 135. 1. Debelti 208. Franciscani in Bulgaria. 240. 2. alii 242. 1.

Mæsia inferior subjecta semper Romano Pontifici. 167. 2.

Millescichius Michael. Corographia Patriarchatus Ipekiensis. 51. 1.

Nais-

Digitized by Google

N

NAissitanorum Antistitum series 32. 1.
Naissus, civitas & Ecclesia Episcopalis 23.
S. Nicetas Ep. Remessianensis 77. 2. & civis 78. 1. probatur ejus Episcopatus. ib. describuntur acta ib. & seq. libri scripti. 83. 1.
Nicolai I. P. acta cum Bulgaris 178. 1. ad eorum consulta responsiones. 256.
Nicopolitana Ecclesia 106. ejus Episcopi ib. 2.
Novenses Episcopi 122.

O

ODyssi Ecclesia & Episcopi 123. 124.

P

PAulliciani hæretici. 70. 1.
Pautalia urbs Daciæ Episcopalis describitur. 77. ejus Episcopus unicus. ib.
Photius Ecclesiam Bulgaricam violenter invadit 190. 2.
Pontis Trajani in Dacia descriptio 154. 1.
Prisrensis Ecclesia, & ejus Episcopi 203.
Protogenes Ep. Sardicensis, ejus acta. 65. 2.

R

REmessiana civitas Episcopalis 77. distincta a Romatiana & a Portu Romano ib. Baronius & Ortelius notati ib. ejus Episcopi ib.

S

S. Sabba Archiep. Serbiensis vita 44. 2.
Sardica; ejus situs 64. 1. & vices. 2. metropolis Daciæ mediterraneæ. 65. 1.
Sardicenses Episcopi 65. 2.
Saxones in Serblia qui. 74. 1.
Scopiensis urbis & Ecclesiæ descriptio pag. 1. & seq.
Scopiensium Archiep. series. 4. 1. & Episcoporum 18. 1. rursum Archiep. 10. 1.
Semandriæ notitia 151. ejus Episcopi 152. 2. Episcopatus cum Belgradensi conjunctio. 250. 2. nova Episcoporum series 251. 1.
Serbienses Archiepiscopi 44. 2. & Patriarchæ 49. 1.
Serbiensis civitas & Ecclesia quæ 42. 1.
Serblianorum dogmata, mores & in Catholicos odia 59. 2.
Sexantapristensis Episcopatus 125.
Sophia olim Sardica; ejus origo. 64. 2. & status 68. 2. 73. 2.
Sophienses Episcopi 69. 2. Archiepiscopi. 72. 1. Vicarii Apostolici. 76. 2.
Staliensis Episcopatus 40. 169. 1.
Strumitza ad Pontum Euxinum, olim Tiberiopolis 128. 1. alia a Strumitza Macedoniæ. ib. Lequienii error. ib.
Sugdæensis Ecclesia 126.

T

TErnobi notitia, & Archiepiscopi 209. & seq. de Archiepiscopatu restituendo consilium. 244. 2.
Tiberiopolis, civitas & Ecclesia 128.
Tomitanæ urbis & Ecclesiæ descriptio 133. ejus Episcopi. ib.

V

VArna civitas, olim Dionysopolis 129. ejus Episcopi 130.
Vidinum. v. Bidinum.
Ulpianensis urbs & Ecclesia descriptæ 40. 1. ejus Episcopi 41. 1.

Z

ZAgora. v. Debelti Ecclesia.
Zapparensis Episcopatus. 41.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

